C. VELLEII PATERCVLI

HISTORIAE ROMANAE

LIBRI DVO:

Illustrati Commentariis & variantibus Lectionibus:

IN IIS

N. CLAVDII PVTEANI, nunc primùm in lucem prodeunt: cum FRAGMENTO VELLEII.

Seriem COMMENTARIORVM *Pagina sequens repræsentabit.*



PARISIIS,

Ex Typographia PETRI CHEVALIER, in monte Diui Hilarij.

M. DC. VIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

C. VELLEII PATERCVLI
HISTORIAE ROMANAE
LIBRI DVO:

Illustrati Commentariis & variantibus Lectionibus:

IN IIS

NOTÆ C. CLAVDII PVTEANI, nunc primùm in lucem prodeunt: cum FRAGMENTO VELLEII.

Seriem COMMENTARIORVM Pagina sequens repræsentabit.

PARISIIS,

Ex Typographia PETRI CHEVALIER, in monte Diui Hilarij.

M. DC. VIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

NOTARVM SCRIPTORES
AD VELLEIVM.

BEATVS RHENANVS.
IO. ALBERTVS BVRERIVS.
ALDVS MANVTIVS.
FVLVIVS VRSINVS.
IVSTVS LIPSIVS.
RAPHELENGIVS.
IACOBVS IAC. SCHEGIVS. *author damnatus*
VALENTINVS ACIDALVS.
IANVS GRVTERVS. *author damnatus*
C. CLAVDIVS PVTEANVS.

C. VELLEII PATERCVLI HISTORIAE ROMANAE AD M. VINICIVM COS.

LIBER PRIMVS.

*** tempestate distractus à duce suo Nestore, Metapontum condidit. Teucer, non receptus à patre Telamone, OB SEGNITIAM non vindicatæ fratris iniuriæ, Cyprum appulsus, cognomine patriæ suæ Salamina constituit. Pyrrhus, Achillis filius, Epirum occupauit; Philippus Ephyram in Thesprotia. at rex regum Agamemnon, tempestate in Cretam insulam reiectus, tres ibi vrbes statuit; duas à patriæ nomine; vnam à victoriæ memoria, Mycenas, Tegeam, Pergamum. idem mox, scelere patruelis fratris Ægisthi, HEREDITARIVM exercentis in eum odium, & facinore vxoris oppressus, occiditur. regni potitur Ægisthus per annos septem. hunc Orestes, matremque socia consiliorum omnium sorore Electra virilis animi femina, obtruncat. FACTVM eius à diis comprobatum, spatio vitæ, & felicitate imperij apparuit: quippe vixit annis nouaginta; regnauit septuaginta: qui se etiam à Pyrrho, Achillis filio, VIRTVTE vindicauit. nam quod pactæ eius, Menelai atque Helenæ filiæ Hermiones nuptias occupauerat, Delphis eum interfecit. Per hæc tempora Lydus, & Tyrrhenus fratres cum regnarent in Lydia, STERILITATE frugum compulsi, sortiti sunt, vter cum parte multitudinis patria decederet. sors Tyrrhenum contigit. peruectus in Italiam, & loco, & incolis, & mari nobile, ac perpetuum à se nomen dedit. Post Orestis interitum, filij eius, Penthelus, & Tisamenus, regnauere triennio. Tum, fere anno octogesimo post Troiam captam, centesimo & vicesimo, quam Hercules ad deos excesserat, Pelopis progenies, qui omni hoc tempore pulsis Heraclidis, Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. duces recuperandi imperij fuere, Teminus, Cresphontes; Aristodemus, quorum auus fuerat. Eodem fere tempore Athenę sub regibus esse desierunt: quarum vltimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non prætereundus: quippe, cum Lacedæmonij graui bello Atticos premerant, respondisset que Pythius, *quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores*; deposita veste regia, pastoralem cultum induit, immistusque castris hostium de industria, imprudenter, tixam ciens, interemptus est. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienses secuta victoria est. quis eum non miretur, qui IIS ARTIBVS MORTEM quæsierit, quibus ab ignauis vita quæri solet? Huius filius Medon primus Archon Athenis fuit. ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidæ. sed ij, insequentesque Archontes, vsque ad Charopem, dum viuerent, eum honorem vsurpabãt. Peloponnesij, digredientes finibus Atticis, Megaram, mediam Corintho Athenisque vrbem, condidere. eã tempestate & Tyria classis, plurimum pollens mari, in vltimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri orbis termino insulam circumfusam Oceano perexiguo à continenti diuisam freto, Gades condidit: ab iisdem post paucos annos in Africa Vtica condita est. Excluſi ab Heraclidis Orestis liberi, iactatique cum variis casibus, tum sæuitia maris, quinctodecimo anno sedem cepere circa Lesbum insulam. Tum Græcia maximis concussa est motibus: Achæi, ex Laconica pulsi, eas occupauere sedes, quas nunc obtinent, Pelasgi Athenas commigrauere: acerq; belli iuuenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius, cum magna ciuium manu, eam regionem armis occupauit, quæ nunc ab eius nomine Thessalia appellatur, antea Myrmidonum vocitata ciuitas. quo nomine, mirari conuenit eos, qui, Iliaca componentes tempora, de ea regione vt Thessalia commemorant. quod cum alij faciant, Tragici frequentissime faciunt. quibus minime id concedendum est. nihil enim ex persona poetæ, sed omnia sub eorum, qui illo tẽpore vixerunt, dixerunt quod si quis à Thessalo, Herculis filio, eos appellatos Thessalos dicet: reddenda erit ei ratio, cur numquam ante hunc insequentem Thessalum ea gens id nominis vsurpauerit. Paullo ante Haletes, sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthũ, qui antea fuerat Ephyre, clauſtra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Neque est, quod miremur ab Homero nominari Corinthum. nam ex persona poetæ & hanc vrbem, & quasdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate eius, multo post Ilium captum cõditæ. Athenienses in Eubœa Chalcida Erethriam colonis occupauere; Lacedæmonij in Asia Magnesiam. Nec multo post Chalcidenses, orti, vt prædiximus, Atticis, Hippocle, & Megasthene ducibus, Cumas in Italia cõdiderunt. huius classis cursum esse directum alij columbæ antecedẽtis volatu ferũt, alij nocturno æris sono, qualis Cerialibus sacris cieri solet. Pars horum ciuium magno post interuallo Neapolim condidit. vtriusque vrbis EXIMIA semper in Romanos fides facit eas nobilitate, atque amœnitate sua dignissimas. sed aliis diligentior ritus patrij mansit custodia: Cumanos Osca mutauit vicinia. Vires autem veteres earum vrbium, hodieque magnitudo ostẽtat mœnium. Subsequenti tẽpore magna vis Græcæ iuuentutis, ABVNDANTIA virium sedes quæritans, in Asiam se effudit. nam & Iones, duce Ione profecti Athenis, nobilissimam partem regionis maritimæ occupauere, quæ hodieque appellatur Ionia; vrbesque constituere, Ephesum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, Erythram, Clazomenas, Phocæam;

I.

II.

III.

IV.

multaſque in Ægæo, atque Icario occupauere inſulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Pharum, Delum aliaſque ignobiles. Et mox Æolij, eadem profecti Græcia longiſſimiſque acti erroribus, non minus illuſtres obtinuerũt locos; claraſque vrbes cõdiderunt, Smyrnam, Cymen, Lariſſam, Myrinam, Mitylenemque, & alias
v. vrbes, quæ ſunt in Leſbo inſula. Clariſſimum deinde Homeri illuxit ingenium, ſine exemplo maximum: qui MAGNITVDINE operum, & fulgore carminum ſolus appellari Poëta meruit. in quo hoc maximũ eſt, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque poſt illum, qui eum imitari poſſet, inuentus eſt. neque quemquam alium, cuius operis primus auctor fuerit, in eo perfectiſſimum, præter Homerum, & Archilochum, reperiemus. Hi longius à temporibus belli, quod compoſuit, Troici, quam quidam rentur, abfuit. nam ferme ante annos nongentos quinquaginta floruit, intra mille natus eſt. quo nomine, non eſt mirandum, quod ſæpe illud vſurpat. * hoc enim vt hominum, ita ſæculorum notatur differentia. quem ſi quis cæcum genitum
vi. putat, omnibus ſenſibus orbus eſt. Inſequenti tempore imperium Aſiaticum ab Aſſyriis, qui id obtinuerant annis mille ſeptingentis, tranſlatum eſt ad Medos, ab hinc annos ferme ſeptingentos ſeptuaginta. quippe Sardanapalum, eorum regem, mollitiis fluentem, & NIMIVM felicem malo ſuo, tertio & triceſimo loco ab Nino, & Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita vt ſemper ſucceſſor regni paterni foret filius, Pharnaces Medus imperio, vitaque priuauit. Ea ætate clariſſimus Graij nominis Lycurgus Lacedæmonius, vir generis regij, fuit ſeueriſſimarum iuſtiſſimarumque legum auctor & diſciplinæ conuenientiſſimæ vir; cuius quamdiu Sparta diligens fuit, excelſiſſime floruit. Hoc tractu tẽporum ante annos quinque & ſexaginta quam vrbs Romana conderetur, ab Eliſſa Tyria, quam quidam Dido autumant, Carthago conditur. Circa quod tẽpus Catanus, vir generis regij, ſextus decimus ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniæ occupauit. à quo Magnus Alexander cum fuerit ſeptimus decimus, iure materni generis Achille auctore, paterni Hercule gloriatus eſt. [Æmilius Sura de annis populi Romani. Aſſyrij, principes omnium gentium, rerum potiti ſunt, de-
» inde Medi, poſtea Perſæ, deinde Macedones. exinde duob. regibus, Philippo, & Antiocho, qui à Macedonibus
» oriundi erant. haud multo poſt Carthaginem ſubactam, deuictis, ſumma imperij ad populum Romanum pe-
vii. uenit.] Inter hoc tempus, & initium Nini regis Aſſyriorum, qui princeps rerum potitus, interſunt anni mille nongenti nonaginta quinque. Huius temporis æqualis Heſiodus fuit, circa centum viginti annos diſtinctus ab Homeri ætate, vir perelegantis ingenij, & moliſſima dulcedine carminum memorabilis, otij quietiſque cupidiſſimus, vt tempore tanto viro, ita operis auctoritate, proximus. qui vitauit, ne in id, quod Homerus inciderat, patriam que, & parentes, teſtatus eſt: ſed PATRIAM, quia multatus ab ea erat, contumelioſiſſime. Dum in externis moror, incidi in rem domeſticam, maximiq; erroris, & multum diſcrepantem auctorum opinionibus. Nam quidam, huius tẽporis tractu, aiunt, à Thucis Capuam, Nolamque conditam, ante annos fere octingẽtos triginta, quibus eidem aſſenſerim. ſed Marcus Cato quantum differt? qui dicat, Capuam ab eiſdem Tuſcis conditam, ac ſubinde Nolam: ſtetiſſe autem Capuam, antequam à Romanis caperetur, annis circiter ducentis ſexaginta. quod ſi ita eſt; cum ſint à Capua capta anni ducenti quadraginta; vt condita eſt, anni ſunt fere quingenti. Ego (pace diligentiæ Catonis dixerim) vix CREDIDERIM, tam matureſcere tantam vrbem cteuiſſe, flo-
viii. ruiſſe, concidiſſe, reſurrexiſſe. Clariſſimum deinde omnium ludicrum certamen, & ad exercitandam corporis, animique virtutem efficaciſſimum, Olympiorum initium habuit, auctore Iphito Elio. is eos ludos, mercatumque inſtituit ante annos, quam tu, M. Vinici, conſulatum inires, nongentos quatuor. hoc ſacrum eodem loco inſtituiſſe fertur, abhinc annos ferme mille ducentos quinquaginta, Atreus: cum Pelopi patri funebres ludos faceret. quo quidem in ludicro omnis generis certaminũ Hercules victor extitit. Tum Athenis perpetui Archontes eſſe deſierunt, cum fuiſſet vltimus Alcmæon; cœperuntque in denos annos creari. quæ conſuetudo in annos ſeptuaginta manſit: ac deinde annuis commiſſa eſt magiſtratibus reſpublica. Ex iis, qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops, vltimus Eryx; ex annuis, primus Creon. Sexta Olympiade, poſt duo & viginti annos, quam prima conſtituta fuerat, Romulus, Martis filius, vltus iniurias aui, Romam vrbem Parilibus in Palatio condidit. à quo tempore ad vos Conſules anni ſunt ſeptingenti ſeptuaginta duo. id actum poſt Troiam captam annis ſexcentis triginta ſeptem. id geſſit Romulus, adiutus legionibus Latini, aui ſui: libenter enim iis, qui ita prodiderunt, acceſſerim; cum aliter firmare vrbem nouam, tam vicinis Veientibus, aliiſque Etruſcis, ac Sabinis, cum imbelli, & paſtorali manu vix potuerit. quamquam, iam Aſylo facto inter duos lucos, auxit. Hic centum homines electos appellatoſque Patres, inſtar habuit conſilij publici. hanc originem nomen Patriciorum habet. Raptus virginum Sabinarum, * * * *
ix. * * * quam timuerat hoſtis, expetit. nam biennio adeo varia fortuna cum Conſulibus conflixerat, vt plerumque ſuperior fuerit, magnamque partem Græciæ in ſocietatem ſuam perduceret. Quin Rhodij quoque, fideliſſimi antea Romanis, tum dubia fide, SPECVLATI FORTVNAM, proniores regis partibus fuiſſe viſi ſunt: & rex Eumenes in eo bello medius fuit animo, neque fratris initiis, neque ſuæ reſpondit conſuetudini. Tum Senatus populuſque Romanus Lucium Æmilium Paullum, qui & prætor, & conſul triumphauerat, virum IN TANTVM LAVDANDVM, in quantum intelligi virtus poteſt, conſulem creauit, filium eius Paulli, qui ad Cannas QVAM TERGIVERSANTER pernicioſam reipublicæ pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat. is Perſeum ingenti prœlio apud vrbem nomine Pydnam in Macedonia, fuſum, fugatumque, caſtris exſuit; deletiſque eius copiis, deſtitutum omni ſpe coegit è Macedonia profugere: quam ille linquens, in inſulam Samothraciam profugit, templique ſe religioni ſupplicem credidit. ad eum Cneus Octauius prætor, qui claſſi præerat, peruenit; & ratione magis, quam vi, perſuaſit, *vt ſe Romanorum fidei committeret.* ita Paullus maximum, nobiliſſimumque regem in triumpho duxit. quo anno & Octauij, prætoris nauales, & Anicij, regem Illyriorum Gentium ante currum agentis triumphi fuere celebres. Quam ſit ASSIDVA EMINENTIS fortunæ comes Inuidia, altiſſimiſque adhæreat, etiam hoc colligi poteſt, quod, cum Anicij, Octauiique triumphum nemo interpellaret, fuere, qui Paulli impedire obniterentur: cuius tantum priores exceſſit, vel magnitudine regis Perſei, vel ſpecie ſimulacrorum, vel modo pecuniæ, vt bis millies centies ſeſtertium ærario contulerit, & omnium anteactorum cõparationem
x. amplitudine vixerit. Peridem tempus, cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympicum inchoauit, tum regem Syriæ, Ptolemæum puerum Alexandriæ obſideret, miſſus eſt ad eum legatus Marcus Popillius Lænas,

qui iuberet *incepto deſiſtere*; mandataque expoſuit, & regem, *deliberaturum ſe* dicentem, circumſcripſit virgula, iuſſitque, prius reſponſum reddere, quam egrederetur finito arenæ circulo ſic cogitationem regiam Romana difficit conſtantia, obeditumque imperio. Lucio autem Paullo, magnæ victoriæ compoti, quattuor filij fuere. ex iis duos, natu maiores, vnum Publio Scipioni, Publij Africani filio, nihil ex paterna maieſtate præter ſpeciem nominis, vigoremque eloquentiæ, retinenti, in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo: duos, minores natu, prætextatos, quo tempore victoriam adeptus eſt, habuit. Is cum in concione extra vrbem, more maiorum, ante triumphi diem, ordinem actorum ſuorum commemoraret, deos immortales precatus eſt, *vt, ſi quis eorum inuideret operibus, ac fortunæ ſuæ, in ipſum potius ſeuirent, quam in rempublicam*: quæ vox, veluti oraculo emiſſa, magna parte eum ſpoliauit ſanguinis ſui. nam alterum ex iis, quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphi, alterum poſt pauciores amiſit dies. Aſpera circa hæc tempora cenſura Fuluij Flacci, & Poſtumij Albini fuit. quippe Fuluij cenſoris frater, & quidem conſors, Cnæus Fuluius ſenatu motus eſt ab iis cenſo-
ribus. Poſt victum, captumque Perſeum, qui quadriennio poſt in libera cuſtodia Albæ deceſſit, Pſeudo- xi.
philippus à mendacio ſimulatæ originis appellatus, qui ſe Philippum, regiæque ſtirpis, ferebat, cum eſſet vltimæ, armis occupata Macedonia, adſumptis regni inſignibus, BREVI temeritatis pœnas dedit. quippe Quintus Metellus prætor cui ex virtute Macedonici nomen inditum, præclara victoria ipſum gentemque ſuperauit, & immani etiam Achæos, rebellare incipientes, fudit acie. Hic eſt Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus ſine inſcriptione poſitis, quæ nunc Octauiæ porticibus ambiuntur, fecerat, quique hanc turmam ſtatuarum equeſtrium, quæ frontem ædium ſpectant, hodieque maximum ornamentum eius loci ex Macedonia detulit. cuius turmæ hanc cauſam referunt: Magnum Alexandrum impetraſſe à Lyſippo, ſingulari talium auctore operum, vt eorum equitum, qui ex ipſius turma apud Granicum flumen ceciderant, expreſſa ſimilitudine figurarum, faceret ſtatuas, & ipſius quoque iis interponeret. Hic idem, primus omnium Romæ ædem ex marmore in iis ipſis monumentis molitus, vel magnificentiæ, vel luxuriæ princeps fuit. Vix vllius gentis, ætatis, ordinis hominem inueneris, cuius felicitatem fortunæ Metelli compares. nam, præter excellentes triumphos, honoreſque ampliſſimos, & principale in republica faſtigium, extentumque vitæ ſpatium, & acres, innocenteſque pro republica cum inimicis contentiones, quattuor filios ſuſtulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit ſuperſtites, & honoratiſſimos. mortui eius lectum pro Roſtris ſuſtulerunt quattuor filij, vnus conſularis, & cenſorius, alter conſularis, tertius conſul, quartus candidatus conſulatus, quem honorem adeptus eſt. Hoc eſt nimirum magis, feliciter de vita migrare, quam mori. Vniuerſa deinde, vt præ- xii.
diximus, inſtincta in bellum Achaia, cuni pars magna, eiuſdem Metelli Macedonici virtute, a mi ſque, tracta erat, maxime Corinthiis in arma, cum grauibus etiam in Romanos contumeliis, inſtigantibus. deſtinatus ei bello gerendo conſul Mummius. Et ſub idem tempus, MAGIS, quia volebant Romani, quidquid de Carthaginenſibus diceretur, credere, quam quia credenda afferebantur, ſtatuit ſenatus Carthaginem excindere. ita eodem tempore Publius Scipio Æmilianus, vir auitis Publij Africani, paterniſque Lucij Paulli virtutibus ſimillimus, omnibus belli, ac togæ dotibus, ingeniique, ac ſtudiorum eminentiſſimus ſæculi ſui, qui nihil in vita, niſi laudandum, aut fecit, aut dixit, ac ſenſit: quem, Paullo genitum, adoptatum à Scipione, Africani filio, diximus, ædilitatem petens conſul creatus eſt. Bellum Carthagini, iam ante biennium à prioribus conſulibus illatum, maiore vi intulit; cum ante in Hiſpania murali corona, in Africa obſidionali donatus eſſet; in Hiſpania vero etiam ex prouocatione, ipſe modicus virium, imminanis magnitudinis hoſtem interemiſſet. Eamque vrbem, magis inuidia imperij, quam vllius temporis noxiæ, inuiſam Romano nomini, funditus ſuſtulit, fecitque ſuæ virtutis monumentum, quod fuerat aui eius clementiæ. Carthago diruta eſt, cum ſtetiſſet annis ſexcentis ſexaginta ſeptem; abhinc annos centum ſeptuaginta ſeptem, Cnæo Cornelio Lentulo, Lucio Mummio Conſulibus. Hunc finem habuit Romani imperij Carthago æmula; cum qua bellare maiores noſtri cœpere Claudio, & Fuluio Coſ. ante annos ducentos nonaginta ſex, quam tu, Marce Vinici, conſulatum inires. ita per annos centum quindecim, aut bellum inter eos populos, aut belli præparatio, aut infida pax fuit. neque ſe Roma iam terrarum orbe ſuperato, ſecuram ſperauit fore, ſi nomen vſquam ſtantis maneret Carthaginis. adeo ODIVM CERTAMINIBVS ORTVM, vltra metum durat, & ne in victis quidem deponitur, neque ante inuiſum eſſe deſinit, quam eſſe deſiit. Ante triennium, quam Carthago deleretur, Marcus Cato per- xiii.
petuus diruendæ eius auctor, Lucio Cenſorino, Marco Manlio Conſulibus mortem obiit. Eodem anno, quo Carthago concidit, Lucius Mummius Corinthum, poſt annos octingẽtos quinquaginta duo, quam ab Halete, Hippotis filio, erat condita, funditus eruit, vterque Imperator, deuictæ à ſe gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus eſt Achaicus. nec quiſquã ex nouis hominib. prior Mummio cognomen virtute partum vindicauit. Diuerſi imperatoribus mores, diuerſa fuere ſtudia. quippe Scipio tam elegãs liberalium ſtudiorum, omniſque doctrinæ & auctor, & admirator fuit, vt Polybium, Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque ſecum habuerit. NEQVE ENIM quiſquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio diſpunxit: ſemperque aut belli, aut pacis ſeruiit artibus: ſemper inter arma, ac ſtudia verſatus, aut corpus periculis aut animum diſciplinis exercuit. Mummius TAM RVDIS FVIT, vt capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, iuberet prædici conducentibus, *ſi eas perdidiſſent, nouas eos reddituros.* Non tamen puto dubites, Vinici, quin MAGIS TRO republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi, & quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit conuenientior. Cum facilius cuiuſque rei in vnum contracta ſpecies, xiv.
quam diuiſa temporibus, oculis, animiſque inhæreat; ſtatui priorem huius voluminis, poſterioremque partem, non inutili rerum notitia in artum contracta, diſtinguere, atque huic loco inſerere, quæ quoque tempore, poſt Romam à Gallis captam, deducta ſit colonia iuſſu ſenatus. nam militarium & cauſſæ, & auctores, & ipſarum præfulgent nomina. huic rei per idem tempus ciuitates propagatas, auctumque Romanum nomen communione iuris, haud intempeſtiue ſubtexturi videmur. *Poſt* ſeptem annos, quam Galli vrbem ceperunt, *Sutrium*, deducta colonia eſt, & poſt annum *Setina*, nouemque interiectis annis *Nepete*; deinde, interpoſitis duobus & triginta, *Ariciani* in ciuitatem recepti. Ab hinc annos autem trecentos quinquaginta, Spurio

Postumio, Veturio Caluino consulibus, *Campanis* data est ciuitas, partique *Samnitium* sine suffragio: & eodem anno *Cales* deducta colonia. Interiecto deinde triennio *Fundani*, & *Formiani* in ciuitatem recepti, eo ipso anno, quo Alexandria condita est. insequentibusque Consulibus, à Spurio Postumio, Philone Publilio censoribus, *Acerranis* data ciuitas. & post triennium *Tarracinam* deducta colonia. interpositoque quadriennio, *Luceria*, ac deinde, interiecto triennio, *Suessa Arunca*, & *Saticula*, *Interamnaque* post biennium. Decem deinde hoc munere animi vacauerũt. tunc *Sora*, atque *Alba* deductæ coloniæ, & *Carseoli* post biennium at Quinctio Fabio quintum, Decio Mure quartum consulibus, quo anno Pyrrhus regnare cœpit, *Sinuessam*, *Minturnasque* missi coloni; post quadriennium *Venusiam*. interiectoque biennio, Manio Curio, & Rufino Cornelio consulibus, *Sabinis* sine suffragio data ciuitas. id actum ante annos ferme trecentos viginti. at *Cossam*, & *Pæstum* abhinc annos ferme trecentos, Fabio Dorsone, & Claudio Canina consulibus. interiecto quinquennio, Sempronio Sopho, & Appio Cæci filio Consulibus, *Ariminum*, *Beneuentum* coloni missi, & suffragij ferendi ius *Sabinis* datum. at initio primi belli Punici *Firmum*, & *Castrum* colonis occupata. & post annum *Æsernia*, postque viginti duos annos, *Æsulum*, & *Alsium*, *Fregellæque* post biennium, proximoque anno, Torquato, Sempronioque Consulibus *Brundisium*, & post triennium *Spoletium*: quo anno Floralium ludorum factum est initium. postq; biennium deducta *Valentia*,
XV. & sub aduentum in Italiam Hannibalis, *Cremona*, atque *Placentia*. Deinde, neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum eius annis, vacauit Romanis colonias condere; cum esset in bello conquirendus potius miles, quam dimittendus, & post bellum vires refouendæ magis, quam spargendæ. Cnæo autem Manlio Volsone, & Marco Fuluio Nobiliore Consulibus *Bononia* deducta Colonia, abhinc annos ferme ducentos septẽdecim. &, post quadriennium, *Pisaurum*, ac *Potentia*; interiectoque triennio, *Aquileia*, & *Grauisca*, & post quadriẽnium *Luca*. Eodem tẽporum tractu, (quam quam apud quosdam ambigitur) *Puteolos*, *Salernumq;*, & *Buxentum* missi coloni: *Auximum* autem in Picenum, abhinc annos ferme centum octuaginta septem, ante triennium, quam Cassius censor, à Lupercali in Palatium versus, theatrum facere instituit: cui in demoliendo eximia ciuitatis seueritas, & cõsul Cæpio restitere. quod ego inter clarissima publicæ voluntatis argumenta numerauerim, Cassio autem Longino, & Sextio Caluino (qui Sallues apud Aquas. quæ ab eo Sextiæ appellãtur, deuicit) Consulibus, *Fabrateria* deducta est, abhinc annos ferme centum quinquaginta septem, & post annum, *Scylacium*, *Minervium*, *Tarentum*, *Neptunia*, *Carthagoque* in Africa prima, vt prædiximus, extra Italiam, colonia condita est. de *Dertona* ambigitur. *Narbo* autem *Marcius* in Gallia, Marco Porcio, Quinto Marcio Consulib. abhinc annos circiter centum quinquaginta tres, deducta colonia est. post tres, & viginti annos in Vagiennis *Eporædia*, Mario sexies, Valerioque Flacco Consulibus. Neque facile memoriæ mandauerim, quæ, nisi militaris, post hoc
XVI. tempus deducta sit. Cum hæc particula operis velut formam propositi excesserit: quamquam intelligo, mihi, in hac tam præcipiti festinatione, quæ me, rotæ, pronive gurgitis, ac verticis modo, nusquam patitur consistere, pæne magis necessaria prætereunda, quam superuacua amplectẽda: nequeo tamen temperare mihi, quin rem, sæpe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, signem stylo. Quis enim abunde mirari potest, quod EMINENTISSIMA cuiusque professionis ingenia, in eam formam, & in idem artati temporis congruens spatium, & quemadmodum clausa capsa, alioque sæpto diuersi generis animalia, nihilo minus separata alienis, in vnum quoque corpus congregantur; ita cuiusque clari operis capacia ingenia in similitudinem & temporum, & profectuum, semetipsa ab aliis separauerunt? Vna, neque multorum annorum spatio diuisa, ætas, per diuini spiritus viros, Æschylum, Sophoclem, Euripidem, illustrauit tragœdias: vna priscam illam, & veterem sub Cratino, Aristophane, & Eupolide comœdiam: ac nouam comicam Menandrus, æqualesque eius ætatis magis, quam operis, Philemon, ac Diphilus, & inuenere intra paucissimos annos neque imitanda reliquere. Philosophorum quoque ingenia, Socratico ore defluentia, omnium quos paullo ante enumerauimus, quanto post Platonis, Aristotelisque mortem floruere spatio? Quid ante Isocratem, quid post eius auditores, eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit? adeo quidem artatum angustiis temporum, vt nemo memoria
XVII. dignus alter ab altero videri nequiuerint. Neque hoc in Græcis, quam in Romanis, euenit magis. nam, nisi aspera, ac rudia repetas, & inuenti laudanda nomine, in Attio, circaque eum Romana tragœdia est: dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium Terentiumque, & Afranium sub pari ætate nituerunt. Historicos, (vt & Liuium quoque priorum ætati adstruas) præter Catonem, & quosdam veteres, & obscuros, minus octuaginta annis circumdatum æuum tulit. vt nec poetarum in antiquis, citeriusve processit vbertas. at oratio, ac vis forensis, perfectumque prosæ eloquentiæ decus, vt idem separetur Cato; (pace Publij Crassi, Scipionisque, & Lælij, & Gracchorum, & Fannij, & Sergij Galbæ dixerim) ita vniuersa sub principe operis sui erupit Tullio: vt delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis: nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit. Hoc idem euenisse grammaticis plastis, pictoribus, scalptoribus, vt quisque temporum institerit notis, reperier, EMINENTIA cuiusque operis artissimis temporum claustris circumdata. Huius ergo præcedentisque sæculi, ingeniorum similitudines congregantis & in studium par, & in emolumentum, causas cum semper requiro, numquam reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse verisimiles, inter quas has maxime. ALIT æmulatio ingenia: & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit: naturaque, quod summo studio petitum est, adscendit in summum: difficilisque in perfecto mora est: naturaliterque, QVOD PROCEDERE non potest, recedit. &, vt primo ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur: ita, vbi aut præteriri, aut æquari eos posse desperauimus, studium cum spe senescit, &, QVOD ASSEQVI non potest, sequi desinit, &, velut occupatam relinquens materiam, quærit nouam: præteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus: sequiturque, vt FREQVENS AC MOBILIS transitus maximum perfecti operis impedimentum sit. Transit admiratio ad conditionem temporum, & ad vrbium. Vna vrbs Attica pluribus
XVIII. annis eloquentiæ, quam vniuersa Græcia, operibusque floruit; adeo vt corpora gentis illius separata sint in alias ciuitates, ingenia vero solis Athenienſium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim, quam, neminem Argiũm, Thebanum, Lacedæmonium oratorem; aut, dum vixit, auctoritate, aut post mortẽm memoria dignum existimatum: quæ vrbes talium studiorum fuere steriles, nisi Thebas vnum os Pindari illuminaret. nam Alcmana, Lacones falsò sibi vindicant.

C. VELLEII PATERCVLI
HISTORIÆ ROMANÆ AD M. VINICIVM COS.
LIBER SECVNDVS.

POTENTIÆ Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ posterior aperuit. I.
quippe, REMOTO Carthaginis metu, sublataque imperij æmula, non gradu, sed præcipiti cursu à virtute descitum, ad vitia transcursum: vetus disciplina deserta, noua inducta: in somnum à vigilijs, ab armis ad voluptates, à negotijs in otium conuersa ciuitas. tum Scipio Nasica in Capitolio porticus, tum, quas prædiximus, Metellus, tum in circo Cneus Octauius multo amœnissimam moliti sunt: PVBLICAMQVE magnificentiam secuta priuata luxuria est. Triste deinde, & contumeliosum bellum in Hispania, duce latronum Viriatho secutum est: quod ita varia fortuna gestũ est, vt sæpius Romanorũ gereretur aduersâ. sed interempto Viriatho fraude magis, quàm virtute, Seruilij Cæpionis, Numantinum grauius exarsit. hæc vrbs nunquam plura, quàm decem millia, propriæ iuuentutis, armauit. sed, vel ferociâ ingenij, vel inscitia nostrorum ducum vel fortunæ indulgentia, cum alios duces, tum Pompeium, magni nominis virum, ad turpissima deduxit fœdera, (hic primus è Pompeiis Consul fuit) nec minus turpia ac detestabilia Mancinum Hostilium Consulem. sed Pompeium gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia. quippe, non recusando perduxit huc, vt per Fetiales nudus, ac post tergum religatis manibus, dederetur hostibus: quem illi recipere se negauerunt, sicut quondam Caudini fecerunt, dicentes, *publicam* violationem fidei non debere vnius lui sanguine.

Immanem deditio Mancini ciuitatis mouit dissensionem. quippe Tiberius Gracchus, Tiberij Gracchi, cla- II.
rissimi, atque eminentissimi viri, filius, Publij Africani ex filia nepos, quo Quæstore & auctore id fœdus ictum erat, nunc grauiter ferens aliquid à se factum infirmari, nunc similis vel iudicij, vel pænæ meruens discrimen, tribunus plebei creatus, vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta & naturâ & industriâ, mortalis conditio recipit, Publio Mucio Scæuolâ, Lucio Calpurnio Consulibus, abhinc annos centum sexaginta duos, descuit à bonis; pollicitúsque toti Italiæ ciuitatem, simul etiam promulgatis agrarijs lerum sexaginta duos, descuit à bonis; pollicitúsque toti Italiæ ciuitatem, simul etiam promulgatis agrarijs legibus, omnibus statum concupiscentibus, summa imis miscuit, & in præruptum, atque anceps periculum adduxit rempublicam, Octauióque collegæ, pro bono publico stanti, imperium abrogauit: Triumviros agris diuidendis, coloniisque deducendis creauit se, socerumque suum consularem Appium, & Gracchum fratrem, admodum iuuenem. Tum Publius Scipio Nasica. eius, qui OPTIMVS VIR à senatu iudicatus erat, III.
nepos, eius, qui censor porticus in Capitolio fuerat, filius, pronepos autem Cnæus Scipionis, celeberrimi viri, Publij Africani patruus, priuatúsque, & togatus, cùm esset consobrinus Tiberij Gracchi, patriam cognationi præferens, &, QVIDQVID PVBLICE salutare non esset, priuatim alienum existimans, ob eas virtutes primus omnium ablens pontifex maximus factus est, cùm datâ læuo brachio togæ laciniâ, ex superiore parte Cãpitolij, fumantis gradibus insistens, hortatus est, *qui saluam vellent rempublicam, se sequerentur*. Tum optimates, senatus, atque equestris ordinis pars melior, & maior, & intacta pernicioſis consiliis plebs, in ruere in Gracchum, stantem in aream cum cæteris suis, & concitem pænè totius Italiæ frequentiam is fugiens, decurrensque cliuo Capitolino, fragmine subsellij ictus, VITAM, quam glorioſissimè degere poterat, immaturâ morte finiuit. Hoc initium in vrbe Româ ciuilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit. inde ius vi obrutum. POTENTIORQVE habitus prior discordiæque ciuium, anteà conditionibus sanari solitæ, ferro dijudicatæ; BELLAQVE non causſis inita, sed prout eorum merces fuit. quod haud mirum est. NON ENIM IBI consistunt exẽpla, vnde cœperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissimè euagandi sibi viam faciunt: &, vbi semel recto deërratũ est, in præceps perueniturr: NEC QVISQVAM sibi putat turpe, quod alij fuit fructuoſum. IV.
Interim, dum hæc in Italiâ geruntur, Aristonicus, mortuo rege Attalo, à quo Asia populo Romano hereditate relicta erat, sicut relicta posteà est à Nicomede Bithynia, mentitus regiæ stirpis originem, armis eam occupat. is, victus a Marco Perpernâ, ductúsque in triumpho, sed Manius Aquillio capite pœnas dedit, cùm, initio belli, Crassum Mucianum, virum iuris scientissimum, decedentem ex Asiâ proconsulem interemisset. Et Publius Scipio Africanus Æmilianus, qui Carthaginem deleuerat, post tot acceptas circa Numãtiam clades, creatus iterum consul, missúsque in Hispaniam, fortunæ, virtutíque, expertæ in Africâ, respondit in Hispaniâ; & intra annum, ac tres menses, quàm eò venerat, circumdatam operibus Numantiam, excisámque æquauit solo, nec quisquam vllius gentis hominum ante eum clariore vrbium excidio nomen suum perpetuæ commendauit memoriæ. quippe, excisâ Carthagine, ac Numantiâ, ab alterius nos metu, alterius vindicauit contumelijs. Hic, eum interrogante tribuno Carbone, *quid de Tiberij Gracchi cæde senriret*, respondit: *si is occupandæ reipublicæ animũ habuisset, iure cæsum*. Et, cum omnis concio acclamasset: Hostium, inquit, armatorum toties clamore non territus, qui possum vestro moueri, quorum nouerca est Italia? Reuersus in vrbem, intra breue tempus, M. Aquillio, C. Sempronio cos. abhinc annos CL. post duos consulatus, duósque triumphos, & bis excisos terres reipublicæ manè in lectulo repertus est mortuus, ita vt quædam elisarum fauciũm in ceruice reperirentur notæ. DE TANTI viri morte nulla habita est quæstio: ciúsque corpus velato capite elatum est, cuius operâ prodidêre memoriæ, mortem obiit. vitam certè dignissimam egit, quæ nullius ad id temporis, præterquam auito, fulgore vinceretur. decessit anno fermè quinquagesimo sexto: de quo si quis ambiget, recurrat ad prio-

V. rem consulatum eius, in quem creatus est anno trigesimo sexto, ita dubitare desiner. Ante tempus excisæ Numantiæ, præclara in Hispaniâ militia Auli Bruti fuit, qui penetratis omnibus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum, vrbiumque potitus numero, aditis quæ vix audita erant, Gallaici cognomen meruit. Et ante eum paucis annis tam seuerum illius Quinti Macedonici in his gentibus imperium fuit, vt, cùm vrbem, Contrebiam nomine, in Hispaniâ oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias eôdem protinus subire iuberet, facientibúsque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito, perseuerantia ducis, quem moriturum miserat, militum victorem recepit. tantum effecit mistus timori pudor, spésque desperatione quæsita. HIC VIRTVTE, ac seueritate facti; at Fabius
VI. Æmilianus, Pauli EXEMPLO, disciplinæ in Hispaniâ fuit clarissimus. Decem deinde interpositis annis, qui Tiberium Gracchum, idem Caium, fratrem eius, occupauit furor, tam virtutibus eius omnibus, quàm huic errori similem, ingenio etiam, eloquentiáque longè præstantiorem. qui cùm, SVMMA QVIETE animi, ciuitatis princeps esse posset, vel vindicandæ fraternæ mortis gratiâ, vel præmuniendæ regalis potentiæ, eiusdem exempli tribunatum ingressus, longè maiora, & acriora repetens, dabat ciuitatem omnibus Italicis, extendebat eam pænè vsque Alpes, diuidebat agros; vetabat quemquam ciuem plus quingentis iugeribus habere: quod aliquando lege Liciniâ cautum erat: noua constituebat portoria; nouis colonijs replebat prouincias; iudicia à senatu transferebat ad equites; frumentum plebi dare instituerat; nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat: quin alterum etiam continuauit tribunatum. hunc Lucius Opimius consul, qui prætor Fregellas exciderat, persecutus armis, vnáque Fuluium Flaccum, consularem, ac triumphalem virum, æquè praua cupientem, quem Caius Gracchus in locum Tiberij fratris Triumvirum nominauerat, eúmque socium regalis assumpserat potentiæ, morte afficit. id vnum NEFARIE ab Opimio proditum, quod capitis non dicam Gracchi, sed ciuis Romani pretium se daturum, idque auro repensurum proposuit. Flaccus, in Auentino armatos ad pugnam ciens, cum filio maiore iugulatus est. Gracchus profugiens, cùm iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cernicem Euporo seruo præbuit, qui non segnius se ipse interemit, quàm domino succurerat. Quo die singularis Pomponij, equitis Romani, in Gracchum fides fuit, qui, more Coclitis, sustentatis in ponte hostibus, eius gladio se transfixit. Vt Tiberij
VII. Gracchi anteà corpus ita Caij, mirâ crudelitate victorum, in Tiberim deiectum est. Hunc Tiberij Gracchi liberi, Publij Scipionis Africani nepotes, viua adhuc matre Cornelia, Africani filia, viri OPTIMIS ingenijs malè vsi, vitæ, mortisque habuere exitum: qui si CIVILEM dignitatis concupissent modum, quidquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis obtulissent respublica. Huic atrocitati adiectum scelus vnicum. quippe iuuenis, specie excellens, necdum duodeuicesimum transgressus annum, IMMVNISQVE delictorum paternorum, Fuluii Flacci filius, quem pater legatum de conditionibus miserat, ab Opimio interemptus est. quem cum haruspex Tuscus, amicus, flentem in vincula duci vidisset, *Quin tu hoc potius, inquit, facis?* protinusque inlisо capite in pontem lapide uam ianuæ carceris, effusóque cerebro exspirauit. Crudelésque mox quæstiones, in amicos, clientesque Gracchorum, habitæ sunt. sed Opimium, virum alioqui sanctum, & grauem, damnatum posteà iudicio publico, MEMORIA ipsius sæuitiæ, nulla ciuilis persecuta est misericordia. Eadē Rutilium, Popilliumque, qui Consules asperrimè in Tiberij Gracchi amicos sæuierant, posteà iudiciorum publicorum merito oppressit inuidia. Rei tantæ parum ad notitiā pertinens interponetur. Hic est Opimius, à quo Consule celeberrimum *Opimiani Vini* nomen; quod iam nullum esse, spatio annorum colligi potest; cùm ab eo sint ad re, Marce Vinici, Consulem, anni centum quinquaginta & vnus. Factum Opimij, quod
VIII. INIMICITIARVM quæsita erat vltio, minor secuta auctoritas: & vsa vltio. priuato odio magis, quā publicæ vindictæ, data. Subinde, Porcio, Marcióque consulibus, deducta colonia, *Narbo Martius*. Mandetur deinde memoriæ seueritas iudiciorū. quippe Caius Cato Consularis, Marci Catonis nepos, Africani sororis filius, repetūdarum ex Macedonia damnatus est; cùm his eius quatuor millibus æstimaretur. adeo illi viri MAGIS VOLVNTATEM peccandi intuebantur quàm modum: factaque ad consilium dirigebant, & quid, non in quantum, admissum foret, æstimabant. Circa eadem tempora Marci Metelli fratres vno die triumphauerunt. Non minus clarum exemplum, & adhuc vnicum Fuluij Flacci, eius, qui Capuam ceperat, filiorum, sed alterius in adoptionem dati, in collegio consulum fuit. adoptiuus in Acidiani Manlij familiam datus. nam censura Metellorum, patruelium, non germanorum fratrum fuit: quod solis contigerat Scipionibus. Tum Cimbri & Teutoni transcendere Rhenum, MVLTIS mox nostris, suisque cladibus nobiles. Per eadem tempora
IX. clarus eius Minucij, qui porticus, quæ hodiéque celebres sunt, molitus est, ex Scordiscis triumphus fuit. Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Æmilianus, Lælíusque, Sergius Galba, duo Gracchi, Caius Fannius, Carbo Papirius. Nec prætereundus Metellus Numidicus & Scaurus, & ante omnes Lucius Crassus, & Marcus Antonius. quorum ærati, ingeniisque succesſere Caius Cæsar Strabo, Publius Sulpicius. namque Mucius iuris scientia, quàm propriæ eloquentiæ nomine, celebrior fuit. Clara etiam per idem æui spatium fuere ingenia, in Togatis Afranij, in Tragœdiis Pacuuij, atque Attij, vsque in Græcorum ingeniorum comparationem euecti, magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum, adeo quidem, vt in illis limæ, in hoc pœnè plus videatur fuisse sanguinis. Celebre & Lucilii nomen fuit, qui sub Publio Africano, Numantino bello, eques militauerat. quo quidem tempore iuuenis adhuc Iugurtha, ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicere, quæ posteà in contrariis facerent. Historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuuenis, sed opus belli ciuilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna fuit Cœlius, æqualis Sisennæ Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, & Valerius Antias. Sane, non ignoremus, eadem ætate fuisse Pomponium, sensibus celebrem, verbis rudem, & nouitate inuentiā se operis cō-
X. mendabilē. Persequamur notā seueritatē censorum, Cassii Longini, Cæpioníque, qui abhinc annos centū quinquaginta septem Lepidum Æmilium, augurem, quod sex millibus æres conduxisset, adesse iusserunt. at nunc, si quis tanti habitet, vix vt senator agnoscitur: adeo mature à rectis in vitia, à vitiis in praua, à prauis in præcipitia peruenitur. Eodem tractu temporum & Domitii ex Aruernis, & Fabii ex Allobrogibus, victoria fuit nobilis Fabio, Paulli nepoti, ex victoria cognomen Allobrogico inditum. Notetur Domitiæ familiæ pe-

culiaris quædam, &, vt clarissima, ita artata numero felicitas. vti ante hunc, nobilissimæ simplicitatis iuuenem, Cnæum Domitium, fuere singulis omnino parentibus geniti, sed omnes ad consulatum, sacerdotiáque,
XI. ad triumphi autem pænè omnes peruenerunt insignia. Bellum deinde Iugurthinum gestum est per Quintum Metellum, nulli secundum sæculi sui. huius legatus fuit Caius Marius, quem prædiximus, natus equestri loco, hirtus atque horridus, vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriæ, insatiabilis, impotens, sempérque inquietus. hic per publicanos, aliosque in Africa negotiantes, crimiXII. natus Metelli lentitudinem, trahentis iam in tertium annum bellum, & naturalem nobilitatis superbiam, morandique in imperiis cupiditatem, effecit, vt cùm commeatu petito, Romam venisset, consul crearetur, bellique, pænè patrati à Metello, qui bis Iugurtham acie fuderat, summa committeretur sibi. Metelli tamen & triumphus fuit clarissimus, & meritum, virtutique cognomen Numidici inditum. Vt paullo antè, Domitiæ familiæ, ita Cæciliæ notanda claritudo est: quippe intra duodecim fermè annos huius temporis consules fuere Metelli, aut censores, aut triumpharunt amplius duodecim: vt appareat, QVÈ ADMODVM vrbium, imXIII. periorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire. At Caius Marius, Luclum Sullam, iam tunc, vt præcauentibus fatis, copulatum sibi quæstorem habuit, & per eum missum ad regē Bocchum, Iugurtha rege, abhinc annos fermè centum triginta octo, potius est: designatúsque iterum consul, in vrbem reuersus, secundi consulatus initio Kalendis Ianuarijs eum in triumpho duxit. Effusa, vt prædiximus, immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris, ac Teutonis erat, cùm Cæpionem, Manliumque Consulem, & ante Carbonē, Silanúmque fudissent, fugassentque in Galliis, & exsuissent exercitu, Scaurumque Aurelium Consulem, & alios celeberrimi nominis viros trucidassent, populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quàm Marium, est ratus. tum multiplicati consulatus eius Tertius, in apparatu belli consumptus, quo anno Cnæus Domitius tribunus plebei legem tulit, vt sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet. Quarto, trans alpes circa Aquas Sextias cū Teutonis conflixit, amplius centum quinquaginta hostium, priore, ac postero die, ab eo trucidatis, gensque exciXIII. sa Teutonum. Quinto, citra alpes in campis, quibus nomen erat Raudis, ipse consul, & proconsul Quintus Lutatius Catulus fortunatissimo decertauere prœlio. cæsa, aut capta amplius centum millia hominum. Hac victoria videtur meruisse Marius, ne eius nati rempublicam pæniteret, ac bona malis repensasse. Sextus consulatus veluti præmium ei meritorum datus. Non tamen huius cōsulatus fraudetur gloria; quo Seruilij Glauciaque, Saturninique Appuleij furorem, CONTINVATIS honoribus rempublicam laceranuū, & gladiis quoque, & cæde comitia discutientium, Consul armis compescuit; hominésque exitiabiles in Hostilia curia morXIV. te multauit. Deinde, interiectis paucis annis, tribunatum inijt Marcus Liuius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, MELIORE in omnia ingenio, animoque, quàm fortuna vsus: qui, cùm senatui priscum restituere cuperet decus, & iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; (quippe, eam potestatem nacti equites, Gracchanis legibus cùm in multos clarissimos, atque innocentissimos viros sæuissent, tum Publium Rutilium, virum NON SÆCVLI sui, sed omnis æui optimum, interrogatum lege repetundarum, maXV. ximo cum gemitu ciuitatis, damnauerant) in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit aduersarium, non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandæ, illiciendæque multitudinis caussa fieri, vt, MINORIBVS perceptis, maiora permitteret. Denique EA FORTVNA Drusi fuit, vt malefacta collegarum, quam eius optimè ab ipso cogitata, senatus probaret magis; & honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret, iniurias, quæ ab aliis intendebantur, æquo animo reciperet; & huius summæ gloriæ inuideret, illorum modicam ferret. Tum conuersus Drusi animus, quando bene cœpta malè cedeXVI. bant, ad dandam ciuitatem Italiæ. quod cùm moliens reuertisset è foro, immensa illa, & incognita, quæ eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suæ cultello percussus, qui affixus lateri eius relictus est, intra paucas horas discessit. Sed, cùm vltimum redderet spiritum, intuens circumstantium, mærentiumque frequentiam, effudit vocem, conuenientissimam conscientiæ suæ: *Ecquando*, inquit, *propinqui, amicique, similem mei ciuem habebit respublica?* Hunc finem clarissimus iuuenis vitæ habuit: cuius morum minimè omittatur argumentum. Cùm ædificaret domum in palatio in eo loco, vbi est, quæ quondam Ciceronis, mox Gētorini fuit, nunc Statilij Sisennæ est; promitteretque eiarchitectus, ita se eam ædificaturum, vt libera à conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset, neque quisquam in eam despicere posset: *Tu verò*, inquit, *si quid in te artis est, ita compone domum meam, vt, quidquid agam, ab omnibus perspici possit.* In legibus Gracchi interpernicioſissima nume rauerim, quod extra Italiam colonias posuit. id maiores (cùm viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem. Massiliam Phocæa, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Miletō, ac genitali solo) diligenter vitauerant, vt ciues Romanos ad censendum ex prouinciis in Italiam reuocauerint. Prima autem extra Italiam colonia *Carthago* condita est. Mors Drusi, iam pridem tumescens, bellum excitauit Italicū. quippe Lucio Cæsare, Publio Rutilio consulibus, abhinc annos centum viginti, cùm id malum in vniuersa Italia ab Asculanis esset, (quippe Seruium prætorem, Fonteiumque legatum occiderant) ac deinde, à Marsis exceptum, in omnes penetrasset regiones; arma aduersus Romanos cepit. quorum VT FORTVNA atrox, ita caussa fuit iustissima. petebant enim eam ciuitatem, cuius imperium armis tuebantur: *per omnes annos, atque omnia bella, duplici numero se militum, equitumque fungi, neque in eius ciuitatis ius recipi, quæ per eos in idipsam peruenisset fastigium, per quod homines, eiusdem & gentis, & sanguinis, vt externos, alienosque fastidire posset.* id bellum amplius trecenta millia iuuentutis Italicæ abstulit. Clarissimi autē imperatores fuerunt Romani eo bello, Cnæus Pompeius, Cnæi Pompeij Magni pater, Caius Marius, de quo prædixinius, Lucius Sulla, anno antè prætura functus, Quintus Metellus, Numidici filius, qui meritum cognomen Pij consecutus erat: quippe expulsum ciuitate Lucio Saturnino tribuno plebei, quod solus in leges eius iurare noluerat, PIETATE SVA, auctoritate senatus, consensu reipublicæ restituit patrem. NEC TRIVMPHIS, honoribusque, quàm aut caussa exXVII. filii, aut exsilio, aut reditu clarior fuit Numidicus. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, Silo Poppædius, Herius Asinius, Insteius Cato, Caius Pontidius, Telesinus, Pontius, Marius, Egnatius, Papius Mutilius. NEQVE EGO, verecundia, domestici sanguinis gloriæ quidquam, dum verum refero, subtraham. quippe multum Minatij Magii, ataui mei, Asculanensis, tribuendum est memoriæ: qui, nepos Decii Magii, Campa-

norum principis celeberrimi, & fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem præstitit, vt cum legione quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum Tito Didio caperet, Pompeios cum Lucio Sulla oppugnaret, Cosamque occuparet. cuius de virtutibus cum alij, tum maxime, dilucideque Quintus Hortensius in Annalibus suis retulit, cuius PIETATI PLENAM populus Romanus gratiam retulit: ipsum viritim ciuitate donando, duos filios eius creando prætores, cum seni adhuc crearentur. Tam varia, atque atrox fortuna Italici belli fuit, vt per biennium continuum duo Romani Consules, Rutilius, ac deinde Cato Porcius ab hostibus occiderentur, exercitus populi Romani multis in locis funderentur, vtque ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur. Caput imperij sui Corfinium legerant, quod appellarent Italicum. Paullatim deinde recipiendo in ciuitatem, qui arma aut non ceperant, aut, depositurant maturius, vires refectæ sunt,
XVII. Pompeio, Sullaque, & Mario fluentem, procumbentemque rempublicam restituentibus. Finito ex maxima parte, nisi quæ Nolani belli manebant reliquiæ, Italico bello, (quo quidem Romani VICTIS afflictisque, ipsi exarmati, quàm integris vniuersis ciuitatem dare maluerunt) Consulatum inierunt Quintus Pompeius, & Lucius Cornellius Sulla, vir, qui NEQVE AD finem victoriæ satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest. hic, natus familia nobili, sextus à Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, cum familię eius claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, vt nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur. deinde post præturam illustratus bello Italico, & ante in Gallia legatione sub Mario, qua eminentissimos duces hostium fuderat, EX SVCCESSV animum sumpsit: petensque consulatum, pæne omnium ciuium suffragiis factus est. sed eum honorem vndequinquagesimo ætatis suæ anno assecutus est.
XVIII. Per ea tempora Mithridates, Ponticus rex, vir, neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, ALIQVANDO fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal, occupata Asia, necatisque in ea omnibus ciuibus Romanis, quos quidem eadem die, atque hora, redditis ciuitatibus litteris, ingenti cum pollicitatione præmiorum interimi iusserat: quo tempore neque fortitudine aduersus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam Rhodiis par fuit, horum fidem Mitylenæorum perfidia illuminauit, qui Manium Aquilium, aliosque Mithridati victos tradiderunt: quibus libertas, in vnius Theophanis gratiã, postea à Pompeio restituta est. Cum terribilis Italiæ quoque videretur imminere, sorte obuenit Sullæ Asia prouincia. is, egressus vrbe, cum circa Nolam moraretur: (quippe ea vrbs pertinacissime arma retinebat, exercituque Romano obsidebatur, velut pæniteret eius fidei, quam omnium sanctissimam bello præstiterat Punico) Publius Sulpitius, tribunus plebei disertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenij, atque animi celeberrimus, cum antea, rectissima voluntate, apud populum maximam quæsisset dignitatem, QVASI PIGERET eum virtutum suarum, & bene consulta ei male cederent, subito praeceps, & præceps, Caio Mario, post septuagesimum annum omnia imperia, & omnes prouincias concupiscẽti, addixit, legemque ad populum tulit, qua Sullæ imperium abrogaretur, Caio Mario bellum decerneretur Mithridaticum: aliasque leges perniciosas, & exitiabiles, neque tolerandas liberæ ciuitati, tulit: quin etiam
XIX. Quinti Pompeij consulis filium, eumdemque Sullæ generum, per emissarios factionis suæ interfecit. Tum Sulla, contracto exercitu, ad vrbem rediit, eamque armis occupauit, duodecim auctores nouarum, pessimarumque rerum, inter quos Marium, cum filio, & Publio Sulpitio, vrbe exturbauit, ac, lege lata, exsules fecit. Sulpicium etiam assecuti equites, in Laurentinis paludibus iugulauere, caputque eius erectum & ostentatum, pro rostris, velut omen imminentis proscriptionis, fuit. Marius post sextum consulatum, annoque septuagesimo nudus, ac limo obrutus, oculis tantummodo, ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quam se, fugiens consectantes Sullæ equites, abdiderat, iniecto in collum loro, in carcerem Minturnensium, iussu Duumviri, perductus est. ad quem interficiendum missus cum gladio seruus publicus, natione Germanus, qui forte ab imperatore eo, bello Cimbrico captus erat, vt agnouit Marium magno eiulatu expromenti indignationem casus tanti viri, abiecto gladio, profugit è carcere. Tum ciues, AB HOSTE, misereri paullo ante principis viri, docti, instructum eum viatico, collataque veste, in nauem imposuerunt. at ille, assecutus circa Ænariam filium, cursum in Africam direxit: inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginensium, toleranit: cum Marius, adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri
XX. possent esse solatio. Hoc primum anno, sanguine Consulis Romani, militis imbutæ manus sunt: quippe Pompeius, collega Sullæ, ab exercitu Cnæij Pompeij proconsulis, seditione, sed quã dux creauerat, interfectus est. Non erat Mario, Sulpicioque Cinna temperatior. itaque cum ita ciuitas Italiæ data esset, vt in octo tribus contribuerentur noui ciues: ne potentia eorum, & multitudo veterum ciuium dignitatem frangeret: plusq. possent recepti in beneficium, quàm auctores beneficij: Cinna, in omnibus tribubus eos se distributurum, pollicitus est. quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in vrbem acciuerat. è qua pulsus, collegæ, optimatiumque viribus, cum in Campaniam tenderet, ex auctoritate senatus, consulatus ei abrogatus est, suffectusque in eius locum Lucius Cornelius Merula, flamen Dialis. HÆC INIVRIA HOMINE, quàm exemplo, dignior fuit. Tum Cinna, corruptis primo centurionibus, ac tribunis, mox etiam, spe largitionis, militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. is cum vniuersus in verba eius iurasset, retinens insignia consulatus patriæ bellum intulit, fretus ingenti numero nouorum ciuium, è quorum delectu trecentas amplius cohortes conscripserat, ac triginta legionum instar impleuerat. Opus erat partibus, auctoritate, gratia, cuius augendæ, Caium Marium, cum filio, de exsilio reuocauit quique cum iis pulsi erant. Dum bel-
XXI. lum autem infert patriæ Cinna, Cnæus Pompeius Magni pater (cuius præclara opera bello Marsico præcipue circa Picenum agrum, vt præscripsimus, vsa erat respublica, quique Asculum ceperat, circa quam vrbem, cum in multis aliis regionibus exercitus dispersi forent, quinque & septuaginta ciuium Romanorum, amplius sexaginta millia Italicorum vna die conflixerant) frustratus spe continuandi consulatus, ita se dubium, medium que partibus præstitit, vt omnia ex proprio vsu ageret, TEMPORIBVSQVE insidiari videretur, & huc atque illuc, vnde spes maior affuisset potentię, se, exercitumque deflecteret: sed, ad vltimum, magno atrocique prœlio, cum Cinna conflixit. Cuius commissi patratique sub ipsis mœnibus, sociisque vrbis Romanæ pugnantibus, spectantibusque quàm fuerit euentus exitiabilis, vix verbis exprimi potest. Post hoc, cum vtrumque exercitum, velut parum bello exhaustum, laceraret pestilentia, Cnæus Pompeius decessit: cuius interitus

voluptas, amissorum aut gladio, aut morbo ciuium pæne damno repensatata est: populusque Romanus, quam viuo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu duæ, seu tres Pompeiorum fuere familiæ, primus eius nominis, ante annos fere centum sexaginta octo, Quintus Pompeius cum Cnæo Seruilio consul fuit. Cinna & Marius, haud incruentis vtrimque certaminibus editis, vrbem occupauerunt: sed prior ingressus Cinna, de recipiendo Mario, legem tulit. Mox Caius Marius, pestifero ciuibus suis reditu, intrauit mœnia. XXII.
nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta. neque licentia immediocri sæuitum, sed excelsissimi quique eminentissimæ ciuitatis viri variis suppliciorum generibus affecti. in iis consul Octauius, vir lenissimi animi, iussu Cinnæ interfectus est. Merula autem, qui le sub aduentum Cinnæ consulis abdicauerat, incisis venis, superfusoque altaribus sanguine, quos sæpe pro salute reipublicæ flamen Dialis precatus erat deos, eos in exsecrationem Cinnæ, partiumque eius tum precatus, optime de republica meritum spiritum reddidit. Marcus Antonius, princeps ciuitatis, atque eloquentiæ, gladiis militum, quos ipsos FACVNDIA sua moratus erat, iussu Marij Cinnæque confossus est. Quintus Catulus, & aliarum virtutum, & belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cum ad mortem conquireretur, conclusit se loco nuper calce, arenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem magis voto, quam arbitrio inimicorum, obiit. Omnia erant præcipitia in republica, nec tamen adhuc quisquam inueniebatur, qui bona ciuis Romani aut donare auderet, aut petere sustineret. Postea id quoque accessit, vt SÆVITIÆ caussam auaritia præberet, & modus culpæ ex pecuniæ modo constitueretur, & qui fuisset locuples, fieret nocens, sui quisque periculi merces foret; nec quidquam videretur turpe, quod esset quæstuosum. Secundum deinde consulatum Cinna, & septimum Marius, IN PRIORVM XXIII.
dedecus, iniit; cuius initio, morbo oppressus, decessit, vir in bello hostibus, in otio ciuibus infestissimus, quietisque impatientissimus. In huius locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimæ legis auctor, qua creditoribus quadrantem solui iusserat: cuius facti merita eum pœna intra biennium consecuta est. Dominante in Italia Cinna, maior pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit. Sulla interim, cum Mithridatis præfectis, circa Athenas, Bœotiamque & Macedoniam, ita dimicauit, vt & Athenas reciperet, & plurimo circa multiplices Piræei portus munitiones labore expleto, amplius ducenta millia hostium interficeret, nec minus multa caperet. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ à Sulla sunt, imputat Athenienſibus, nimirum yeri, vetustatisque ignarus est. adeo enim certa Athenienſium in Romanos fides fuit, vt semper & in omni re, quidquid sincera fide gereretur, id Romani Attica fieri prædicarent. Ceterum tum oppressi Mithridatis armis homines MISERRIMÆ conditionis, cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, & animos extra mœnia, corpora, necessitati seruientes, intra muros habebant. Transgressus deinde in Asiam Sulla, parentem ante omnia, supplicemque Mithridatem inuenit, quem multatum pecunia ac parte nauium, Asia, omnibusque aliis prouinciis, quas armis occupauerat, decedere coegit: captiuos recepit: in
perfugas noxiosque animaduertit: paternis, id est Ponticis, finibus contentum esse iussit. Caius Flauius XXIV.
Fimbria, qui præfectus equitum ante aduentum Sullæ, Valerium Flaccum, consularem virum, interfecerat, exercituque occupato imperator appellatus, forte Mithridatem pepulerat prœlio, sub aduentu Sullæ seipse interemit, adolescens, quæ pessime ausus erat, fortiter exsecutus. Eodem anno Publius Lænas tribunus plebei Sextum Lucilium, qui priore anno tribunus plebei fuerat, saxo Tarpeio deiecit, &, cum collegæ eius, quibus diem dixerat, metu ad Sullam profugissent, aqua ignique iis interdixit. Tum Sulla, compositis transmarinis rebus, cum ad eum, primum omnium Romanorum, legati Parthorum veniſſent; & in iis quidam magi ex notis corporis respondissent, cælestem eius vitam, & memoriam futuram, reuectus in Italiam, haut plura, quam triginta armatorum millia aduersum ducenta millia amplius hostium exposuit Brundisij. Vix quidquam in Sullæ operibus clarius duxerim, quam quod, cum per triennium Cinnanæ, Marianæque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulauit, nec, quod erat in manibus, omisit; existimauitque, ANTE FRANGENDVM *hostem, quam vlciscendum eiuem; repulsoque externo metu, vbi, quod alienum esset, vicisset, superaret quod erat domesticum.* Ante aduentum Lucij Sullæ Cinna, seditione orta, ab exercitu interemptus est, vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quam iracundia militum. de quo vere dici potest, AVSVM
eum, quæ nemo auderet bonus, perfecisse, quæ à nullo, nisi fortissimo, perfici possent, & fuisse eum in consultando temerarium, in exsequendo virum. Carbo, nullo suffecto collega, solus toto anno consul fuit. Pu- XXV.
tares, Sullam venisse in Italiam, non belli vindicem, sed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriam, Apuliamque cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, vrbium, perduxit in Campaniam; tentauitque iustis legibus, & æquis conditionibus bellum componere: sed iis, QVIBVS ET pessima, & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere, Crescebat interim in dies Sullæ exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque, & sanissimo. Felici deinde circa Capuam euentu Scipionem Norbanumque Consules superat: quorum Norbanus, acie victus, Scipio, ab exercitu suo desertus, ac proditus, inuiolatus à Sulla dimissus est. adeo enim Sulla DISSIMILIS fuit bellator, ac victor, vt, dum vincit, mitissimo ac iustissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior, nam & Consul, vt prædiximus, exarmatum Quintum Sertorium (pro quanti mox belli facem!) & multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes: credo, vt in eodem homine duplicis, ac diuersissimi animi consperceretur exemplum. Post victoriam, qua descendens montem Tifata cum Caio Norbano concurrerat Sulla, grateis Dianæ, cuius numini regio illa sacrata est, soluit, aquas, salubritate, in medendisque corporibus, nobiles, agros omnes adduxit deæ. huius gratæ religionis memoria, & inscriptio, templi affixa posti, hodieque testatur ærea tabula. Interea deinde consules Carbo tertium & Caius Marius XXVI.
septies consulis filius, annos natus viginti sex, vir animi magis, quam æui paterni, multa fortiterque molitus, neque vsquam inferior nomine consulis, apud Sacriportum pulsus à Sulla acie, Prænestę, quod ante natura munitum præsidiis firmauerat, se, exercitumque contulit. Ne quid vnquam malis publicis deesset, IN QVA CIVITATE semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus, optimusque sibi videbatur; qui fuerat pessimus. quippe, dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus prætor Domitium Scævolam etiam pontificem maximum, & diuini, humanique iuris auctorem celebertimum, & Caium Carbonem prætorium, consulis fratrem, & Antistium ædilitium, velut fauentes Sullæ partibus, in curia Hostilia trucidauit. Non

perdat nobiliſſimi facti gloriam Calpurnia , Beſtiæ filia , vxor Antiſtij , quæ , iugulato , vt prædiximus;
viro , gladio ſeipſam transfixit. quantum huius gloriæ famæque acceſſit? NVNC virtute eminet , patria
XXVII. latet. At Pontius Teleſinus, dux Samnitium, vir domi , bellique fortiſſimus , penituſque Romano no-
mini infeſtiſſimus , contractis circiter quadraginta millibus fortiſſimæ pertinaciſſimæque in retinendis ar-
mis iuuentutis, Carbone , ac Mario conſulibus , abhinc annos quadraginta Kalendis Nouembribus , ita
ad portam Collinam cum Sulla dimicauit , vt ad ſummum diſcrimen & eum , & rempublicam perduce-
ret: quæ non maius periculum adijt , Hannibalis intra tertium miliarium caſtra conſpicata , quàm eo die;
quo circumuolans ordines exercitus ſui Teleſinus, dictitanſque *adeſſe Romanis vltimam diem* , vociferabatur
eruendam delendamque vrbem adijciens, *nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos* , *niſi ſilua* , *in quam refugere*
ſolerent , *eſſet exciſa.* Poſt primam demum horam noctis & Romana acies reſpirauit , & hoſtium ceſſit. Teleſi-
nus poſtera die ſemianimis repertus eſt , victoris magis, quam morientis , vultum præferens : cuius abſciſ-
ſum caput ferri geſtariq. circa Præneſte Sulla iuſſit. Tum demum , deſperatis rebus ſuis, Caius Marius ado-
leſcens per cuniculos, qui, miro opere fabricati, in diuerſas agrorum partes ferunt, conatus erumpere , cum
foramine è terra emerſiſſet, à diſpoſitis in id ipſum interemptus eſt. Sunt, qui ſua manu: ſunt, qui concurren-
tem mutuis ictibus cum minore fratre Teleſino, vna obſeſſo , & erumpente , occubuiſſe prodiderint. vt-
cumque cecidit , hodieque TANTA PATRIS imagine non obſcuratur eius memoria. de quo iuuene
quid exiſtimauerit Sulla, in promptu eſt. occiſo enim demum eo, Felicis nomen aſſumpſit : quod quidem
VSVRPASSET iuſtiſſime, ſi eundem & vincendi, & viuendi finem habuiſſet. Oppugnationi autem Præne-
ſtis ac Marii, præfuerat Ofella Lucretius: qui , cum ante Marianarum fuiſſet partium , prætor ad Sullam
transfugerat. Felicitatem diei, quo Samnitium, Teleſinique pulſus eſt exercitus , Sulla perpetua ludorum
XXVIII. Circenſium honorauit memoria, quibus ſine nomine Sullanæ victoriæ celebrantur. Paullo ante, quam
Sulla ad Sacriportum dimicaret , magnificis prœlijs partium eius viri hoſtium exercitum fuderant , duo
Seruilij apud Cluſium, Metellus Pius apud Fauentiam , Marcus Lucullus circa Fidentiam. Videbantur
finita belli ciuilis mala, cum Sullæ crudelitate aucta ſunt. quippe, dictator creatus, (cuius honoris vſurpa-
tio per annos centum viginti intermiſſa. nam proximus poſt annum quàm Hannibal Italia exceſſerat:
vti appareat populum Romanum vſum dictatoris non tam deſideraſſe, quàm timuiſſe poteſtatem im-
perij , quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam vſi fuerant) immodicæ crudelitatis li-
centia vſus eſt. Primus ille , & vtinam vltimus, exemplum proſcriptionis inuenit, vt, IN QVA CIVI-
TATE, petulantis conuicij iudiciũ hiſtrioni exoleto redditur , in ea iugulati ciuis reipublicæ conſtitueretur
auctoramentum: plurimumque haberet, qui plurimos interemiſſet: neque occiſi hoſtis , quàm ciuis , vbe-
rius foret præmium: fieretque quiſque merces mortis ſuæ. Nec tamen in eos, qui contra arma tulerant , ſed
in multos inſontes ſæuitum. adiectum etiam, vt bona proſcriptorum vænirent : excluſique paternis opibus
liberi, etiam petendorum honorum iure prohiberentur: ſimulque , quod INDIGNISSIMVM EST, ſena-
XXIX. torum filij & onera ordinis ſuſtinerent, & iura perderent. Sub aduentum in Italiam Lucij Sullæ, Cnæus
Pompeius, eius Pompeij filius , quem magnificentiſſimas res in conſulatu geſſiſſe bello Marſico, prædixi-
mus, viginti tres annos natus, abhinc annos centum tredecim priuatis vt opibus, ita conſilijs magna auſus,
magnificeque conata exſecutus, ad vindicandam reſtituendamque dignitatem patriæ , firmum ex agro Fice-
no, qui totus paternis eius clientelis refertus erat contraxit exercitum. cuius viri magnitudo multorum vo-
luminum inſtar exigit : ſed operis modus paucis eum narrari iubet. Fuit hic genitus matre Lucilia , ſtirpis
ſenatoriæ , forma excellens , non ea , qua flos commendatur ætatis, ſed ex dignitate , conſtantiaque in illam
conueniens amplitudinem , fortunam quoque eius, ad vltimum vitæ comitata eſt diem : innocentia exi-
mius, ſanctitate præcipuus, eloquentia medius: POTENTIÆ, quæ honoris cauſſa ad eum deferretur , non
vt ab eo occuparetur , cupidiſſimus: dux bello peritiſſimus : ciuis in toga (niſi vbi vereretur , ne quem ha-
beret parem) modeſtiſſimus : amicitiarum tenax, in offenſis exorabilis, in reconcilianda gratia fideliſſimus,
in accipienda ſatisfactione facillimus , POTENTIA ſua numquam , aut raro ad impotentiam vſus ,
pæne omnium votorum expers, niſi NVMERARETVR inter maxima , in ciuitate libera dominaque gen-
tium, indignari, cum omnes ciues iure haberet pares, quemquam æqualem dignitate conſpicere. Hic, à to-
ga virili aſſuetus commilitio prudentiſſimi ducis parentis ſui bonum, & capax recta diſcendi ingenium , ſin-
gulari rerum militarium prudentia excoluit.: vt à Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompeius timere-
XXX. tur validius. Tum Marcus Perperna prætorius, è proſcriptis, GENTIS clarioris, quàm animi , Sertorium
inter cenam Eroſcæ interemit, Romaniſque certam victoriam , partibus ſuis excidium, ſibi turpiſſimam
mortem peſſimo auctorauit facinore. Metellus & Pompeius ex Hiſpanis triumpharunt : ſed Pompeius,
hoc quoque triumpho, adhuc eques Romanus, ante diem, quàm conſulatum iniret, curru vrbem inuectus
eſt. quem virum, quis non miretur , per tot extraordinaria imperia in ſummum faſtigium vectum , iniquo
tuliſſe animo, Caij Cæſaris, in altero conſulatu petendo, ſenatum populumque Romanum rationem habe-
re? adeo FAMILIARE eſt hominibus , omnia ſibi ignoſcere, nihil aliis remittere: & inuidiam rerum non
ad cauſſam, ſed ad voluntatem, perſonaſque dirigere. Hoc conſulatu Pompeius tribunitiam poteſtatem re-
ſtituit, cuius Sulla imaginem in iure reliquerat. Dum Sertorianum bellum in Hiſpania geritur, ſexaginta, qua-
tuor fugitiui è ludo gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea vrbe gladijs, primo Veſu-
uium montem petiere, mox , creſcente in dies multitudine , grauibus variiſque caſibus affecere Italiam. quo-
rum numerus in tantum adoleuit , vt, qua vltimo dimicauere, quadraginta millia hominum ſe Romano ex-
ercitui oppoſuerint. Huius patrati gloria penes Marcum Craſſum fuit, mox Romanorum omnium princi-
pem. Conuerterat Cneii Pompeij perſona totum in ſe terrarum orbem , & per omnia maiore vi habe-
XXXI. batur, qui cum conſul perquam laudabiliter iuraſſet, *ſe in nullam prouinciam ex eo magiſtratu iturum*, idque ſerua-
ſet, poſt biennium Aulus Gabinius tribunus legem tulit, vt cum belli more, non latrociniorum, orbem claſſi-
bus iam, non furtiuis expeditionibus , piratæ terrerent, quaſdam etiam Italiæ vrbes diripuiſſent: Cnæus Pom-
peius ad eos opprimendos mitteretur, eſſetque ei imperium æquum in omnibus prouinciis cum proconſuli-
bus, vſque

bus vſque ad quinquageſimum miliarium à mari, quo Senatuſconſulto pene TOTIVS terrarum orbis impe-
rium vni viro deferebatur: ſed tamen idem hoc ante biennium in Marci Antonii prætura decretum erat. ſed
interdum perſona , vt exemplo nocet, ita inuidiam auget, aut leuat. in Antonio homines æquo animo paſſi
erant. raro enim inuidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur. contra, in iis homines extraordina-
ria reformidant , qui ea ſuo arbitrio aut depoſituri , aut retenturi videntur , & modum in voluntate habent.
Diſſuadebant optimates : ſed conſilia impetu victa ſunt Digna eſt memoria Quinti Catuli cum auctoritas
tum verecundia: qui cum diſſuadens legem, in concione dixiſſet, eſſe quidem præclarum virum Cnæum Pom-
peium, ſed nimium iam liberæ reipublicæ neque omnia in vno reponenda, adieciſſetque , Si quid huic acci-
derit , quem in eius locum ſubſtituetis? ſucclamauit vniuerſa concio Te , Quinte Catule. Tum ille , victus
conſenſu omnium, & tam honorifico ciuitatis teſtimonio, è concione diſceſſit. Hic hominis verecundiam,
populi iuſtitiam mirari libet: huius quod non vltra contendit, plebis, quod diſſuadentem, & aduerſarium vo-
luntatis ſuæ, vero teſtimonio fraudare noluit. Per idem tempus Cotta iudicandi munus, quod Caius XXXII.
Gracchus, ereptum ſenatui , ad equites, Sulla ab illis ad ſenatum tranſtulerant , æqualiter inter vtrumque or-
dinem partitus eſt. & Otho Roſcius lege ſua equitibus in theatro loca reſtituit. At Cnæus Pompeius ,
multis & præclaris viris in id bellum aſſumptis, deſcriptoque in omnes receſſus maris præſidio nauium , bre-
ui, inexſuperabili manu terrarum orbem liberauit, prædoneſque per multa prœlia multis locis victos , circa
Ciliciam claſſe aggreſſus, fudit ac fugauit. &, quo maturius bellum , tam late diffuſum, conficeret , reliquias
eorum contractas , in vrbibus , remotoque à mari loco, incerta ſede conſtituit. Sunt, qui hunc carpant.
ſed , quamquam in auctore ſatis rationis eſt, tamen ratio quemlibet magnum auctorem faceret. data enim
facultate, ſine rapto viuendi, rapinis arcuit. Cum eſſet in fine bellum Piraticum, & Lucius Lucullus, XXIII.
(qui, ante ſeptem annos ex conſulatu ſortitus Aſiam , Mithridati oppoſitus erat, magnaſque ac memorabiles
res ibi geſſerat , Mithridatem ſepe multis locis fuderat egregia Cyzicum liberarat victoria, Tigranem ,
regum maximum , in Armenia vicerat , vltimamque bello manum pæne magis noluerat imponere , quàm
non potuerat, qui , alioqui PER OMNIA laudabilis, & bello pæne inuictus , pecuniæ expellebatur cupidi-
ne) idem bellum adhuc adminiſtraret, Manilius tribunus plebei ſemper vænalis , & alienæ miniſter po-
tentiæ, legem tulit, vt bellum Mithridaticum per Cnæum Pompeium adminiſtraretur. Accepta ea magniſ-
que certatum inter imperatores iurgijs, cum Pompeius Lucullo infamiam pecuniæ, Lucullus Pompeio in-
terminatam cupiditatem obijceret imperij, neuterque ab eo , quod arguebatur , mentitus argui poſſet. nam
neque Pompeius , vt primum ad rempublicam aggreſſus eſt quemquam animo parem tulit : & IN
QVIBVS rebus primus eſſe debebat, ſolus eſſe cupiebat. neque eo viro quiſquam aut alia omnia minus , aut
gloriam magis concupiit. in appetendis honoribus immodicus , in gerendis verecundiſſimus : vt qui eos,
vt libẽtiſſime iniret, ita finiret æquo animo: & quod cupiſſet arbitrio ſuo ſumere, alieno deponeret. & Lucullus
ſummus alioqui vir, profuſæ huius in ædificiis conuictibuſque & apparatibus luxuriæ primus auctor fuit: quem
ob iniectas moles mari, & receptum ſuffoſſis montibus in terras mare , haud infacete Magnus Pompeius
XERXEM TOGATVM vocare aſſueuerat. Per id tempus à Quinto Metello Creta inſula in po- XXXIV.
puli Romani poteſtatem redacta eſt , quæ , ducibus Panare , & Laſthene, viginti quatuor millibus iuue-
num coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientiſſimis, ſagittarum vſu celeberrimis, per
triennium Romanos exercitus fatigauerat. Ne ab huius quidem vſura gloriæ temperauit animum Cnæus
Pompeius, quin victoriæ partem conaretur vindicare. ſed & Luculli & Metelli triumphum cum ipſorum
ſingularis virtus , tum etiam inuidia Pompeij apud optimum quemque fecit fauorabilem. Per hæc
tempora *M. Cicero* , qui OMNIA incrementa ſua ſibi debuit, vir nouitatis nobiliſſimæ, &, vt vita clarus , ita
ingenio maximus, qui effecit , ne, quorum arma viceramus , eorum ingenio vinceremur: conſul, Sergij
Catilinæ , Lentulique , & Cethegi , & aliorum vtriuſque ordinis virorum coniurationem ſingulari virtute,
conſtantia, vigilia, curaque eripuit. Catilina metu conſularis imperij vrbe pulſus eſt. Lentulus conſularis,
& prætor iterum, Cethegusque, & alii , clari nominis viri , auctore ſenatu , iuſſu conſulis , in carcere necati
ſunt. Ille ſenatus dies, quo hæc acta ſunt, virtutem Marci Catonis, iam multis in rebus conſpicuam, XXXV.
atque prænitentem, altiſſime inluminauit. Hic genitus proauo Marco Catone. principe illo familiæ Porciæ, ho-
mo VIRTVTI ſimillimus, & per omnia ingenio diis, quàm hominibus , propior, qui numquam recte fe-
cit, vt facere videretur , ſed quia aliter facere non poterat: cuique id ſolum viſum eſt rationem habere,
quod haberet iuſtitiam, omnibus humanis vitiis immunis , ſemper fortunam in ſua poteſtate habuit. hic
tribunus plebei deſignatus , admodum adoleſcens , cum alii ſuaderent, vt per municipia Lentulus coniu-
ratique cuſtodirentur, pæne inter vltimos interrogatus ſententiam, tanta vi animi atque ingenii, inuectus eſt
in coniurationem , vt ardore oris orationem omnium, lenitatem ſuadentium ſocietate conſilii , ſuſpectam
fecerit: ſic impendentia ex ruinis incendiiſque vrbis, & commutatione ſtatus publici pericula expoſuit,
ita Conſulis virtutem amplificauit, vt vniuerſus ſenatus in eius ſententiam tranſiret , ANIMAD-
VERTENDVMQVE IN EOS, quos prædiximus, cenſeret , maiorque pars ordinis eius Catonem proſeque-
rentur domum. At Catilina non ſegnius nota obiit , quàm ſceleris conandi conſilia inierat : quippe , XXXVI.
fortiſſime dimicans, quem ſpiritum ſupplicio debuerat, ſupplicio reddidit. Conſulatui Ciceronis
non mediocre adiecit decus natus eo anno DIVVS AVGVSTVS abhinc annos octuaginta duos , omni-
bus omnium gentium viris magnitudine ſua inducturus caliginem. Iam pæne ſuperuacaneum videri poteſt,
eminentium ingeniorum notare tempora. quis enim ignorat diremptos gradibus ætatis floruiſſe hoc tempo-
re Ciceronem, Hortenſium, ſaneque Craſſum, Catonem, Sulpicium , moxque Brutum, Calidium, Cœlium,
Caluum & proximum Ciceroni Cæſarem: eorumque velut alumnos Coruinum, ac Pollionẽ Aſinium, æmu-
lumque Thucydidis Salluſtium, auctoreſque carminum Varronem , ac Lucretium, neque vllo in ſuſcepti
operis ſui carmine minorem Catullum. Pæne ſtulta eſt, inhærentium oculis ingeniorum enumeratio, inter quæ
maxime noſtri æui eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriuſque, & conſecutus Salluſtium Liuius. Ti-
bulluſque, & Naſo, perfectiſſime in forma operis ſui. Nam VIVORVM vt magna admiratio, ita cenſura diffici-
lis eſt. Dum hæc in vrbe , Italiaque geruntur, Cnæus Pompeius memorabile aduerſus Mithridatem qui poſt XXXVII

Luculli profectionem magnas noui exercitus vires reparauerat, bellum gessit. Attrex, fusus fugatusque & omnibus exsutus copiis, Armeniam Tigranemque socerum petit, regem eius temporis, nisi quia Luculli armis erat infractus, potentissimum. Simul itaque duos persecutus Pompeius, intrauit Armeniam. prior filius Tigranis, sed discors patri, peruenit ad Pompeium, mox ipse supplex, & præsens se regnumque ditioni eius permisit: præfatus *neminem alium, neque Romanum, neque Vllius gentis virum, futurum fuisse, cuius se societati commissurus foret quã Cnæum Pompeium: proinde omnẽ sibi vel aduersã vel secundã, cuius auctor ille esset, fortunã tolerabilem futuram: non esse turpe, ab eo vinci, quem vincere esset nefas: neque ei inhoneste aliquem summitti, quem fortuna superomnes extulisset.* Seruatus regi honos imperij, sed multato ingenti pecunia: quæ omnis, sicuti Pompeio moris erat, redacta in quæstoris potestatem, ac publicis descripta litteris Syria, aliæque quas occupauerat, prouinciæ, ereptæ, & aliæ restitutæ populo Romano, aliæ tum primum in eius potestatem redactæ, vt Syria, quæ tum primum facta est stipendiaria. Finis imperij regis terminatus Armenia. Haud absurdum videtur proposita operis regulæ paucis percurrere, quæ cuiusque ductu gens, ac natio redacta in formulam prouinciæ, stipendia pacta sit notauimus facilius, vt quæ partibus simul vniuersa conspici possint. Primus in *Siciliam* transiecit exercitum consul Claudius, & prouinciam eam, post annos ferme quinquaginta duos, captis Syracusis, fecit Marcellus Claudius. Primus *Africam* Regulus. nono ferme anno primi Punici belli: sed post ducentos quattuor annos. P. Scipio Æmilianus, erura Carthagine, abhinc annos centum octuaginta duos Africam in formulam redegit prouinciæ. *Sardinia* inter primum & secundum bellum Punicum, ductu Titi Manlii consulis, certum recepit imperii iugum. IMMANE bellicæ ciuitatis argumentũ, quod semel sub regibus, iterum hoc Tito Manlio consule, tertio Augusto principe, certæ pacis argumentum Ianus Geminus clausus dedit. In *Hispanias* primi omnium duxere exercitus Gnæij & Publij Scipiones, initio secundi belli Punici, abhinc annos ducentos quinquaginta. inde varie possessa, & sæpe amissa partibus, vniuersa, ductu Augusti, facta stipendiaria est. *Macedoniam* Paullus, Mummius *Achaiam*, Fuluius Nobilior subegit, *Ætoliam: Asiæ* Lucius Scipio, Africani frater, eripuit Antiocho: sed beneficio senatus, populique: Romani mox ab Attalis possessam regibus Marcus Perperna, capto Aristonico, fecit tributariam. *Cypro* deuicta, nullis affligenda gloria est. quippe Senatusconsulto, ministerio Catonis, regis morte, quam ille CONSCIENTIA acciuerat, facta prouincia est. *Creta*, Metelli ductu, longissimæ libertatis fine multata. Et *Syria Pontusque* Cnæi Pompeii virtutis monumenta sunt. *Gallias* primum Domitio Fabio nepote Paulli qui Allobrogicus vocatus est, INTRAS cũ exercitu magna mox clade nostra, sæpe & affectatimus, & amisimus. sed fulgentissimum Caij Cæsaris opus in iis conspicitur: quippe, eius ductu, auspiciisque infractæ, pæne idem, quod totus terrarum orbis, IGNAVVM conferunt stipendium. Ab eodem facta Numidicus *Ciliciam* perdomuit, visa vicisset post bellum Antiochinum Vulso Manlius *Gallogræciam*, *Bithynia*, vt prædiximus, testamento Nicomedis relicta hereditaria. Diuus Augustus, præter Hispanias, aliasque gentes, quarum titulis forum eius præniter, pene idem, facta *Ægypto* stipendiaria, quantum pater eius Gallia, in ærarium reditus contulit. At Tiberius Cæsar, quam certam Hispanis parendi confessionem etorserat, parem Illyriis, Dalmatisque extorsit. *Rhætiam* autem, & *Vindelicos*, ac *Noricos*, *Pannoniamque*, & Scordiscos nouas imperio nostro subiunxit prouincias. Vt has armis, ita auctoritate *Cappadociam* populo Romano fecit stipendiariam. Sed reuertamur ad ordinem.

Secuta deinde Cneij Pompeij militia, gloriæ, laborisne maioris, incertum est. Penetratæ cum victoria Media, Albania, Hiberia: ac deinde flexum agmen ad eas nationes, quæ dextra, atque intima Ponti incolunt, Colchos, Heniochosque, & Achæos, &, oppressus auspiciis Pompeij, insidiis filii Pharnacis, Mithridates, vltimus omnium iuris sui regum, præter Parthicos. Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius, suoque & ciuium voto maior, & per omnia fortunam hominis egressus, reuertit in Italiam, cuius reditum FAVORABILEM opinio fecerat. quippe plerique, non sine exercitu venturum in vrbem, affirmabant, & libertati publicæ statuturum arbitrio suo modum. Quo magis hoc homines timuerant, eo gratior ciuilis tanti imperatoris reditus fuit. omni quippe Brundisii dimisso exercitu, nihil, præter nomen imperatoris retinens, cum priuato comitatu, quem semper illi vacare moris fuit, in vrbem rediit: magnificentissimumque de tot regibus per biduum egit triumphum: longeque maiorem omni ante se inlata pecunia in ærarium, præterquam à Paullo, ex manubiis intulit. absente Cneio Pompeio, Tito Ampius, & Tito Labienus tribuni plebei legem tulerunt, vt is ludis Circensibus corona aurea, & omni cultu triumphantium veteretur, scenicis autem prætexta, coronaque aurea. id ille non plus, quàm semel (& hoc sane nimium fuit) vsurpare sustinuit. Huius viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit, vt primum ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia, triumpharet: & quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriæ suæ. NVMQVAM eminentia inuidia carent. Itaque & Lucullus, memor tamen acceptæ iniuriæ, & Metellus Creticus, non iniuste quærens, quippe, ornamentum triumphi eius, captiuos duces Pompeius subduxerat) & cum ijs pars optimatium refragabatur, ne aut promissa ciuitatibus à Pompeio, aut benemeritis præmia, ad arbitrium eius, persoluerentur. Secutus deinde est consulatus Caij Cæsaris, qui scribenti manum iniicit, &, quamlibet festinantem, in se morari cogit. hic nobilissima Iuliorum genitus familia, &, quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise, ac Venere deducens genus, forma OMNIVM ciuium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentiæ effusissimus, animo super humanam & naturam, & fidem euectus, magnitudine cogitationum, celeritate belandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo, simillimus: qui denique semper & SOMNO, & cibo in vitam, non in voluptatem, veteretur cum fuisset Caio Mario sanguine coniunctissimus, atque idem Cinnæ gener: cuius filiam vt repudiaret, nullo modo compelli potuit: cum Marcus Piso consularis Anniam, quæ Cinnæ vxor fuerat, in Sullæ dimisisset gratiam: habuissetque fere octodecim annos, eo tempore, quo Sulla rerum potitus est, magis ministris Sullæ, adiutoribusque partium, quàm ipso, conquirentibus eum ad necem, mutata veste dissimilemque fortunæ suæ indutus habitum, nocte vrbe elapsus est. Idem postea admodum iuuenis, cum à piratis captus esset, ita se per omne spatium, quo ab iis retentus est, apud eos gessit, VT PARITER ijs terrori veneratione que esset: neque vnquam aut nocte, aut die (cur enim, quod vel maximum est, si narrari verbis speciosis non potest, omittatur?) aut

excalcearetur, aut discingeretur: in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus iis, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret. Longum est narrare, quid, & quoties ausus, sit, quanto opere conata eius qui obtinebat Asiam magistratus populi Romani motu suo destituerit: illud referatur, documentum tanti mox euasuri viri. Quæ nox eam diem secuta est, quã publica ciuitatium pecunia redemptus est, (ita tamen, vt cogeret, ante obsides à piratis ciuitatibus dari) contracta classe, & priuatus, & tumultuaria, inuectus in eum locum, in quo ipsi prædones erant, partem classis fugauit, partem mersit, aliquot naues, multosque mortales cepit: lætusque nocturnæ expeditionis triumpho, ad suos reuersus est, mandatisque custodiæ, quos ceperat, in Bithyniam perrexit, ad proconsulem Iunium, (cum idem enim Asiam eam quam obtinebat) petens, vt auctor fieret sumendi de captiuis supplicij. quod cum ille, se facturum negasset, venditurumque captiuos dixisset, (quippe SEQVERATVR inuidia inertiam) incredibili celeritate reuectus ad mare, prius, quàm de ea re vlli proconsulis redderentur epistolæ, omnes, quos ceperat, suffixit cruci. Idem mox ad sacerdotium ineundum (quippe absens pontifex factus erat, cum in Cortæ consularis locum pæne puer à Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus, victoria Sullæ, qui omnia ab ijs acta fecerat irrita, amisisset id sacerdotium) festinans in Italiam, ne conspiceretur à prædonibus, omnia tunc obtinentibus maria, & merito iam infestis sibi, quattuor scalmorum nauem, vna cum duobus amicis, decemque seruis, ingressus, effusissimum Hadriatici maris transiecit sinum. Quo quidem in cursu conspectis, vt putabat, piratarum nauibus, cum exsuisset vestem, alligassetque pugionem ad femur, alterutri se fortunæ parans, mox intellexit, frustratum esse visum suum, arboremque ex longinquo ordinem antemnarum præbuisse imaginem. Reliqua eius acta in vrbe nobilissimaque Dolabellæ accusatio, & maior ciuitatis in ea fauor, quàm, reis præstari solet: contentionesque ciuiles, cum Quinto Catulo, atque aliis eminentissimis viris, celeberrimæ: & ante præturam victus, maximi pontificatus petitione, Quintus Catulus, omnium confessione senatus princeps: & restituta in ædilitate, aduersante quidem nobilitate, monumenta Caij Marij: simulque REVOCATI ad ius dignitatis proscriptorum liberi: & prætura quæsturaque mirabili virtute, atque industria obita in Hispania, cum esset quæstor sub Vetere Antistio, auo huius Veteris, consularis atque pontificis, duorum consularium, & sacerdotum patris, viri INTANTVM boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest: quo notiora sunt, minus egent stylo. Hocigitur consule, inter eum, & Cnæum Pompeium & Marcum Crassum inita potentiæ societas, quæ vrbi orbique terrarum, nec minus diuerso quoque tempore, ipsis exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius caussam habuerat, vt tandem acta in trãsmarinis prouinciis, quibus, vt prædiximus, multi obtrectabant, per Cæsarem confirmarentur consulem. Cæsar autem, quod animaduertebat se, CEDENDO Pompeii gloriæ, aucturum suam, &, inuidia communis potentiæ in illum relegata, confirmaturum vires suas: Crassus, vt quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompeij, viribus, teneret Cæsaris. Affinitas etiam inter Cæsarem, Pompeiumque contracta nuptiis. quippe filiani Caij Cæsaris Cneius Magnus duxit vxorem. In hoc consulatu Cæsar legem tulit, *Vt ager Campanus plebei diuideretur*, suasore legis Pompeio. ita circiter viginti millia ciuium eò deducta, & ius ab his restitutum post annos circiter centum quinquaginta duos, quàm bello Punico ab Romanis *Capua* in formam præfecturæ redacta erat: Bibulus collega Cæsaris, cum actiones eius magis vellet impedire, quàm posset, maiore parte anni domi se tenuit. quo facto, dum augere vult inuidiam collegæ, auxit potentiam. Tum Cæsari decretæ in quinquennium Galliæ. Per idem tempus Publius Clodius, homo nobilis, disertus, audax, qui neque dicendi, neque faciendi, vllum, nisi quem vellet, nosset modum malorum propositorum exsecutor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, & actus incesti reus, ob initum inter religiosissima Populi Romani sacra adulterium: cum graues inimicitias cum Marco Cicerone exercueret, (quid enim INTER tam dissimiles amicum esse poterat?) & à Patribus ad plebem transiret, legem in tribunatu tulit: *Qui ciuem Romanum damnatum interemisset, ei aqua & igni interdiceretur.* Cuius verbis, etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. ita vir optime meritus de republica conseruatæ patriæ pretium calamitate exsilij tulit. Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Cæsar & Pompeius. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter viginti viros diuidendo agro Campano esse noluisset. Idem intra biennium, sera Cnæi Pompeij cura, verum & cupito interitu, votisque Italiæ, ac decretis senatus, virtute atque actione Annij Milonis, tribuni plebei dignitati patrieque restitutus est. Neque, post Numidici exsilium, aut reditum, quisquam aut expulsus inuidiosius, aut receptus est lætius. Cuius domus, quam infeste à Clodio disiecta erat, tam speciose à senatu restituta est. Idem Publius Clodius in senatu, sub honorificentissimo ministerii titulo, Marcum Catonem à republica relegauit. quippe legem tulit, *Vt is quæstor cum iure prætorio, adiecto etiam quæstore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolomæum*, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum. sed ille, sub aduentum Catonis, vitæ suæ vim intulit: vnde pecuniam longe sperata maiorem Cato Romam retulit: cuius integritatem laudari, nefas est, insolentia pæne argui potest, quod, vna cum consulibus ac senatu effusa ciuitate, obuiam cum per Tiberim subiret nauibus, non ante is egressus est, quàm ad eum locum peruenit, vbi erat exponenda pecunia.

Cum deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas, Caius Cæsar in Gallia ageret: nec contentus plurimis, ac felicissimis victoriis, innumerabilibusque cæsis, & captis hostium millibus, etiam in Britanniam transiecisset exercitum, alterum pene imperio nostro, ac suo quærens orbem: inuictum par consulum Cnæus Pompeius, & Marcus Crassus, alterum iniere consulatum, qui neque petitus honeste ab his, neque probabiliter gestus est. Cæsari, lege quam Pompeius ad populum tulit, prorogatæ in idem spatium temporis prouinciæ: Crasso, bellum Parthicum in animo molienti, Syria decreta. qui vir, CETERA sanctissimus, immunisque voluptatibus, neque in pecunia, neque in gloria concupiscenda aut modum norat, aut capiebat terminum. hunc proficiscentem in Syriam diris cum ominibus, tribuni pl. frustra retinere conati. quorum exsecrationes si in ipsum tantummodo valuissent, vtile imperatoris damnum saluo exercitu fuisset reip. Transgressum Euphratem Crassum, petentemque Seleuciam, circumfusis immanibus copiis equitum, rex Orodes vna cum parte maiore Romani exercitus interemit. reliquias legionum Caius Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tum quæstor, conseruauit:

Syriamque adeo in Pop. Romani potestate retinuit, vt transgressos in eam Parthos, felici rerum euentu
XLVII. fugaret, ac funderet. Per hæc, insequentiaque, & quæ prædiximus, tempora, amplius quadraginta millium hostium à Caio Cæsare cæsa sunt, plura capta. pugnatum sæpe directa acie, sæpe in agminibus; sæpe eruptionibus. bis penetrata Britannia. nouem denique æstatibus, vix vlla non iustissimus triumphus emeritus. Circa Alexiam vero tantæ res gestæ, quantas audere, vix hominis: perficere, pæne nullius, nisi dei, fuerit. Septimo ferme anno Cæsar morabatur in Gallis, cum medium iam ex inuidia Pompeii male cohærentis inter Cnæum Pompeium, & Caium Cæsarem concordiæ pignus, Iulia, vxor Magni, decessit: atque omnia inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortuna, filius quoque paruus Pompeij, Iulia natus, intra breue spatium obiit. Tum, in gladios, cædesque ciuium furente ambitu, cuius neque finis reperiebatur, nec modus tertius consulatus soli Cneio Pompeio, etiam aduersantium antea dignitati eius iudicio, delatus est cuius ille honoris gloria, veluti reconciliatis sibi optimatibus, maxime à Caio Cæsare alienatus est. sed eius consulatus omnem vim in coercitionem ambitus exercuit. Quo tempore Publius Clodius, à Milone, candidato consulatus, EXEMPLO inutili facto salutari reip. circa Bouillas, contracta ex occursu rixa, iugulatus est. Milonem reum non magis inuidia facti, quàm Pompeii damnauit voluntas. quem quidem Marcus Cato palam lata absoluit sententia.
XLVIII. quam SI MATVRIVS tulisset, non defuissent, qui sequerentur exemplum: probarentque eum ciuem occisum, quo nemo pernicioſior reipublicæ, neque bonis inimicior vixerat. Intra breue deinde spatium belli ciuilis exarserunt initia, cum iustissimus quisque & à Cæsare, & à Pompeio vellet dimitti exercitus. quippe Pompeius in secundo consulatu Hispanias sibi decerni voluerat, easque per triennium absens ipse, ac præsidens vrbi, per Afranium, & Petreium, consularem, ac prætorium, legatos suos administrabat: & iis, qui à Cæsare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur: iis, qui ab ipso quoque, aduersabatur. qui si ante biennium, quàm ad arma itum est, perfectis muneribus theatri, & aliorum operum, quæ ei circumdedit, grauissima tentatus valetudine, decessisset in Campania, (quo quidem tempore vniuersa Italia vota pro salute eius, primo omnium ciuium, suscepit) defuisset fortunæ destruendi eius locus: & quam apud superos habuerat magnitudinem, inlibatam detulisset ad inferos. Bello autem ciuili, & tot, quæ deinde, per continuos viginti annos consecuta sunt, malis, non alius maiorem flagrantioremque quàm Caio Curio, tribunus plebei subiecit facem, vir nobilis, eloquens, audax, suæ, alienæque, & fortunæ, & pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissime nequam, & FACVNDVS malo publico cuius animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes vllæ, neque cupiditates sufficere possent. hic primo pro Pompeii partibus, id est, vt tunc habebatur, pro republica, mox simulatione, contra Pompeium & Cæsarem, sed animo pro Cæsare steterit, id gratis, an accepto centies sestertium, fecerit, vt accepimus, in medio relinquemus. ad vltimum, salubertimas, & coalescentis condiciones pacis, quas & Cæsar iustissimo animo postulabat, & Pompeius æquo recipiebat, discussit, ac rupit: vnicè cauente Cicerone concordiæ publicæ. Harum, præteritarumque rerum ordo cum iustis aliorum voluminibus promitur, tum, vti spero, nostris explicabitur.
XLIX. Nunc proposito operi sua forma reddatur, si prius gratulatus ero Quinto Catulo, duobus Lucullis, Metelloque & Hortensio: qui cum sine inuidia in republica floruissent, eminuissentque sine periculo: quieta, aut certe non præcipitata, fatali ante initium bellorum ciuilium morte functi sunt. Lentulo, & Marcello Consulibus, post vrbem conditam annis septingentis tribus, & anno octuagesimo octauo, quam tu, Marce Vinici, consulatum inires, bellum ciuile exarsit. Alterius ducis caussa melior videbatur, alterius erat firmior. hic omnia speciosa, illic valentia. Pompeium senatus auctoritas, Cæsarem militum armauit fiducia. Consules, senatusque caussæ, non Pompeio, summam imperii detulerunt. NIHIL relictum à Cæsare quod seruandæ pacis caussa, tentari posset. nihil receptum à Pompeianis: cum alter consul iusto esset ferocior: Lentulus vero salua republica saluus esse non posset: Marco autem Cato *moriendum ante, quàm vllam condicionem ciuis accipiendam reipublicæ*, contenderet. VIR ANTIQVVS & grauis, Pompeij partes laudaret magis prudens sequeretur Cæsaris: & illa glorioſa, hæc terribiliora duceret. Vt deinde, spretis omnibus, quæ Cæsar postulauerat, tantummodo, *contentus cum vna legione titulum retinere prouinciæ, priuatus in vrbem veniret, & se in petitione consulatus suffragiis Populi Romani committeret*, decreuere: ratus bellandum Cæsar, cum exercitu Rubiconem transiit: Cnæus Pompeius, consulesque, & maior pars senatus, relicta vrbe, ac deinde Italia, transmisere Dyrrhachium. At Cæsar Domitio, legionibusque Corfinij, quæ vna cum
L. eo fuerant, potitus, duce aliisque, qui voluerant abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis, persecutus Brundisium, ita vt appareret, MALLE INTEGRIS rebus, & condicionibus finire bellum, quàm opprimere fugientes, cum transgressos reperisset Consules, in vrbem reuertit: redditaque ratione consiliorum suorum in senatu & in concione, ac miserrimæ necessitudinis, cum ALIENIS armis ad arma compulsus esset, Hispanias petere decreuit. Festinationem itineris eius aliquamdiu morata Massilia est: FIDE MELIOR, quàm consilio, prudentior: intempestiue principalium armorum arbitria captans, quibus ii se debent interponere, qui non parentem coercere possunt. Exercitus deinde, qui sub Afranio consulari, ac Petreio prætorio fuerat, ipsius aduentu vigore, ac fulgore occupatus, se Cæsari tradidit, vterque legatorum,
LI. & quisquis cuiusque ordinis sequi eos voluerat, remissi ad Pompeium. Proximo anno, cum Dyrrhachium, ac vicina ei vrbi regio, castris Pompeij teneretur, (qui, accitis ex omnibus transmarinis prouinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regumque & tetrarcharum, simulque dynastarum copiis, immanem exercitum confecerat, & mare præsidiis classium, vt rebatur, sæpserat, quo minus Cæsar legiones posset transmittere) sua & celeritate, & fortuna C. Cæsar visus, nihil in mora habuit, quo minus &, cum vellet, ipse, exercitusque classibus peruenire, & primo pæne castris Pompeii sua iungeret, mox etiam obsidione munimentisque eum complecteretur. Sed inopia obsidentibus, quàm obsessis, erat grauior. Tum Balbus Cornelius, EXCEDENTE humanam fidem temeritate, ingressus castra hostium, sæpiusque cum Lentulo collocutus consule, dubitante quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hispaniæ suæ natus, sed Hispanus in triumphum, & pontificatum assurgeret, fieretque ex priuato consularis. Variatum deinde præliis, sed vno longe magis Pompeianis prospero, quo grauiter impulsi sunt Cæ-

saris milites. Tum Cæsar cum exercitu fatalem victoriæ suæ Thessaliam petiit. Pompeius, longe diuersa alijs suadentibus, (quorum plerique hortabantur, vt in Italiam transmitteret: neque hercules quidquam partibus illis salubrius fuit: alij vt bellum traheret, quod dignatione partium indies ipsis magis prosperum fieret) vsus impetu suo, hostem secutus est. Aciem Pharsalicam, & illum cruentissimum Romano nomini diem, tantumque vtriusque exercitus profusum sanguinis, & collisa inter se duo reipublicæ capita, effusumque alterum Romani imperij lumen, tot talesque Pompeianarum partium cæsos viros, non recipit enarranda hic scripturæ modus. Illud notandum est: vt primum Caius Cæsar inclinatam vidit Pompeianorum aciem, neque prius, neque antiquius quidquam habuit, quàm in omnes partes (vt militari & verbo, & consuetudine vtar) dimitteret. Pro dij immortales, quod huius voluntatis erga Brutum suæ postea vir tam mitis pretium tulit: Nihil illa victoria mirabilius, magnificentius, clariusque fuit: quando NEMINEM, nisi acie consumptum, ciuem patria desiderauit: sed munus misericordiæ corLII. rupit pertinacia, cum LIBENTIVS vitam victor iam daret, quàm victi acciperent. Pompeius, profugiens cum duobus Lentulis consularibus, Sextoque filio, & Fauonio prætorio, quos victores darent comites ei fortuna aggregauerat, aliis vt Parthos, aliis vt Africam peteret, (in qua fidelissimum partium suarum haberet regem Iubam) suadentibus, Ægyptum petere proposuit memor beneficiorum, quæ in patrem eius Ptolomæi, qui tum puero, quàm iuueni, propior regnabat Alexandriæ, contulerat. Sed quis in aduersis beneficiorum seruat memoriam? aut quis vllam calamitatis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Missi itaque ab rege, qui venientem Cnæum Pompeium (is iam à Mitylenis Corneliam vxorem receptam in nauem, fugæ comitem habere cœperat) consilio Theodoti, & Achillæ exciperent, hortarenturque, vt ex oneraria in eam nauem, quæ obuiam processerat, transcenderet, quod cum fecisset, princeps Romani nominis, imperio, arbitrioque Ægyptij mancipij, Caio Cæsare, Publio Seruilio Consulibus, iugulatus est. Hic, post tres consulatus, & totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, sanctissimi, ac præstantissimi viri, in id euecti: super quod ascendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro à se DISCORDANTE fortuna, vt, cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Quid aliud, quàm nimium occupatos dixerim, quos in ætate & tanti, & pæne nostri seculi, viri fefellit quinquennium? cum à Caio Atilio, & quinto Seruilio consuLIII. bus tam facilis esset annorum digestio. quod adieci, non vt arguerem, sed ne arguerer. Non fuit maior in Cæsarem, quàm in Pompeium fuerat, regis eorumque, quorum is auctoritate regebatur, fides. quippe cum venientem eum tentassent insidiis, ac deinde bello lacessere auderent, vtrique summo imperatorum, alteri superstiti meritas pœnas luere supplicijs. Nusquam erat Pompeius corpore, adhuc vbique Iubæ nomine: quippe ingens partium eius fauor bellum excitauerat Africum. quod ciebat rex Iuba, & Scipio, vir consularis; ante biennium, quàm exstingueretur Pompeius, lectus ab eo socer, eorumque copias auxerat Marcus Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia, perductis ad eos legionibus:
LIV. qui vir cum summum ei à militibus deferretur imperium, HONORATIORI parere maluit. Admonet promissæ breuitatis fides quanto omnia transcursu dicenda sint. Sequens fortunam suam Cæsar, peruectus in Africam, quam occiso Curione, Iulianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus, ibi primo varia fortunam expugnauit via, inclinatæque hostium copiæ. Nec dissimilis ibi aduersus victos quàm in priores, clementia Cæsaris fuit. Victorem Africani belli Caium Cæsarem gratius excepit Hispaniense, (nam victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriæ eius adstruxit) quod Cneius Pompeius, Magni filius, adolescens, impetus ad bella maximi, ingens ac terribile conflauerat, vndique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium, ex toto orbe terrarum auxilijs confluentibus. Sua Cæsarem in Hispaniam comitata fortuna est. sed nullum vmquam atrocius periculosiusque ab eo initum prœlium, adeo vt plus quàm dubio Marte, descenderet equo, consistensque ante recedentem suorum aciem, increpita prius fortuna quod se in eum seruasset exitum, denunciaret militibus, vestigio se non recessurum: proinde viderent, quem, & quo loco imperatorem deserturi forent. verecundia magis, quàm virtuLVI te, acies restitutæ, C. A. duce, quàm à milite, fortius. Cneius Pompeius, grauis vulnere inuentus, inter solitudines auias interemptus est. Labienum, Varumque acies abstulit. Cæsar, omnium victor, regressus in vrbem, (quod humanam excedat fidem,) omnibus, qui contra se arma tulerant, ignouit, magnificentissimisque gladiatorij muneris, naumachiæ, & equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis, epulique per multos dies dati celebratione, replenit eam. Quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili constitit. Pecunia, ex manubiis lata paullo amplius sexties millies sestertium. Neque illi tanto viro, & tam CLEMENLVII TER omnibus victoriis suis vso, plus quinque mensium principalis quies contigit: quippe cum mense Octobri in vrbem reuertisset, idibus Martiis, coniurationis auctoribus Bruto & Cassio (quorum alterum, promittendo consulatum non obligauerat, contra, differendo Cassium offenderat: adiectis etiam consiliariis cædis familiarissimis omnium, & fortuna partium eius in summum euectis fastigium, Decimo Bruto, & Caio Trebonio, aliisque clari nominis viris) interemptus est. cui magnam inuidiam conciliarat Marcus Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega, imponendo capiti eius Lupercalibus sedentis pro Rostris insigne regium, quod ab eo ita repulsum erat, vt non offensus ideretur. LVII. Laudandum EXPERIENTIA consilium est Pansæ atque Hirtij, qui semper prædixerant Cæsari, *Vt principatum, armis quæsitum, armis teneret.* ille, dictitans, *mori se, quàm timeri malle*, dum clementiam, quam præstiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est, cum quidem plurima præsagia atque indicia dijimmortales futuri obtulissent periculi. nam & haruspices præmonuerant, *vt diligentissime iduum Martiarum cauereret diem:* & VXOR Calpurnia, territa nocturno visu, *vt ea die domi subsisteret*, orabat: & libelli, coniurationem nunciantes, dati, ab eo neque protinus lecti erant. Sed profecto INELVCTABILIS fatorum
LVIII. vis, cuius cum fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Quo anno id patrauere facinus Brutus, & Caius Cassius, prætores erant, Decimus Brutus consul designatus. Hi vna cum coniurationis globo, stipati gladiatorum Decimi Bruti manu, Capitolium occupauere, cum consul Antonius, (quem cum

ſimul interimendum cenſuiſſet Caſſius, teſtamentumque Cæſaris abolendum, Brutus repugnauerat: dicti-
tans, *nihil amplius ciuibus præter tyranni*, ita enim appellari Cæſarem facto eius expediebat, *petendum eſſe ſan-*
guinem.) conuocato Senatu, cum iam Dolabella quem ſubſtituturus ſibi Cæſar deſignauerat conſulem, faſ-
ceſque inſignia corripuiſſet conſularia, velut pacis auctor, liberos ſuos obſides in Capitolium miſit, fidem-
que deſcendendi tuto interfectoribus Cæſaris dedit: & illud decreti Athenienſium celeberrimi exemplum,
relatum à Cicerone, OBLIVIONIS præteritarum rerum, decreto Patrum comprobatum eſt. Cæſaris
LIX. deinde teſtamentum apertum eſt, quo Caium Octauium, nepotem ſororis ſuæ Iuliæ, adoptabat: de cuius ori-
gine etiam ſi præuenientis & pauca dicenda ſunt. Fuit Caius Octauius, vt non patricia, ita admodum ſpecioſa
equeſtri genitus familia, grauis, ſanctus, innocens, diues. Hic prætor inter nobiliſſimos viros creatus, primo
loco, cum ei dignatio Iulia genitam Atiam conciliaſſet vxorem, ex eo honore ſortitus Macedoniam, appella-
tuſque in ea Imperator, decedens ad petitionem conſulatus obiit, prætextato relicto filio, quem Caius Cæſar,
maior eius auunculus, educatum apud Philippum Vitricum, dilexit vt ſuum, natumque annos octodecim,
Hiſpanienſis militiæ aſſecutum ſe poſtea comitem habuit, nunquam aut alio vſum hoſpitio, quàm ſuo, aut alio
vectum vehiculo: pontificatuſque ſacerdotio puerum honorauit. Et pacatis bellis ciuilibus, ad erudiendum li-
beralibus diſciplinis ſingularis indolem iuuenis, Apolloniam eum in ſtudia miſerat, mox belli Getici, ac dein-
de Parthici habiturus commilitonem. Cui vt eſt nunciatum de cæde auunculi, cum protinus ex vicinis legio-
nibus centuriones ſuam, ſuorumque militum operam ei pollicerentur: neque eam ſpernendam Saluidienus,
& Agrippa dicerent: illle feſtinans peruenire in vrbem, omnem ordinationem & necis & teſtamenti Brundiſij
comperit. Cui aduentanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia: &, cum intraret vrbem, Solis
orbis ſuper caput eius, curuatus æqualiter, rotundatuſque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri ca-
LX. piti imponens, conſpectus eſt. Non placebat Atiæ matri Philippoque vitrico, adiri nomen inuidioſæ
fortunæ Cæſaris: ſed ASSEREBANT ſalutaria reip. terrarumque orbis fata conditorem, conſeruatorem-
que Romani nominis. Spreuit itaque cæleſtis animus humana conſilia: & CVM PERICVLO potius ſumma
quàm tuto humilia, propoſuit ſequi, maluitque auunculo, & Cæſari de ſe, quàm vitrico, credere: dictitans,
nefas eſſe, quo nomine Cæſari dignus eſſet viſus, ſemetipſum videri indignum. Hunc protinus Antonius
conſul ſuperbe excipit: (neque is erat CONTEMPTVS, ſed metus) vixque admiſſo in Pompeianos hortos,
loquendi ſecum tempus dedit: mox etiam, velut inſidiis eius petitus, ſceleſte inſimulare cœpit:
in quo turpiter deprehenſa eius vanitas eſt. Aperte deinde Antonij ac Dolabellæ conſulum ad nefan-
dam dominationem erupit furor. ſeſtertium ſepties millies, depoſitum à Caio Cæſare ad ædem Opis,
occupatum ab Antonio, actorum eiuſdem, inſertis falſis, ciuitatibuſque corruptis, commentariis.
Atque omnia pretio temperata, vendente rempublicam conſule. Idem, prouinciam Decimo Bruto deſi-
gnato conſuli decretam, Galliam occupare ſtatuit: Dolabella tranſmarinas decreuit ſibi: interque natu-
raliter diſſimillimos ac diuerſa volentes creſcebat odium. eoque Caius Cæſar iuuenis quotidianis An-
LXI. tonij petebatur inſidiis. Torpebat oppreſſa dominatione Antonij ciuitas. INDIGNATIO, & dolor
omnibus, vis ad reſiſtendum nulli aderat, cum Caius Cæſar, decimum nonum annum ingreſſus, mira auſus,
ac ſumma conſecutus: priuato conſilio, maiorem Senatu pro republica animum habuit. primumque à Ca-
latia, mox à Caſilino veteranos exciuit paternos. Quorum exemplum ſecuti alij, breui in formam
iuſti coiere exercitus. mox, cum Antonius occurriſſet exercitui, quem ex tranſmarinis prouinciis Brundiſium
venire iuſſerat, legio Martia, & Quarta, cognita & ſenatus voluntate, & tanti iuuenis indole, ſubla-
tis ſignis ad Cæſarem ſe contulerunt. Eum ſenatus, honoratum equeſtri ſtatua, quæ hodieque in Roſtris
poſita ætatem eius ſcriptura indicat, (qui honor non alij, per trecentos annos, quàm Lucio Sullæ, & Cnæo
Pompeio, & Caio Cæſari contigerat) proprætorem vna cum conſulibus deſignatis, Hirtio & Panſa, bel-
lum cum Antonio gerere iuſſit. Ab eo, annum agente viceſimum, fortiſſime circa Mutinam adminiſtratum
eſt, & Decimus Brutus obſidione liberatus: Antonius turpi ac nuda fuga coactus deſerere Italiam: conſu-
lum autem alter in acie, alter poſt paucos dies ex vulnere mortem obiit. Omnia ante, quàm fugare-
LXII. tur Antonius, honorifice à ſenatu in Cæſarem, exercitumque eius decreta ſunt, maxime auctore Cicerone:
ſed, vt RECESSIT metus, erupit voluntas, protinuſque Pompeianis partibus rediit animus. Bruto,
Caſſioque prouinciæ, quas iam ipſi, ſine vllo Senatuſconſulto, occupauerant, decretæ. laudati, quicum-
que his ſe exercitus tradidiſſent omnia tranſmarina imperia eorum commiſſa arbitrio. quippe Marcus Bru-
tus, & Caius Caſſius, nunc metuentes arma Antonij, nunc, ad augendam eius inuidiam, ſimulantes ſe me-
tuere, teſtati edictis, *libenter ſe vel in perpetuo exſilio victuros, dum reſpublica conſtaret concordia, nec vllam belli ciui-*
lis præbituros materiam, PLVRIMVM SIBI honoris eſſe in conſcientia facti ſui, profecti vrbe atque Italia,
intento ac pari animo, ſine auctoritate publica, prouincias, exercituſque occupauerant: &, vbicumque ipſi
eſſent, prætexentes eſſe rempublicam: pecunias etiam, quæ ex tranſmarinis prouinciis Romam ab
quæſtoribus deportabantur, à volentibus acceperant. quæ omnia ſenatus decretis comprehenſa, & com-
probata ſunt. Et Decimo Bruto, quod alieno beneficio viueret, decretus triumphus, Panſæ, atque Hirtii
corpora publica ſepultura honorata. Cæſaris adeo nulla habita mentio, vt legati, qui ad exercitum eius
miſſi erant, iuberentur, ſummoto eo, milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quàm fuerat ſenatus.
nam cum eam INIVRIAM diſſimulando Cæſar ferret, negauere milites, ſine Imperatore ſuo vlla ſe audi-
turos mandata. Hoc eſt illud tempus, quo Cicero, inſito amore Pompeianarum partium, *Cæſarem laudandum,*
& tollendum cenſebat: cum aliud diceret, aliud intelligi vellet. Interim Antonius, fuga tranſgreſſus
LXIII. Alpes, primo per colloquia repulſus à Marco Lepido, qui pontifex maximus in Caij Cæſaris locum furto
creatus, decreta ſibi Hiſpania, adhuc in Gallia morabatur: mox ſæpius in conſpectum veniens militum, cum
& Lepido omnes imperatores forent meliores, & multis Antonius, dum erat ſobrius, per auerſa caſtrorum
proruto vallo militibus receptus eſt: qui TITVLO imperij cedebat Lepido, cum ſumma virium penes eum
foret. Sub Antonii ingreſſum in caſtra Iuuentius Laterenſis, vir VITA ac morte conſentaneus, cum
acerrime ſuaſiſſet Lepido, ne ſe cum Antonio, hoſte iudicato, iungeret, irritus conſilij, gladio, ſe ipſe
transfixit. Plancus deinde, dubia, id eſt ſua fide, diu, quarum eſſet partium, ſecum luctatus, ac ſibi difficile

conſentiens, & nunc adiutor Decimi Bruti, deſignati conſulis, collegæ ſui, ſenatuique ſe litteris venditans,
mox eiuſdem proditor: Aſinius autem Pollio, firmus propoſito, & Iulianis partibus fidus, Pompeianis aduer-
ſus: vterque exercitus tradidere Antonio. Decimus Brutus, deſertus primo à Planco, poſt etiã inſidiis eiuſ- LXIV.
dem petitus, paullatim relinquente eum exercitu, fugiens, in hoſpitis cuiuſdam, nobilis viri, nomine Cameli,
domo ab ijs, quos miſerat Antonius, iugulatus eſt: IVSTISSIMASQVE optime de ſe merito viro Caio Cæ-
ſari pœnas dedit: cuius cum primus omnium amicorum fuiſſet, interfector fuit, & fortunæ, ex qua fructum
tulerat, inuidiam in auctorem relegabat, cenſebatque æquum, quæ acceperat à Cæſare retinere, Cæſarem,
qui illa dederat, periſſe. Hæc ſunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonij memo-
riæ inuſſit notas. ſed hic fulgentiſſimo & cæleſti ore: at tribunus Canutius continua rabie lacerabat Antonium.
Vtrique vindicta libertatis morte ſtetit, ſed tribuni ſanguine commiſſa proſcriptio, Ciceronis vel ſatiato An-
tonio pœna finita. Lepidus deinde à ſenatu hoſtis iudicatus eſt, vt ante fuerat Antonius. Tum inter LXV.
eum, Cæſaremque, & Antonium, commercia epiſtolarum: & condicionum iacta mentio, cùm Antonius
& ſubinde Cæſarem admoneret, quàm inimicæ ipſi Pompeianæ partes forent: & in quod iam emerſiſſent fa-
ſtigium; & quanto Ciceronis ſtudio Brutus Caſſiuſque attollerentur: denunciaretque, ſe cum Bruto Caſſio-
que qui iam decem & ſeptem legionum potentes erant, iuncturum vires ſuas, ſi Cæſar eius aſpernaretur con-
cordiam, diceretque *plus Cæſarem patris, quàm ſe amici vltioni debere.* tum inita potentiæ ſocietas, & hortanti-
bus, orantibuſque exercitibus, inter Antonium etiam, & Cæſarem facta affinitas, cum eſſet priuigna Antonij
deſponſa Cæſari. conſulatumque iniit Cæſar pridie, quàm viginti annos impleret, X. kalendas Octobres,
cum collega Quinto Pedio, poſt, vrbem conditam annis ſeptingentis nouem, ante ſeptuaginta duos quàm tu,
Marce Vinici, conſulatum inires. Vidit hic annus Ventidium per quam vrbem inter captiuos Picentium in
triumpho ductus erat, in ea conſularem prætextam iungentem prætoria. Idem hic poſtea triumphauit. LXVI.
Furente deinde Antonio, ſimulque Lepido, quorum vterque, vt prædiximus, hoſtes iudicati erant, cum am-
bo mallent ſibi nunciari quid paſſi eſſent, quam quid emeruiſſent, REPVGNANTE Cæſare, ſed fruſtra ad-
uerſus duos inſtauratum Sullani exempli malum, proſcriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quàm
quod aut Cæſar aliquem proſcribere coactus eſt: aut ab illo Cicero proſcriptus eſt: abſciſſaque ſcelere Anto-
nii *vox publica eſt* cum EIVS SALVTEM nemo defendiſſet. qui per tot annos & publicam ciuitatis, & priua-
tam ciuium defenderat. Nihil tamen egiſti, Marce Antoni. (cogit enim excedere propoſiti formam operis,
erumpens animo ac pectore indignatio) nihil, inquam, egiſti, mercedem cæleſtiſſimi oris, & clariſſimi capi-
tis abſciſſi numerando, auctoramentoque funebri ad conſeruatoris quondam reipublicæ tantique conſulis ir-
ritando necem. Rapuiſti tu Marco Ciceroni lucem ſolicitam, & ætatem ſenilem, & vitam inferiorem te prin-
cipe, quàm ſub te Triumuiro mortem: famam vero, gloriamque factorum atque dictorum adeo non abſtu-
liſti, vt auxeris. Viuit, viuetque per omnium ſæculorum memoriam. Dumque hoc vel forte, vel prouidentia
vel vtcumque conſtitutum, rerum naturæ corpus, quod ille pæne ſolus Romanorum animo vidit, ingenio
complexus eſt, eloquentia illuminauit, manebit incolume: comitem æui ſui laudem Ciceronis trahet: om-
niſque poſteritas illius in te ſcripta mirabitur, tuum in eum factum exſecrabitur, citiuſque in mundo genus
hominum, quàm cadet. Huius totius temporis fortunam NE DEFLERE quidem quiſquam ſatis digne LXVII.
potuit, adeo nemo exprimere verbis poteſt. Id tamen notandum eſt, fuiſſe IN PROSCRIPTOS VXORVM
fidem ſummam, libertorum mediam, ſeruorum aliquam, filiorum nullam. adeo difficilis eſt hominibus vtcũ-
que conceptæ ſpei mora. Ne quid vlli ſanctum relinqueretur, vel in dotem inuitamentumque ſceleris, Anto-
nius Lucium Cæſarem auunculum, Lepidus Paullum fratrem proſcripſerant. Nec Planco gratia defuit ad im-
petrandum, vt frater eius Plancus Plotius proſcriberetur. Eoque inter iocos militares, qui currum Lepidi, Plã-
cique ſecuti erant, inter exſecrationem ciuium vſurpabant hunc verſum: *De Germanis, non de Gallis, duo trium-*
phant conſules. Suo præteritũ loco referatur. neque enim perſona, vmbram actæ rei capit. Dum in acie Phar- LXVIII.
ſalica, Africaque de ſumma rerum Cæſar dimicat, Marcus Cœlius, vir eloquio, animoque Curioni ſimillimus
ſed in vtroque perfectior, nec minus ingenioſe nequam, cum ne in modica quidem ſeruari, poſſet, quippe
peior illi res familiaris, quàm mens, erat, in prætura nouarum tabularum auctor exſtitit nequiitque Senatus, &
auctoritate conſulum deterreri, accito etiam Milone Annio, qui, non impetrato reditu, Iulianis partibus in-
feſtus erat, in vrbe ſeditionem, haud magis occulte bellicum tumultum mouens, primo ſummotus à repu-
blica mox, conſularibus armis, auctore Senatu, circa Turios oppreſſus eſt. Incepto pari ſimilis fortuna Milo-
nis fuit: qui, Compſam in Hirpinis oppugnans, ictuſque lapide tum Publio Clodio, tum patriæ, quam armis
petebat, pœnas dedit: vir inquies, & vltra fortem temerarius. Quatenus autem aliquid ex omiſſis peto, note-
tur. IMMODICA & intempeſtiua libertate vſos aduerſus Caium Cæſarem, Marullum Epidium, Flauium-
que Cæſetium, tribunum plebei, dum arguunt in eo regni voluntatem, pæne vim dominationis expertos. In
hoc tamen ſæpe laceſſiti principis ira exceſſit, vt, CENSORIA potius contentus nota, quàm animaduerſio-
ne dictatoria, ſummoueret eos à republica teſtareturque *eſſe ſibi miſerrimum, quod aut natura ſua ei excedendum*
foret, aut minuenda dignitas. Sed ad ordinem reuertendum eſt. Iam & Dolabella in Aſia Caium Treboniũ LXIX.
conſularem, cui ſucedebat, fraude deceptum, Smyrnæ occiderat, virum aduerſus merita Cæſaris ingratiſſi-
mum, participemque cædis eius, à quo ipſe in conſulare prouectus faſtigium fuerat: & Caij Caſſius, acceptis,
à Staio Murco, & Criſpo Marcio, prætoriis viris, Imperatoribus, qui præualidis in Syria legionibus, incluſum
Dolabellam, qui, præoccupata Aſia, in Syriam peruenerat, Laodicea expugnat (ita tamen, vt ad ictum ſerui
ſui Dolabella non ſegniter ceruicem daret) & decem legiones in eo tractu ſui iuris fecerat. & Marcus Brutus
Caio Antonio, fratri Marco Antonii in Macedonia, Vatinioque circa Dyrrhachium volentes legiones extor-
ſerat: ſed Antonium bello laceſſierat: Vatinium dignatione obruerat: cum & Brutus cuilibet ducum præfe-
rendus videretur: & Vatinius nulli nomini non eſſet poſtferendus. in quo DEFORMITAS corporis cum tur-
pitudine certabat ingenij, adeo, vt animus eius digniſſimo domicilio incluſus videretur. eratque ſeptẽ legio-
nibus validus. Et lege Pedia, quàm conſul Pedius, collega Cæſaris, tulerat, omnibus, qui Cæſarem patrem in-
terfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat. quo tempore Capito, patruus meus, vir ordinis ſena-
torii, Agrippæ ſubſcripſit in Caium Caſſium. Dumque ea in Italia geruntur, acri atque proſperrimo LXX.

bello Cassius Rhodum, rem immanis operis, ceperat; Brutus Lycios deuicerat, & inde in Macedoniam exercitus transiecerant; cum per omnia repugnans naturæ suæ Cassius, etiam Bruti clementiam vinceret. Neque reperias, quos aut PRONIOR FORTVNA comitata sit, aut veluti fatigata maturius destituerit, quam Brutum & Cassium. Tum Cæsar & Antonius transiecerunt exercitus in Macedoniam, & apud vrbem Philippos cum M. Bruto Cassioque acie concurrerunt. Cornu, cui Brutus præerat, impulsis hostibus castra Cæsaris cepit. nam ipse Cæsar, etiam si infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, orati* etiam ab Artorio medico, ne in castris remaneret, manifestè denunciatione quietis territo. Id autem, in quo Cassius fuerat, fugatum, ac male multatum in altiora se receperat loca. Tum Cassius, ex sua fortuna euentum collegæ æstimans, cum dimisisset euocatum iussissetque nunciare sibi, *quæ esset multitudo ac vis hominum, quæ ad se tenderet*, tardius eo nunciante, cum in vicino esset agmen cursu ad eum tendentium, neque puluere facies, aut signa denotari possent; existimans, hostes esse, qui irruerent, lacerna caput circumdedit, extentamque ceruicem interitus liberto præbuit. Deciderat Cassij caput, cum euocatus aduenit, nuncians Brutum esse victorem. qui, cum Imperatorem prostratum videret; *sequar*, inquit, *eum, quem mea occidit tarditas*, & ita in gladium occubuit. Post paucos deinde dies Brutus conflixit cum hostibus, & victus acie, cum in tumulum nocte ex fuga se recepisset, impetrauit à Stratone Ægeate, familiari suo, vt manum morituro commodaret sibi; reiectoque læuo super caput brachio, cum mucronem gladij eius dextera tenens, sinistræ admouisset mammillæ, ad eum ipsum locum, quà cor emicat, impellens se in vulnus, vno ictu transfixus, exspirauit.

LXXI. Protinus Messalla, fulgentissimus iuuenis, proximus in illis castris Bruti, Cassiique auctoritati, cum essent, qui eum ducem poscerent, SERVARI beneficio Cæsaris maluit, quàm dubiam spem armorum tentare amplius. Nec aut Cæsari quidquam ex victoriis suis fuit lætius, quàm seruasse Coruinum; aut maius exemplum hominis grati ac pij, quàm Coruinus in Cæsarem fuit. Non aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum, Hortensiumque eminentissimorum ciuium filios fortuna abstulit. nam Varro ad ludibrium moriturus Antonij, digna illo, ac vera de exitu eius magna cum libertate animatus est. Drusus Liuius, Iuliæ Augustæ pater, & Varus Quinctilius, ne tentata quidem hostis misericordia, alter se ipse in tabernaculo interemit: Varus autem liberti, quem id facere coegerat, manu, cum

LXXII. se insignibus honorum velasset, iugulatus est. Hunc exitum Marci Bruti partium septimum & trigesimum annum agentis fortuna esse voluit, CORRVPTO animo eius in diem, quæ illi omnes virtutes vnius temeritate facti abstulit. Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus, è quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium. in altero maior vis, in altero virtus. qui si vicissent, QVANTVM reipublicæ interfuit, Cæsarem potius habere quàm Antonium principem; tantum retulisset habere Brutum, quàm Cassium. Cnæus Domitius, pater Lucij Domitij, nuper à nobis visi, eminentissimæ ac nobilissimæ simplicitatis viri, auus huius Cnæi Domitij, clarissimi iuuenis, occupatis nauibus, tum magno sequentium consilia sua comitatu fugæ fortunæque se commisit, semetipso contentus duce partium. Staius Murcus, qui classi & custodiæ maris præfuerat, cum omni commissa sibi parte exercituum nauiumque Sextum Pompeium, Cnæi Magni filium, qui ex Hispania reuertens, Siciliam armis occupauerat, petit. ad quem & è Brutianis castris, & ex Italia, aliisque terrarum partibus, quos præsenti periculo fortuna subduxerat, proscripti confluebant. quippe nullum habentibus statum quiliber dux erat idoneus; cum fortuna non electionem daret, sed perfugium

LXXIII. ostenderet; exitialemque tempestatem fugientibus statio pro portu foret. Hic adolescens erat studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promptus, cogitatione celer, fide parri dissimillimus, libertorum suorum libertus, seruorumque seruus; speciosis inuidens, vt pareret humillimis. quem senatus pæne totus, adhuc è Pompeianis constans partibus, post Antonij à Mutina fugam, eodem illo tempore, quo Bruto Cassioque transmarinas prouincias decreuerat, reuocatum ex Hispania, vbi aduersus eum clarissimum bellum Pollio Asinius prætorius gesserat, in paterna bona restituerat, & oræ maritimæ præfecerat. Is tum, vt prædiximus, occu[pa]ta Sicilia, seruitia, fugitiuosque in numerum exercitus sui recipiens, magnum [e]odum legionum effecerat; perque Menam & Menecratem, paternos libertos, præfectos classium, latrociniis ac prædationibus infestato mari, ad se exercitumque tuendum rapto vtebatur; cum eum NON DEFVDERET

LXXIV. vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus. Fractis Brutianis Cassianisque partibus, Antonius transmarinas obiturus prouincias substitit; Cæsar in Italiam se recepit, eamque longe, quàm sperauerat, tumultuosiorem recepit. quippe L. Antonius consul, vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quæ interdum in illo erant, expers, modo apud veteranos criminatus Cæsarem, modo eos, qui iustè diuisione prædiorum, nominatisque colonis agros amiserant, ad arma concieus, magnum exercitum conflauerat. Ex altera parte vxor Antonij Fuluia, NIHIL muliebre, præter corpus, gerens, omnia armis tumultuque miscebat. Hæc belli sedem Præneste ceperat. Antonius, pulsis vndique viribus Cæsaris, Perusiam se contulerat; Plancus Antonianarum aditor partium, spem magis ostenderat auxilij, quàm opem ferebat Antonio. Vsus Cæsar virtute & fortuna sua, Perusiam expugnauit; Antonium inuiolatum dimisit. in Perusinos MAGIS IRA militum, quàm voluntate seuitum ducis. vrbs incensa, cuius initium incendiis princeps eius

LXXV. loci fecit Macedonicus; qui, subiecto rebus ac penatibus suis igni, transfixum se gladio flammæ intulit. Per eadem tempora exarserat in Campania bellum, quod, profligus eorum, qui perdiderant agros, patrocinium, ciebat Tiberius Claudius Nero, prætorius, & Pontifex, Tiberij Cæsaris pater, magni vir animi, doctissimique ingenij. id quoque aduentu Cæsaris sepultum atque discussum est. Quis FORTVNÆ mutationes, quis dubios rerum humanarum casus satis mirari queat? quis non diuersa præsentibus, contrariaque exspectatis aut speret, aut timeat? Liuia, nobilissimi & fortissimi viri Drusi Claudiani filia, genere, probitate, forma, Romanarum eminentissima, quam postea coniugem Augusti vidimus, quam transgressi ad Deos sacerdotem ac filiam, tum fugiens mox futuri sui Cæsaris arma, cuius bimum hunc Tiberium Cæsarem, vindicem Romani imperij, futurumque eiusdem Cæsaris filium, gestans sinu, per auia itinerum vitatis militum gladiis vno comitante, quo facilius occultaretur fuga, peruenit ad mare, & cum viro Nerone peruecta in Siciliam

LXXVI. est. Quod alieno testimonium redderem, in eo non fraudabo auum meum. quippe Caius Velleius, honoratissimo inter illos trecentos sexaginta iudices loco, à Cnæo Pompeio lectus, eiusdem, Marcique Bruti, ac

Tironis præfectus fabrum, vir nulli secundus, in Campania, digressu Neronis à Neapoli, cuius ob singularem cum eo amicitiam partium adiutor fuerat, grauis iam ætate & corpore, COMES esse non posset, gladio se ipse transfixit. Inuiolatam excedere Italia Cæsar passus Fuluiam, Plancumque muliebris fugæ comitem. nam Pollio Asinius cum septem legionibus, diu retenta in potestate Antonij Venetia, magnis speciosisque rebus circa Altinum, aliasque eius regionis vrbes editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium, quem digressum è Brutianis castris post cædem eius prædiximus, & propriæ classis factum ducem, consiliis suis illectum, ac fide data, iunxit Antonio. Quo facto quisquis æquum se præstiterit, sciat NON MINVS à Pollione in Antonium quàm ab Antonio in Pollionem esse collatum. Aduentus deinde in Italiam Antonij, præparatusque contra eum Cæsaris, habuit belli metum: sed pax circa Brundisium composita. Per quæ tempora Rufi Saluidieni scelesta consilia patefacta sunt. qui, natus obscurissimis initiis, PARVM HABEBAT summam accepisse, & proximus à Cnæo Pompeio, ipsoque Cæsare ex equestri ordine consul creatus esse, nisi ascendisset, quo

LXXVII. infra se & Cæsarem videret, & rempublicam. Tum, expostulante consensu populi, quem grauis vrebat infesto mari annona, cum Pompeio quoque circa Misenum pax inita: qui haud absurde cum in naui Cæsaremque & Antonium cena exciperet, dixit: *In carinis suis se cenam dare.* referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur. In hoc pacis fœdere placuit, Siciliam Achaiamque Pompeio concedere: in quo tamen animus inquies manere non potuit: id vnum tantummodo SALVTARE aduentu suo patriæ attulit, quod omnibus proscriptis, aliisque, qui ad eum ex diuersis causis fugerant, reditum salutemque pactus est quæ res & alios clarissimos viros, & Neronem Claudium, & Marcum Silanum, Sentiumque Saturninum, & Aruntium ac Titium, restituit reipublicæ. Staium autem Murcum, qui, aduentu suo classisque celeberrimæ, vires eius duplicauerat, INSIMVLATVM falsis criminationibus, quia talem virum

LXXIIX. collegam officij Mena & Menecrates fastidierant, Pompeius in Sicilia interfecerat. Hoc tractu temporum Octauiam, sororem Cæsaris, Marcus Antonius duxit vxorem. Redierat Pompeius in Siciliam, Antonius in transmarinas prouincias: quas magnis momentis Labienus, ex Brutianis castris profectus ad Parthos, producto eorum exercitu in Syriam, interfectoque legato Antonij, concusserat: qui virtute & ductu Ventidij vna cum Parthorum copiis, celeberrimoque iuuenum Pacoro regis filio, exstinctus est. Interim Cæsar per hæc tempora, ne, RES DISCIPLINÆ inimicissima, Otium corrumperet militem, crebris in Illyrico, Dalmatiaque expeditionibus, patientia periculorum, bellique experientia durabat exercitum. Eadem tempestate Caluinus Domitius, cum ex consulatu obtineret Hispaniam, grauissimi comparandique antiquis exempli

LXXIX. auctor fuit: quippe primipili centurionem, nomine Vibillium, ob turpem exacie fugam, fuste percussit. Crescente in dies & classe & fama Pompeij, Cæsar molem belli eius suscipere statuit. Ædificandis nauibus contrahendoque militi ac remigi, naualibusque adhuescendo certaminibus atque exercitationibus, præfectus est Marcus Agrippa, virtutis nobilissimæ labore, vigilia, periculo inuictus parendique, sed vni, scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes positus, consulisque facta coniungens. Hic, in Auerno ac Lucrino lacu speciosissima classe fabricata, QVOTIDIANIS exercitationibus militem remigemque ad summam & militaris & maritimæ rei perduxit scientiam. Hac classe Cæsar, cum prius, despondente ei Nerone, cui ante nupta fuerat, Liuiam, auspicatis reip. omnibus, duxisset eam vxorem, Pompeio Siciliæque bellum intulit. Sed virum, humana ope inuictum, grauiter eo tempore fortuna concussit. quippe longe maiorem partem classis, circa Veliam Palinurique promontorium, adorta vis Africi, lacerauit ac distulit. Ea patrando bello mora fuit, quod postea dubia, & interdum ancipiti, fortuna gestum est. nam &, classis eodem loco vexata est tempestate, &, vt nauali primo prœlio, apud Mylas, ductu Agrippæ, pugnatum prospere, ita inopinato classis aduentu, grauis sub ipsius Cæsaris oculis circa Tauromenium accepta clades: neque ab ipso periculum abfuit. Legiones, quæ cum Cornificio erant, legato Cæsaris, expositæ in terra, pæne à Pompeio oppressæ sunt. Sed ANCIPITIS fortuna temporis, matura virtute correcta. Explicatis quippe vtriusque partis classibus, pæne omnibus exsutus nauibus, Pompeius Asiam fuga petiuit. iussuque Marci Antonij, cuius opem petierat, dum inter ducem, & supplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, à Titio iugulatus est: cui in tantum durauit hoc facinore contractum odium, vt mox, ludos in theatro Pompeij

LXXX. faciens, exsecratione populi, spectaculo, quod præbebat, pelleretur. Acciuerat gerens contra Pompeium bellum ex Africa Cæsar Lepidum cum duodecim semiplenis legionibus. Hic vir omnium vanissimus, neque vlla virtute tam longam fortunæ indulgentiam meritus, exercitum Pompeij, quia propior fuerat, sequentem non ipsius, sed Cæsaris auctoritatem ac fidem, sibi iunxerat: inflatusque amplius viginti legionum numero, in id furoris processerat, vt inutilis in aliena victoria comes, quam diu moratus erat, diffidendo in consiliis Cæsaris, & semper diuersa iis, quæ aliis placebant, dicendo, totam victoriam vt suam interpretaretur, audebatque denunciare Cæsari, excederet Sicilia. Non ab Scipionibus, aliisque veteribus Romanorum ducum, quidquam ausum patratumque fortius, quàm tunc à Cæsare. Quippe cum inermis & lacernatus esset, PRÆTER NOMEN nihil trahens, ingressus castra Lepidi, ciuitatis, quæ iussu hominis prauissimi tela in eum iacta erant, cum lacerna eius perforata esset lancea, Aquilam legionis rapere ausus est. Scires, quid interesset inter duces. Armati inermen secuti sunt, decimoque anno, quàm ad dissimillimam vitæ suæ potentiam peruenerat Lepidus, & à militibus, & à fortuna desertus, pulloque velatus amiculo, inter vltimam confluentium ad Cæsarem turbam latens genibus eius aduolutus est. Vita, rerumque suarum dominium concessa ei sunt:

LXXXI. SPOLIATA quam tueri non poterat dignitas. Subita deinde exercitus seditio, qui, plerumque contemplatus frequentiam suam, à disciplina desciscit, &, quod cogere se putat posse, rogare non sustinet, partim seueritate, partim liberalitate discussa principis. Speciosumq; per id tempus adiectum supplementum Campanæ coloniæ. eius reditus erat publici, pro his longe vberiores reditus duodecies Sestertium in Creta insula redditi, & aqua promissa, quæ hodieque singulare & salubritatis instar, & amœnitatis ornamentum est. Insigne coronæ classicæ, quo nemo vmquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Victor deinde Cæsar reuersus in vrbem, contractas emptionibus complures domos per procuratores, quo laxior fieret ipsius, publicis se vsibus destinare professus est: Templumque Apollini, & circa porticus facturum promisit, quod ab eo singulari exstructum munificentia est. Qua æstate Cæsar tam prospere Lepidum in

LXXXII

Sicilia bene fortuna in Cæsare, & republica militauit ad Orientem; quippe Antonius cum tredecim legionibus egressus Armeniam, ac deinde Mediam, & per eas regiones Parthos petens, habuit regem eorum obuium. primoque duas legiones, cum omnibus impedimentis, tormentisque, & Statiano legato, amisit; mox sæpius ipse, cum summo totius exercitus discrimine, ea adiit pericula, quibus seruari se posse desperauerat; amissaque non minus quarta parte militum, captiui cuiusdam, sed Romani, consilio ac fide seruatus; qui clade Crassiani exercitus captus, cum fortunam, non animum mutasset, accessit nocte ad stationem Romanam; prædixitque, *ne destinatum iter pererent, sed diuerso silueſtrique peruaderent.* Hoc Marco Antonio acto, illis legionibus saluti fuit: de quibus tamen, totoque exercitu haud minus pars quarta, vt prædiximus, militum, calonum seruitiique desiderata est; impedimentorum vix vlla superfuit. Hanc tamen Antonius fugam suam, quia viuus exierat, Victoriam vocabat. Qui, tertia æstate reuersus in Armeniam, regem eius Artauasdem, fraude deceptum, catenis, sed, ne quid honori deesset, aureis vinxit. Crescente deinde & amoris in Cleopatram incendio, & vitiorum, quæ semper facultatibus, licentiaque, & assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriæ inferre constituit; cum ante, nouum se Liberum Patrem appellari iussisset, cum, redimitus hederis, coronaque velatus aurea, & thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru, velut Liber Pater, vectus esset
LXXX-III. Alexandriæ. Inter hunc apparatum belli, Plancus NON IVDICIO recta legendi, neque amore reipublicæ aut Cæsaris; (quippe hæc semper impugnabat,) sed morbo proditor, cum fuisset humillimus assentator reginæ, & infra seruos cliens, cum Antonij librarius, cum obscenissimarum rerum & auctor, & minister, cum in omnia, & in omnibus venalis, cum cœruleatus & nudus, caputque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus, Glaucum saltasset, in conuiuio refrigeratus ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem. & idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur dictitans, *id probatum à Cæsare*, cui ille ignouerat, Mox autem hunc mox auunculum Titius imitatus est. Haud absurde Coponius, vir prætorius, grauissimus pater, Silij socer, cum recens transfuga, multa ac nefanda Plancus absenti Antonio, in
LXXX-IV. senatu obiiceret: *Multa*, inquit, *me hercules fecit Antonius, priusquam tu illum relinqueres.* Cæsare deinde, & Messalla Coruino consulibus debellatum apud Actium; vbi longe ante quam dimicaretur, exploratissima Iulianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles, atque Imperator; illam arcebant omnia. hinc reges fiemissimi; illinc inopia affectissimi. nauium hæc magnitudo, modica ne celeritate; aduersa illa specie terribilior. hinc ad Antonium nemo, illinc ad Cæsarem quotidie aliqui transfugiebant. Denique, in ore atque oculis Antonianæ classis, per M. Agrippam Leucas expugnata, Patræ captæ, Corinthus occupata, bis ante vltimum discrimen classis hostium superata. Rex Amyntas meliora & vltiora secutus: nam Deillius, exempli sui tenax, vt à Dolabella ad Cæsarem: vir que clarissimus, Cnæus Domitius, qui solus Antonianarum partium,
LXXXV. numquam reginam, nisi nomine, salutauit, maximo & præcipiti periculo, transmisit ad Cæsarem. Aduenit deinde maximi dissentiminis dies, quo Cæsar Antoniusque, productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicauere. Dextrum nauium Iulianarum cornu M. Lario commissum, lævum Arruntio, Agrippæ omne classici certaminis arbitrium. Cæsar, ei parti destinatus, in quam a fortuna vocaretur, vbique aderat: classis Antonij regimen Publicolæ Sosioque commissum. At in terra locatum exercitum Taurus Cæsaris, Antonij regebat Canidius. Vbi initum certamen est, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites; in altera nihil, præter milites. prima occupat fugam Cleopatra: Antonius fugientis Reginæ, quàm pugnantis militis sui, comes esse maluit: & IMPERATOR, qui in desertores sæuire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Illis, etiam detracto capite, in longum fortissime pugnandi durauit constantia, &, desperata victoria, in mortem dimicabatur. Cæsar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitansq; & ostendens, fugisse Antonium, quærebat, pro quo & cum quo pugnarent. At illi, cum diu pro absente dimicassent duce, ægre summissis armis, cessere victoriam, citiusque vitam veniamque Cæsar promisit, quàm illis, vt ea precarentur, persuasum est. Fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, Imperatorem fugacissimi militis functum officio. vt dubites, suone an Cleopatræ arbitrio victoriam tempera-
LXXX-VI. turus fuerat, qui ad eius arbitrium direxit fugam. Idem locatus in terra fecit exercitus, cum se Canidius, præcipiti fuga, rapuisset ad Antonium. Quid ille dies terrarum orbi præstiterit, ex quo in quem statum peruenerit fortuna publica, quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat? Victoria vero fuit clementissima, nec quisquam interemptus, nisi paucissimi, & ij, qui deprecari quidem pro se non sustinerent. Ex qua lenitate ducis COLLIGI potuit, quem aut initio triumuiratus sui, aut in campis Philippis, si licuisset, victoriæ suæ facturus fuerit ** ad solium alarunt, in prisca grauitate celeberrimi fides, mox diu clementia luctatus sua Cæsar, seruauit incolumem. Non prætereatur Asinij Pollionis factum, & dictum memorabile. namque, cum se post Brundisinam pacem continuisset in Italia, neque aut vidisset vmquam reginam, aut post eneruatum amore eius Antonij animum, partibus eius se miscuisset, rogante Cæsare, vt secum ad bellum proficisceretur Actiacum; *Mea*, inquit, *in Antonium maiora merita sunt, illius in me beneficia notiora: itaque discrimine vestro me subtraham,*
LXXX-VII. *& ero præda victoris.* Proximo deinde anno, persecutus reginam Antoniumque Alexandriam, vltimam bellis ciuilibus imposuit manum. Antonius se ipse non segniter interemit, adeo vt MVLTA desidiæ crimina morte redimeret. At Cleopatra, frustratis custodibus, illata aspide, morsu sane eius, expers muliebris metus, spiritum reddidit. Fuitque & fortuna, & clementia Cæsaris dignum, quod nemo ex iis, qui contra eum arma tulerant, ab eo iussuve eius interemptus. Decimum Brutum Antonij interemit crudelitas. Sextum Pompeium, ab eodem victum, idem Antonius, cum DIGNITATIS quoque seruandæ dedisset fidem, etiam spiritu priuauit. Brutus & Cassius ante, quàm victorum experirentur animum, voluntaria morte obierunt. Antonij Cleopatræque quis fuisset exitus, narrauimus. Canidius
TIMIDIVS decessit, quàm professioni eius, qua semper vsus erat, congruebat. Vltimus autem ex
LXXX-VIII. interfectoribus Cæsaris, Parmensis Cassius, morte pœnas dedit, vt dederat Trebonius. Dum vltimam bello Actiaco Alexandrinoque Cæsar imponit manum, Marcus Lepidus, iuuenis, FORMA, quàm mente, melior, Lepidi eius, qui Triumvir fuerat reipublicæ constituendæ, filius, Iunia Bruti sorore natus interficiendi, simul in Vrbem reuertisset, Cæsaris consilia mierat. Tunc Vrbis custodiis præpositus

Caius Mæcenas, equestris, & splendido genere natus, vir, VBI RES vigiliam exigeret, sane exsomnis, prouidens atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otioque mollitiis pæne vltra famam fluens, non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus: quippe vixit, angusti claui pæne contentus, nec minora consequi potuit, sed non tam concupiuit. hic speculatus est PER SVMMAM quietem ac dissimulationem, præcipitis consilia iuuenis, & mira celeritate, nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane noui ac resurrecturi belli ciuilis restinxit initium. & ille quidem male consultorum pœnas exsoluit. Æquetur prædictæ Calpurniæ Antistij, Seruilia Lepidi vxor; quæ, viuo igni
LXXXIX. deuorato, PRÆMATVRAM mortem immortali nominis sui pensauit memoria. Cæsar autem, reuersus in Italiam, atque vrbem occursus, quo fauore omnium hominum, ætatium, ordinum exceptus sit, quæ magnificentia triumphorum eius, quæ fuerit munerum, ne in operis quidem iusti materia, nedum huius tam recisi, digne exprimi potest. NIHIL DEINDE optare à diis homines, nihil dij hominibus præstare possunt, nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod non Augustus, post reditum in Vrbem, reipublicæ populoque Romano terrarumque orbi repræsentauit. Finita vicesimo anno bella ciuilia, sepulta externa, reuocata pax, sopitus vbique armorum furor; restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui maiestas; imperium magistratuum ad pristinum redactum modum, tantummodo octo prætoribus allecti duo, prisca illa & antiqua reipublicæ forma reuocata, rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio, leges emendatæ vtiliter, latæ salubriter; senatus sine asperitate, nec sine seueritate lectus. Principes viri, triumphisque & amplissimis honoribus functi, hortatu Principis, ad ornandam Vrbem illecti sunt. Consulatus tantummodo vsque ad vndecimum, quem continuaret Cæsar, cum sæpe obnitens repugnasset, impetrari potuit. nam dictaturam, quam pertinaciter ei deferebat populus, tam constanter repulit. Bella sub Imperatore gesta, pacatusque victoriis terrarum orbis, & tot extra Italiam domique opera, omne æui sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem fatigant. Nos, memores professionis, vniuersam imaginem principatus eius oculis animisque subiecimus. Sepultis, vt prædiximus, bellis ciuilibus, &
XC. coalescentibusque reipublicæ membris, & coram altero, quæ tam longa armorum series laceraverat: Dalmatia viginti & ducentos annos rebellis, ad certam confessionem pacata est imperij, Alpes, feris, multisque nationibus celebres, perdomitæ, Hispaniæ, nunc ipsius præsentia, nunc Agrippæ, quem vsque in tertium consulatum, & mox collegium tribunitiæ potestatis, amicitia Principis euexerat, multo varioque Marte pacatæ. In quas prouincias cum initio, Scipione & Sempronio Longo Consulibus, primo anno secundi Punici, abhinc annos centum quinquaginta, Romani exercitus missi essent, duce Cn. Scipione, Africani patruo, per annos ducentos, in his multo mutuoque ita certatum est sanguine, vt, amissis Populi Romani imperatoribus exercitibusque, sæpe contumelia, etiam nonnunquam periculum Romano inferretur imperio. Illæ enim prouinciæ Scipiones consumpserunt: illæ contumelioso viginti annorum bello sub duce Viriatho maiores nostros
XCI. exercuerunt: illæ, terrore Numantini belli, populum Romanum concusserunt: in illis turpe Quinti Pompeij fœdus, turpisque Mancini, Senatus cum ignominia dediti Imperatoris, rescidit: illa tot consulares, tot prætorios absumpsit duces, patrumque ætate, in tantum Sertorium armis extulit, vt per quinquennium iudicari non potuerit, Hispanis, ROMANISNE in armis plus esset roboris, & vter populus alteri perituras foret. Has igitur prouincias, tam diffusas, tam frequentes, tam feras, ad eam pacem abhinc annos ferme quinquaginta perduxit Cæsar Augustus vt, quæ maximis bellis numquam vacauerant, eæ sub Caio Antistio, ac deinde Publio Silio legato, ceterisque, postea etiam latrociniis vacarent. Dum pacatur Occidens, ab Oriente ac
XCII. Rege Parthorum signa Romana, quæ Crasso oppresso Orodes, quæ Antonio pulso filius eius Phraates ceperant, Augusto remissa sunt: quod cognomen illi viro Planci sententia consensu vniuersi senatus populique Romani indidit. ERANT TAMEN, qui hunc felicissimum statum odissent. quippe Lucius Murena, & Fannius Cæpio, diuersis moribus, (nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Cæpio & ante hoc erat pessimus) cum inissent occidendi Cæsaris consilia, oppressi auctoritate publica, QVOD VI facere voluerant iure passi sunt. neque multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori quàm senatori propior, collecto in ædilitate fauore populi, quem extinguendis priuata familia incendiis in dies auxerat, in tantum quidem, vt ei prætu-
ram continuaret, mox etiam consulatum petere ausus, cum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus, nec melior illi res familiaris, quàm mens, foret, aggregatis similimis sibi, interimere Cæsarem statuit, vt, quo saluo saluus esse non poterat, eo sublato moreretur. Quippe ita se mores habent, VT PVBLICA quisque ruina malit occidere, quàm sua proteri, &, idem passurus, minus conspici. Neque hic prioribus in occultando felicior fuit: additusque carceri, cum consciis facinoris, MORTEM dignissimam vita sua obiit.
XCIII. Præclarum excellentis viri factum, Caij Sentij Saturnini, circa ea tempora consulis, ne fraudetur memoria. Aberat in ordinandis Asiæ Orientisque rebus Cæsar, CIRCVMFERENS terrarum orbi præsentia sua pacis suæ bona: tum Sentius forte & solus, & absente Cæsare consul, cum alia, PRISCA SEVERITATE summaque constantia, veteré consulum more, ac seueritate gessisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset auaritiam, regessisset in ærarium pecunias publicas, tum in comitiis habendis præcipuum egit consulem. nam & quæsturam petentes, quos indignos iudicauit, profiteri vetuit, &, cum, id facturos se perseuerarent, consularem, (si in campum descendissent) vindictam minatus est. & Egnatium, florentem fauore publico, sperantemque, vt prætoram ædilitati, ita consulatum prætoræ se iuncturum, profiteri vetuit, & cum id non obtinuisset, iurauit, *etiam si factus esset consul suffragiis populi, tamen se eum non renunciaturum.* quod ego factum, cuilibet veterum consulum gloriæ comparandum reor, nisi quod naturaliter, AVDITA VISIS laudamus libentius, & præsentia, inuidia, præterita, veneratione profequimur, & his nos obrui, illis instrui credimus.
XCIV. Ante triennium fere, quàm Egnatianum scelus erumperet, circa Murenę Cępionisque coniurationis tempus, abhinc annos quinquaginta, Marcus Marcellus, sororis Augusti Octauię filius, quem homines ita, si quid accidisset Cęsari, successorem potentię eius arbitrabantur futurum, vt tamen id per Marcum Agrippam secure ei posse contingere non existimarent; magnificentissimo munere ędilitatis edito, decessit, admodum iuuenis, sane, vt aiunt, ingenuarum virtutum, lętusque animi & INGENII, fortunęque, in quam alebatur, capax. Post cuius obitum Agrippa, qui sub specie ministeriorum Principalium profectus in Asiam, vt fama

loquitur, ob tacitas cum Marcello offensiones, præsenti se subduxerat tempori, reuersus inde, filiam Cæsaris
Iuliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit vxorem, FEMINAM neque sibi, neque reipublicæ
XCIV. felicis vteri. Hoc tractu temporum, Tiberius Claudius Nero, quo primo, vt prædiximus, Liuia, Drusi
Claudiani filia, despondente Nerone, cui ante nupta fuerat, Cæsari nupserat, INNVTRITVS cælestium
præceptorum disciplinis, iuuenis, genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis, maximoque ingenio
instructissimus, qui protinus quantus est, sperari potuerat, visusque præluerit principem, quæstor, vndeuice-
simum annum agens, capessere cœpit rempublicam, maximamque difficultatum annonæ ac rei frumentariæ
inopiam ita Ostiæ, atque in vrbe, mandato vitrici, moderatus est, vt PER ID, quod agebat, quantus euasurus
esset, eluceret. Nec multo post missus ab eodem vitrico cum exercitu ad visendas ordinandasque, quæ sub
Oriente sunt, prouincias, præcipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu editis, cum legionibus ingres-
sus Armeniam, redacta ea in potestatem populi Romani, regnum eius Artauasdi tradidit. cuius rex quoque
XCV. Parthorum tanti nominis fama territus, liberos suos ad Cęsarem misit obsides. Reuersum inde Neronem,
Cæsar haud mediocris belli molem experiri statuit, aditore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem
intra Cęsaris penates enixa erat Liuia. quippe vterque, diuisis partibus, Rhætos Vindelicosque adgressi, multis
vrbium & castellorum oppugnationibus, necnon directa quoque acie feliciter functi, gentes, locis tutissimas,
aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo, quàm damno Romani exercitus,
plurimo cum earum sanguine, perdomuerunt. Ante quæ tempora censura Planci & Paulli acta inter discor-
diam, neque ipsi honori, neque reipublicę vsui fuit: cum alteri vis censoris, alteri vita deesset: Paullus vix posset
implere censorem, Plancus timere deberet, nec quidquam obiicere posset adolescentibus, aut obiicientes
XCVI. audire, quod non agnosceret senex. Mox deinde Agrippæ (qui NOVITATEM suam multis rebus nobi-
litauerat, atque in hoc perduxerat, vt & Neronis esset socer, cuiusque liberos, nepotes suos, Diuus Augustus,
præpositis Caij ac Lucij nominibus adoptauerat) admouit propius Neronem Cæsari: quippe filia eius Iulia,
quæ fuerat Agrippæ nupta, Neroni nupsit. Subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum Agrippa, Mar-
coque Vinicio, auo tuo, consulibus, magnum, atroxque, & perquam vicinum imminebat Italiæ, per Neronem
gestum est. Gentes Pannoniorum, Dalmatarumque nationes, situmque regionum ac fluminum, numerumque
& modum virium, excelsissimasque & multiplices eo bello victorias tanti Imperatoris, alio loco explicabimus.
XCVII. hoc opus seruet formam suam. Huius victoriæ compos Nero, ouans triumphauit. Sed, dum in hac parte
imperij omnia geruntur prosperrime, accepta in Germania clades sub legato Marco Lollio, homine in omnia
pecuniæ, quàm recte faciendi, cupidiore, & INTER SVMMAM vitiorum dissimulationem vitiosissimo,
amissaque legionis quintæ Aquila vocauit ab Vrbe in Gallias Cæsarem. Cura deinde, atque onus Germanici
belli delegata Druso Claudio, fratri Neronis, adolescenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura
mortalis recipit, vel industria percipit, cuius ingenium vtrum BELLICIS magis operibus, an ciuilibus suffe-
cerit artibus, in incerto est. Morum certe dulcedo ac suauitas, & aduersus amicos æqua ac parsui æstimatio
inimitabilis fuisse dicitur. nam pulchritudo corporis, proxima fraternæ fuit. Sed illum, magna ex parte domi-
torem Germaniæ, plurimo eius gentis variis in locis profuso sanguine, FATORVM iniquitas, consulem,
agentem annum tricesimum, rapuit. Moles deinde eius belli translata in Neronem est, quod is sua & virtute,
& fortuna administrauit, peragratusque victor omnes partes Germaniæ, SINE vllo detrimento commissi
exercitus, quod præcipue huic duci semper curæ fuit, sic perdomuit eam, vt in formam pæne stipendiariæ re-
XCVIII. digeret prouinciæ. Tum alter triumphus cum altero consulatu, ei oblatus est. Dum ea, quæ prædiximus,
in Pannonia, Germaniaque geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma
accensis, Lucij Pisonis, quem hodieque diligentissimum, atque eumdem leniissimum securitatis vrbanæ cu-
stodem habemus, virtus compressit. Quippe, legatus Cæsaris, triennio cum his bellauit, genteque ferocissi-
mas, plurimo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in pristinum pacis redegit modum,
eiusque patratione, Asiæ securitatem, Macedoniæ pacem reddidit. De quo viro hoc omnibus sentiendum ac
prædicandum est, esse MORES eius vigore aclenitate mixtissimos, & vix quemquam reperiri posse, qui aut
otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, & magis, quæ agenda sunt, curet sine vlla ostentatione
XCIX. agendi. Breui interiecto spatio, Tiberius Nero, duobus consulatibus, totidemque triumphis actis, tri-
bunicię potestatis consortione æquatus Augusto ciuium, post vnum, (& hoc, quia volebat) eminentissimus,
ducum maximus, fama fortunaque celeberrimus, & vere alterum reipublicæ lumen & caput, mira quadam
& incredibili atque inenarrabili pietate, (cuius causse mox detectæ sunt) cum Caius Cęsar sumpsisset iam viri-
lem togam, Lucius item maturus esset viris, NE FVLGOR suus orientium iuuenum obstaret initiis, dissimu-
lata caussa consilij sui, commeatum ab socero, atque eodem vitrico, *acquiescendi à continuatione laborum*, petiit.
Quis fuerit eo tempore ciuitatis habitus, qui singulorum animi, quæ digredientium à tanto viro omnium
lacrymæ, quàm pæne ei patria manum iniecerit, iusto seruemus operi. Illud etiam in hoc transcursu dicen-
dum est, ita septem annos Rhodi moratum, vt omnes, qui proconsules legatique, in transmarinas profecti
prouincias, visendi eius gratia, ad quem conuenientes, semper priuato (si illa maiestas priuata vmquam fuit)
C. fasces suos summiserint, *fusseque sint otium eius honoratius imperio sito*. SENSIT terrarum orbis, digressum à
custodia Neronem Vrbis. nam & Parthus, descisens à societate Romana, adiecit Armeniæ manum, & Ger-
mania, auersis domitoris sui oculis, rebellauit. Atin Vrbe, eo ipso anno, quo magnificentissimi gladiatorij
muneris naumachiæque spectaculis, Diuus Augustus, abhinc annos triginta, se, & Gallo Caninio consulibus
dedicato Martis templo, animos oculosque populi Romani repleuerat, fœda dictu, memoriaque horrenda in
ipsius domo tempestas erupit. Quippe filia eius Iulia, PER OMNIA tanti parentis ac viri immemor, nihil,
quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine infectum reliquit, MAGNITVDINEMQVE
fortunæ suæ peccandi licentia metiebatur, quidquid liberet, pro licito iudicans. Tum Iulus Antonius,
singulare exemplum clementiæ Cæsaris, violator eius domus, ipse sceleris à se commissi vltor fuit; quem,
victo eius patre, non tantum incolumitate donauerat, sed sacerdotio, prætura, consulatu, prouinciis,
honoratum etiam matrimonio sororis suæ filiæ, in artissimam affinitatem receperat. Quinctiusque Crispinus,
singularem nequitiam supercilio truci protegens, & Appius Claudius, & Sempronius Gracchus, ac Scipio,
aliique minoris

aliique minoris nominis, vtriusque ordinis viri, quasi cuius libet vxore violata, pœnas pependere, cum Cæsa-
ris filiam, & Neronis violassent coniugem. Iulia relegata in Insulam, patriæque, & parentum subducta oculis.
quam tamen comitata mater Scribonia, voluntarij exsilij permansit comes. Breue ab hoc intercesserat CII.
spatium, cum Caius Cæsar, ante aliis prouinciis adsidendum obitis, in Syriam missus, conuento prius Tiberio
Nerone, cui omnem honorem, vt superiori, habuit, tam varie se ibi gessit, vt nec laudaturum magna, nec vitu-
peraturum mediocris materia deficiat, cum rege Parthorum iuuenes excelsissimæ insulæ, quam amnis Eu-
phrates ambiebat, æquato vtriusque partis numero, coiit. Quod spectaculum stantis ex diuerso hinc Romani,
illinc Parthorum exercitus, cum duo inter se eminentissima imperiorum, & hominum coirent capita, perquàm
clarum & memorabile, sub initia stipendiorum meorum, tribuno militum mihi visere contigit. quem militiæ
gradum ante sub patre tuo, Marco Vinicio, & Publio Silio auspicatus, in Thracia, Macedoniaque, mox
Achaia, Asiaque, & omnibus ad Orientem versus prouinciis, & ore atque vtroque maris Pontici latere,
haud iniucunda tot rerum, locorum, gentium, vrbium recordatione perfruor. Prior Parthus apud Caium in
nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est. Quo tempore Marci Lollij, quem veluti CIII.
moderatorem iuuentæ filij sui Augustus esse voluerat, perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia, per
Parthum indicata, Cæsaris ira euulgauit: cuius mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro.
Sed, quàm hunc decessisse lætati homines, tam paullo post obisse Censorinum in iisdem prouinciis, grauiter
tulit ciuitas, virum DEMERENDIS hominibus genitum. Armeniam deinde ingressus, prima parte introitus
prospere gessit; mox in colloquium (cui se temere credideral) circa Artageram grauiter à quodam, nomine
Adduo, vulneratus, ex eo, VT CORPVS minus habile, ita animum minus vtilem reipublicæ habere cœpit.
Nec defuit conuersatio hominum, VITIA eius assentatione alentium. etenim SEMPER magnæ fortunæ
comes adest Adulatio: per quæ eo ductus erat, vt in vltimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consene-
scere, quàm Romam regredi, mallet. Diu reluctatus, inuitusque reuertens in Italiam, in vrbe Lyciæ (Limy-
ram nominant) morbo obiit; cum ante annum ferme quinquagesimum Cęsar, frater eius, Hispanias petens, CIIII.
Massiliæ decessisset. Sed fortuna, quæ subduxerat spem magni nominis, iam tum reipublicæ suæ præsidia
reddiderat. quippe ante vtriusque horum obitum, patre tuo Publio Vinicio consule, Tiberius Nero, reuersus
Rhodo incredibili lætitia partam repleuerat. Non est diu cunctatus Cæsar Augustus. NEQVE enim quæ-
rendus erat, quem legeret, sed legendus, qui eminebat. Itaque, quod post Lucij mortem, adhuc Caio viuo,
facere voluerat, eoque vehementer repugnante Nerone, erat inhibitus; post vtriusque adolescentium obi-
tum facere perseueravit, vt & tribuniciæ potestatis consortionem Neroni constitueret, multum quidem eo
cum domi, tum in Senatu recusante, & euim Ælio Cato Sentio consule quinto Kalendas Iulias, post Vrbem
conditam annis septingentis quinquaginta quatuor, adhinc annis vigintiseptem, adoptaret. Lætitiam illius
diei, concursumque ciuitatis, & vota pæne inferentium cælo manus, spemque conceptæ perpetuæ securitatis
æternitatisque Romani imperij, vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere tente-
mus. id vnum dixisse iuuat, quàm ille omnibus fuerit carus. TVM REFVLSIT certa spes liberorum paren-
tibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonij, omnibus hominibus, salutis, quietis, pacis, tranquillitatis,
adeo, vt nec plus sperari potuerit, nec spei responderi felicius. Adoptatus eadem die etiam Marcus CIV.
Agrippa, quem post mortem Agrippæ Iulia enixa erat. sed in Neronis adoptione illud adiectum, his ipsis
Cæsaris verbis: *Hoc*, inquit, *reipublicæ caussa facio*. Non diu vindicem, custodemque imperij sui morata in Vrbe
patria, protinus in Germaniam misit; vbi ante triennium sub Marco Vinicio, auo tuo, clarissimo viro, immen-
sum exarserat bellum. erat & ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eoque no-
mine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia. Hoc tempus me, functum
ante tribunatu castrorum, Tiberij Cæsaris militem fecit. quippe, protinus ab adoptione missus cum eo præfe-
ctus equitum in Germaniam, successor officij patris mei, cælestissimorum eius operum per annos continuos
nouem præfectus, aut legatus, spectator, &, pro captu mediocritatis meæ, adiutor fui. Neque illi spectaculo,
quo fructus sum, SIMILE CONDICIO mortalis recipere videtur mihi; cum per celeberrimam Italiæ
partem, tractum omnem Galliæ prouinciarum, veterem Imperatorem, & ante meritis ac viribus, quam no-
mine, Cæsarem reuisentes, sibi quisque, quàm illi, gratularentur plenius. At vero militum conspectu eius
elicitæ gaudio lacrymæ alacritasque, & salutationis noua quædam exsultatio, & contingendi manum cupidi-
tas, non continentium protinus, quin adiicerent, *Videmus te, Imperator saluum recepimus*, ac deinde, *Ego tecum
Imperator, in Armenia, ego in Rætia fui: ego à te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germania donatus sum*; neque
verbis exprimi, & fortasse vix merenti fidem potest. Intrata protinus Germania, subacti Caninefates, CV.
Attuari, Bructeri, recepti Cherusci gentes, & amnis, mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis: penetrata
vlteriora, cum OMNEM PARTEM asperrimi & periculosissimi belli Cæsar vindicaret, in iis, quæ minoris
erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris eius in Germania fuerat, præfecisset, virum
multiplicem virtutibus, nauum, agilem, prouidum, militariumque officiorum patientem ac peritum pariter
sed eundem, vbi negotia fecissent locum otio, liberaliter lauteque eo abutentem, ita tamen, vt eum
splendidum ac hilarem potius, quàm luxuriosum, aut desidem, diceres. de cuius viri claro celebrique consu-
latu prædiximus. Anni eius æstiua, vsque in mensem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecere
victoriæ. PIETAS sua Cæsarem, pæne obstructis hieme alpibus, in Vrbem traxit, ad tutelam imperij: eum
verisinitio reduxit in Germaniam; in cuius mediis finibus, ad caput Iuliæ fluminis, hiberna digrediens prin-
ceps locauerat. Pro dij boni, quanti voluminis opera insequenti æstate, sub duce Tiberio Cæsare, gessi- CVI.
mus! Perlustrata armis tota Germania est. victæ gentes, pæne nominibus incognitæ. receptæ Cauchorum
nationes, omnis eorum iuuentus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis ar-
mis, vna cum ducibus suis, sæpta fulgenti armatoque militum nostrorum agmine, ante imperatoris procu-
buit tribunal. Fracti Longobardi, gens etiam Germana feritate ferocior. Denique, quod nunquam antea spe
conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum miliarium, à Rheno vsque ad flumen
Albim, qui Senonum Hermundorumque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus, &
eodem; mira FELICITATE & cura ducis, temporum quoque obseruantia, classis, quæ Oceani

circumnauigauerat ſinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi ſubuecta, plurimarum gentium
CVII. victoria, cum abundantiſſima rerum omnium copia, exercitui Cæſarique ſe iunxit. Non tempero mihi, quin tantæ rerum magnitudini hoc, qualecumque eſt, inſeram. Cum citeriorem ripam prædicti fluminis caſtris occupaſſemus, & vlterior armata hoſtium iuuentute fulgeret, ſub omnem motum noſtrarum nauium protinus refugientium, vnus è barbaris, ætate ſenior, corpore excellens, dignitate, quantum oſtendebat cultus, eminens, cauatum, vt illis mos eſt, ex materia conſcendit alueum, ſoluſque id nauigij genus temperans, ad medium proceſſit fluminis, & petiit, *liceret ſibi, ſine periculo, in eam, quam armis tenebamus, egredi ripam, ac videre Cæſarem.* Data petenti facultas. Tum, appulſo lintre, & diu tacitus contemplatus Cæſarem, *Noſtra quidem,* inquit, *fuit iuuentus, quæ cum veſtrum numen abſentium colat, præſentium potius arma metuit, quam ſequitur fidem. ſed ego, beneficio ac permiſſu tuo, Cæſar, quos ante audiebam, hodie vidi deos: nec feliciorem vllum vitæ meæ aut optaui aut ſenſi diem.* Impetratoque, vt manum contingeret, reuerſus in nauiculam, ſine fine reſpectans Cæſarem, ripæ ſuorum appulſus eſt. Victor omnium gentium, locorumque, quos adierat, Cæſar, cum incolumi inuiolatoque,
CVIII. & ſemel tantummodo, magna cum clade hoſtium, fraude eorum tentato exercitu, in hiberna legiones reduxit, eadem, qua priore anno, feſtinatione vrbem petens. Nihil erat iam in Germania, quod vinci poſſet, præter gentem Marcomannorum, quæ, Maroboduo duce, excita ſedibus ſuis, atque in inferiora refugiens, incinctos Herciniæ ſiluæ campos incolebat. Nulla feſtinatio huius viri mentionem tranſgredi debet. Maroboduus, genere nobilis, corpore præualens, animo ferox, NATIONE magis, quam ratione, barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, & ex voluntate parentium conſtantem inter ſuos occupauit principatum; ſed, certum imperium, vimque regiam complexus animo, ſtatuit, auocata procul à Romanis gente ſua, eo progredi; vbi, cum propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima. Occupatis igitur, quos prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus iuris ſui fecit.
CIX. Corpus ſuum cuſtoditum, imperium, perpetuis exercitiis, pene ad Romanæ diſciplinæ formam redactum, breui in eminens, & noſtro quoque imperio timendum perduxit faſtigium; gerebatque ſe ita aduerſus Romanos, vt neque bello nos laceſſeret, &, ſi laceſſeretur, ſuperesſe ſibi vim, ac voluntatem reſiſtendi declararet. Legati, quos mittebat ad Cæſares, interdum vt ſupplicem commendabant, interdum vt pro pari loquebantur. Gentibus hominibuſque à nobis deſciſcentibus erat apud eum perfugium; totumque ex male diſſimulato agebat æmulum; exercitumque, quem ſeptuaginta millium peditum, quattuor equitum, fecerat aſſiduis aduerſus finitimos bellis exercendo, maiori, quàm quod habebat, operi præparabat. Erat que etiam eo timendus, quod, cum Germaniam ad læuam, & in fronte; Pannoniam ad dextram, à tergo ſedium ſuarum haberet Noricos, tanquam in omnes ſemper venturus, ab omnibus timebatur. Nec ſecuram incrementi ſui patiebatur eſſe Italiam: quippe cum à ſummis Alpium iugis, quæ finem Italiæ terminant, initium eius finium haud multo plus ducentis millibus paſſuum abeſſet. Hunc virum, & hanc regionem proximo anno diuerſis è partibus Tiberius Cæſar aggredi ſtatuit. Sentio Saturnino mandatum, vt per Cattos, excifis continentibus Herciniæ ſiluis, legiones Boiohœmum (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen eſt) ipſe à Carnunto,
CX. qui locus Norici Regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orſus eſt. RVMPIT, interdum moratur propoſita hominum, Fortuna. Præparauerat iam hiberna Cæſar ad Danubium. admotoque exercitu non plus, quam v. dierum iter à primis hoſtium, Saturninum admoneri placuerat. pene æquali diuiſæ interuallo ab hoſte, intra paucos dies in prædicto loco cum Cæſare iuncturæ erant, cum vniuerſa Pannonia, INSOLENS longæ pacis bonis, & adulta viribus Dalmatia, omnibus tractus eius gentibus in ſocietatem adductis, ex conſtituto arma corripuit. Tum NECESSARIA glorioſis præpoſita; neque tutum viſum, abdito in interiora exercitu, vacuam tam vicino hoſti relinquere Italiam. Gentium nationumque, quæ rebellauerant, omnis numerus amplius octingentis millibus explebat. ducenta fere peditum colligebantur, armis habilia, equitum nouem. cuius immenſæ multitudinis, parentis acerrimis ac peritiſſimis ducibus, parsperetere Italiam decreuerat, iunctam ſibi Nauporti ac Tergeſtis confinio; pars in Macedoniam eruperat; pars ſuis ſedibus præſidium eſſe deſtinauerat. Proxima duobus Batonibus, ac Pineti ducibus auctoritas erat. In omnibus autem Pannoniis non diſciplinæ tantummodo, ſed linguæ quoque notitia Romanæ; pleriſque etiam litterarum vſus, & familiaris animorum erat exercitatio. Itaque, hercules, NVLLA VMQVAM natio tam mature conſilio belli bellum iunxit ac decreta patrauit. oppreſſi ciues Romani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum numerus, ad internecionem, ea in regione, quæ plurimum ab Imperatore aberat, cæſus. occupata armis Macedonia; omnia, & in omnibus locis, igni ferroque vaſtata: quia tantus etiam huius belli metus fuit, vt STABILEM illum, & firmatum tantorum bellorum
CXI. experientia, Cæſaris Auguſti animum quateret atque terreret. Habiti itaque delectus, reuocati vndique omnes veterani, viri feminæque ex cenſu libertinum coactæ dare militem. Audita in ſenatu vox principis, *Decimo die, ni caueretur, poſſe hoſtem in Vrbis Romæ venire conſpectum.* Senatorum, equitumque Romanorum exacte ad id bellum operæ pollicitæ. OMNIA hæc fruſtra præparaſſemus, niſi, qui illa regeret, fuiſſet. Itaque, vt præſidium militum, reſpublica ab Auguſto ducem in bellum poposcit Tiberium. Habuit in hoc quoque bello mediocritas noſtra ſpecioſi miniſtri locum. Finita equeſtri militia, deſignatus quæſtor, necdum ſenator æquatus ſenatoribus, & iam deſignatis tribunis plebei partem exercitus ab Vrbe, traditi ab Auguſto, perduxi ad filium eius: in quæſtura deinde, remiſſa ſorte prouinciæ, legatus eiuſdem ad eundem miſſus, quas nos primo anno acies hoſtium vidimus? quantis, prudentia ducis, opportunitatibus, furentes eorum vires vniuerſas euaſimus partibus? quanto cum temperamento ſimul vtilitatis res auctoritate Imperatoris agi vidimus? qua prudentia hiberna diſpoſita ſunt? quanto opere, incluſus cuſtodiis exercitus noſtri, ne qua poſſet erumpere,
CXII. inopſque copiarum, & intra ſe furens, viribus hoſtis elangueſceret? Felix euentu, forte conatu, prima æſtate belli Meſſalini opus mandandum eſt memoriæ; qui vir, animo etiam, quàm gente, nobilior, digniſſimus qui & patrem Coruinum habuiſſet, & cognomen ſuum Cottæ fratri relinqueret, præpoſitus Illyrico, ſubdita rebellione, cum ſemiplena legione viceſima, circumdatus hoſtili exercitu, amplius viginti millia hoſtium fudit, fugauitque, & ob id ornamentis triumphalibus honoratus eſt. Ita placebat barbaris numerus ſuus, ita fiducia virium, vt, VBICVMQVE Cæſar eſſet, nihil in ſe reponerent. pars exercitus eorum propoſita

ipſi duci, & ad arbitrium vtilitatemque noſtram macerata, perductaque ad exitiabilem famem neque inſtantem ſuſtinere, neque facientibus copiam pugnandi dirigentibuſque aciem, auſa congredi occupato monte Claudio, munitione ſe defendit. At ea pars, quæ obuiam ſe effuderat exercitui, quem Aulus Cæcina & Siluanus Plautius conſulares ex tranſmarinis adducebant prouinciis, circumfuſa quinque legionibus noſtris, auxiliaribuſque, & equitatu regio, (quippe magna Thracum manu iunctus prædictis ductibus Rhemætalces, Thraciæ rex, in adiutorium eius belli ſecum trahebat) pæne exitiabilem omnibus cladem intulit. Fugata regiorum equeſtris acies, fugatæ alæ, conuerſæ cohortes ſunt: apud ſigna quoque legionum trepidatum. ſed Romana virtus militis plus eo tempore vindicatum gloriæ quam ducibus, reliquit: qui, multum amore imperatoris ſui crepantes, ante in hoſtem inciderunt, quam per exploratores; vbi hoſtis eſſet, cognoſcerent. Iam igitur, in dubiis rebus ſemetipſæ legiones adhortatæ, iugulatis ab hoſte quibuſdam tribunis militum, interrempto præfecto caſtrorum, præfectiſque cohortium, non incruentis centurionibus, quibus etiam primi ordines cecidere, inuaſere hoſtes: nec ſuſtinuiſſe contenti, perrupta eorum acie, ex inſperato victoriam vindicauerunt. Hoc fere tempore Agrippa, qui eodem die, quo Tiberius, adoptatus ab auo ſuo naturali erat, & iam ante biennium, qualis eſſet, apparere cœperat, MIRA prauitate animi atque ingenij in præcipitia conuerſus, patris, atque eiuſdem aui ſui animum alienauit ſibi, moxque, creſcentibus in dies vitiis, dignum furore ſuo
CXIII. habuit exitum. Accipe nunc, Marce Vinici, TANTVM in bello ducem, quantum in pace vides principem. Iunctis exercitibus, quique ſub Cæſare fuerant, quique ad eum venerant, contractiſque in vna caſtra decem legionibus, ſeptuaginta amplius cohortibus, quatuordecim, ſed pluribus quam decem veteranorum millibus, ad hoc magno voluntariorum numero, frequentique equite regio, tanto denique exercitu, quantus nullo vmquam loco poſt bella fuerat ciuilia, omnes eo ipſo læti erant, maximamque fiduciam victoriæ in numero reponebant. At imperator optimus, eorum, quæ agebat, iudex, & vtilia ſpecioſis præferens, quodque ſemper eum facientem vidi, IN OMNIBVS bellis, quæ probanda eſſent, non quæ vtique probarentur, ſequens, paucis diebus exercitum, qui venerat ad refouendas ex itinere eius vires, moratus, cum eum MAIOREM, quam vt temperari poſſet, neque habilem gubernaculo cerneret, dimittere ſtatuit: profecutuſque longo, & perquàm laborioſo itinere, cuius difficultas narrari vix poteſt, vt neque vniuerſos quiſquam auderet aggredi, & partem digredientium ſuorum quiſque metu finium vniuerſi tentare non poſſent, remiſit eo, vnde venerant. & ipſe, aſperrimæ hiemis initio regreſſus Siſciam, legatos, inter quos ipſi fuimus,
CXIV. partitis præfecit hibernis. O rem dictu non eminentem, ſed ſolida veraque virtute atque vtilitate maximam, experientia ſuaui ſſimam, humanitate ſingularem! Per omne belli Germanici Pannonicique tempus, NEMO è nobis, gradumve noſtrum aut præcedentibus, aut ſequentibus, imbecillus fuit, cuius ſalus ac valetudo non ita ſuſtentaretur Cæſaris cura, tanquam diſtractiſſimus ille tantorum onerum mole huic vni negotio vacaret animus. Erat deſiderantibus paratum iunctum vehiculum, lectica eius publicata, cuius beneficium cum alij, tum ego ſenſi. Iam medici, iam apparatus cibi, iam in hoc ſolum importatum inſtrumentum balinei, nullius non ſuccurrit valetudini. Domus tantum, ac domeſtici deerant, cetera nihil, quod ab illis aut præſtari, aut deſiderari poſſet. Adiice iam illud, quod, quiſquis illis temporibus interfuit, (vt alia, quæ retuli) agnoſceret protinus. Solus ſemper equo vectus eſt, ſolus cum iis, quos inuitauerat, maiore parte æſtiuarum expeditionum, cenauit ſedens, NON ſequentibus diſciplinam, quatenus exemplo non nocebatur, ignouit, ADMONITIO frequens inerat, & caſtigatio, vindicta rariſſima, agebatque medium, plurima diſſimulantis, aliqua inhibentis. Hiems emolumentum patrati belli contulit. ſed inſequenti æſtate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus, pacem petiit. Ferocem illam tot millium iuuentutem, paullo ante ſeruitutem minatam Italiæ, conferentem arma, quibus vſa erat, apud flumen nomine Bathinum, proſternentemque ſe vniuerſam genibus imperatoris, Batonemque & Pinetem, excelſiſſimos duces, captum alterum, alterum deditum, iuſtis voluminibus ordine narrabimus, vt ſpero. Autumno victor in hiberna reducitur exercitus, cuius omnibus copiis à Cæſare Marcus Lepidus præfectus eſt, vir nominis ac fortunæ eorum proximus, quem in QVANTVM QVISQVE aut cognoſcere, aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit,
CXV. tantorumque nominum, quibus ortus eſt, ornamentum iudicat. Cæſar ad alteram belli Delmatici molem animum atque arma contulit. in qua regione quali adiutore legatoque fratre meo, Magio Celere Velleiano, vſus ſit, ipſius patriſque eius prædicatione teſtatum eſt, & ampliſſimorum honorum, quibus triumphans eum Cæſar donauit, ſignat memoria. Initio æſtatis Lepidus, educto hibernis exercitu, PER GENTES integras, immuneſque adhuc clade belli, & eo feroces ac truces, tendens ad Tiberium imperatorem, & cum difficultate locorum, & cum vi hoſtium luctatus, magna cum clade obſiſtentium, exciſis agris, exuſtis ædificiis, cæſis viris, lætus victoria, prædaque onuſtus, peruenit ad Cæſarem, & ob ea, quæ ſi propriis geſſiſſet auſpiciis, triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus, conſentiente cum iudicio principum voluntate ſenatus, donatus eſt. Illa æſtas maximi belli conſummauit effectus. quippe Daoriſi & Deſitiates Delmatæ, ſitu locorum ac montium, ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi ſcientia, & præcipue anguſtiis ſaltuum pæne inexpugnabiles, non iam ductu, ſed manibus atque armis ipſius Cæſaris tum demum pacati ſunt, cum pæne funditus euerſi forent. Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germania aut videre maius, aut mirari magis potui, quàm quod imperatori NVNQVAM adeo vlla opportuna viſa eſt victoriæ occaſio, quam damno amiſſi penſaret
militis: ſemperque VISVM EST GLORIOSVM, quod eſſet tutiſſimum, & ante conſcientiæ, quàm famæ,
CXVI. conſultum; nec vmquam conſilia ducis iudicio exercitus, ſed exercitus prouidentia ducis rectus eſt. Magna in bello Delmatico experimenta virtutis, in multos ac difficiles locos præmiſſus Germanicus dedit, celebris etiam opera diligenti Quintus Iulius Poſtumus, vir conſularis, præpoſitus Delmatiæ ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos Paſſienus & Coſſus, viri quibuſdam diuerſis virtutibus celebres, in Africa meruerant. Sed Coſſus victoriæ teſtimonium etiam in cognomen filij contulit, adoleſcentis in OMNIVM virtutum exempla geniti. At Poſtumi operum Lucius Apronius particeps, illa quoque militia eos, quos mox conſecutus eſt, honores excellenti virtute meruit. Vtinam non maioribus experimentis teſtatum eſſet, quantum in omni re Fortuna poſſet, ſed in hoc quoque genere abunde agnoſci vis eius poteſt. nam & Scianus, vir antiquiſſimi moris, & priſcam grauitatem ſemper humanitate temperas, in Germania Illyricoque,

& mox in Africa, splendidissimis functus ministeriis, non merito, sed materia adipiscendi triumphalia, defectus est. Et Aulus Licinius Nerua Silanus, Publij Silij filius, quem virum, NE QVI intellexit quidem, abunde miratus est, ne nihil non optimo ciui, simplicissimo duci periisset, præreptus immature, & fructu amplissimæ principis amicitiæ consummatione euectæ in altissimum paternumque fastigium imaginis, defectus est. Horum virorum mentione si quis quæsisse me dicet locum, fatentem arguet. NEQVE enim iustus sine
CXVII. mendacio candor apud bonos crimini est. Tantum quod vltimam imposuerat Pannonico ac Delmatico bello Cæsar manum, cum, intra quinque consummati tanti operis dies, funestæ ex Germania epistolæ, cæsi Vari, trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum, & sex cohortium, velut in hoc saltem tantummodo indulgente nobis fortuna, ne occupato duce. Et caussa, persona, moram exigit. Varo Quinctilius, illustri magis quàm nobili ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus, vt corpore & animo immobilior, otio magis castrorum, quam bellicæ assuetus militiæ; pecuniæ vero quàm non contemptor, Syria, cui præfuerat, declarauit; quam pauper diuitem ingressus, dives pauperem reliquit: is cum exercitui, qui erat in Germania, præesset, concepit esse homines, qui nihil, præter vocem membraque, haberent hominum; quique gladiis domari non poterant, posse iure mulceri. Quo proposito mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, iurisdictionibus, agendoque protribunali ordine, trahebat æstiua.
CXVIII. At illi, quod, nisi expertus, vix credebat, in summa feritate versutissimi, natumque mendacio genus, simulantes factas litium series, & nunc prouocantes alter alterum iniuria, nunc agentes gratias, *quod eas Romana iustitia finiret, feritasque sua, nouitate incognitæ disciplinæ, mitesceret, & solitâ armis discerni iure terminarentur*, in summam socordiam perduxere Quinctilium. vsque eo, vt se prætorem vrbanum in foro ius dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet. Tum iuuenis, genere nobilis, manu fortis, sensu celer; VLTRA barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri, principis gentis eius, filius, ARDOREM animi, vultu oculisque præferens, assiduus militiæ nostræ prioris comes, & iam ciuitatis Romanæ ius equestremque consecutus gradum, segnitia ducis in occasionem sceleris vsus est, haud imprudenter speculatus, NEMINEM CELERIVS opprimi, quam qui nihil timeret, & frequentissimum initium esse calamitatis, Securitatem. Primo igitur paucos, mox plures in societatem consilij recipit, opprimi posse Romanos, & dicit & persuadet, decretis facta iungit, tempus insidiarum constituit. Id Varo per virum eius gentis fidelem, clarique nominis Segesten indicatur: sed prævalebant iam fata consiliis, omnemque animi eius aciem præstrinxerant. Quippe ita se res habet, VT PLERVMQVE, QVI FORTVNAM mutaturus est, consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est, vt, quod accidit, id etiam merito accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Negat itaque *se credere, spemque in se benevolentiæ ex merito æstimare* profitetur. Nec diutius, post primum indicem, secundo relictus locus.
CXIX. Ordinem atrocissimæ calamitatis, qua nulla, post Crassi in Parthis damnum, in externis gentibus, grauior Romanis fuit, iustis voluminibus, vt alij, ita nos conabimur exponere: nunc summa defenda est. Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, MARCORE DVCIS, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumuentus; cum ne pugnandi quidem egregie occasio, in quantum voluerant, data esset miseris, castigatis etiam quibusdam graui pœna, quia Romanis & armis & animis vsi fuissent, inclusus siluis, paludibus, insidiis, ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidauerat, vt vitam aut mortem eius nunc ira, nunc venia temperaret. DVCI plus ad moriendum, quam ad pugnandum, animi fuit. quippe, paterni auitique exempli successor, se ipse transfixit. At è præfectis castrorum duobus quam clarum exemplum Lucius Eggius, tam turpe Ceionius prodidit, qui, cum longe maximam partem absumpsisset acies, auctor deditionis, SVPPLICIO, quàm prœlio, mori maluit. At Volumnius, legatus Vari, cetera quietus ac probus, DIRI AVCTOR exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fuga cum aliis Rhenum petere ingressus est, quod factum eius Fortuna vlta est. non enim desertis superfuit, sed deserror occidit. Vari corpus semiustum hostilis lacerauerat feritas, caput eius, abscissum, latumque ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem, gentilitij tandem tumuli sepultura honoratum est.
CXX. His auditis, reuolat ad patrem Cæsar perpetuus patronus Romani Imperij, assuetam sibi causam suscipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, præsidia munit, SE MAGNITVDINE sua, non fiducia hostium, metiens, qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiæ minabantur, vltra Rhenum, cum exercitu, transgreditur. Arminio territo, quem arguisse pater & patria contenti erant, penetrat interius, aperit limites, vastat agros, vrit domos, fundit obuios, MAXIMAQVE cum gloria, incolumi omnium, quos transduxerat, numero, in hiberna reuertitur. Reddatur verum Lucio Asprenati testimonium, qui, legatus sub auunculo suo Varo militans, noua viriliqtte opera duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tanta calamitate seruauit, matureque ad inferiora hiberna descendendo, vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmauit. Sunt tamen, qui, VT VIVOS ab eo vindicatos, ita iugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia, hereditatemque excisi exercitus, in quantum voluerit, ab eo aditam. Lucij etiam Ceditij, præfecti castrorum, eorumque, qui, vna circumdati Alisone, immensis Germanorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est, qui, omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, NEC TEMERARIO consilio, nec segni prouidentia vsi, speculatique opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere reditum. Ex quo apparet, Varum, sane grauem, & bonæ voluntatis virum, MAGIS imperatoris defectum consilio, quam virtute destitutum militum, se, magnificentissimumque perdidisse exercitum. Cum in captiuos sæuiretur à Germanis, præclari facinoris auctor fuit Caldus Cœlius, VETVSTATE familiæ suæ dignissimus, qui, complexus catenarum, quibus vinctus erat,
CXXI. seriem, ita illas inlisit capiti suo, vt protinus pariter sanguinis cerebrique influuio exspiraret. Eadem & virtus & fortuna, subsequenti tempore, ingressa animam Imperatoris Tiberij fuit, quæ initio fuerat, qui, concussis hostium viribus, classicis peditumque expeditionibus, cum res Galliarum maximæ molis, accensasque plebis Viennensium dissensiones, COERCITIONE magis, quam pœna, mollisset, & senatus populusque Romanus postulante patre eius, vt æquum ei ius in omnibus prouinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto complexus esset: (etenim ABSVRDVM erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur, &, qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non iudicari parem) in Vrbem reuersus

iampridem debitum. sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis, Delmatisque egit triumphum. cuius magnificentiam quis miretur in Cæsare? fortunæ vero quis non miretur indulgentiam? quippe omnes EMINENTISSIMOS hostium duces occisos fama narrauit, sed vinctos triumphus ostendit. quem mihi fratrique meo, inter præcipuos, præcipuisque donis adornatos viros, comitari contigit. Quis non inter reliqua, quibus singularis moderatio Tiberij Cæsaris elucet, atque eminet, hoc quoque miretur, quod, cum sine vlla dubitatione SEPTEM triumphos meruerit, tribus contentus fuerit? Quis enim dubitare potest, quin ex Armenia CXXII.
recepta, & ex rege ei præposito, cuius capiti insigne regium sua manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis, ouans triumphare debuerit? &, Vindelicorum Rætorumque victor, curru Vrbem ingredi? fractis deinde post adoptionem, continua triennij militia, Germaniæ viribus, idem illi honor & deferendus, & recipiendus fuerit? &, post cladem sub Varo acceptam, ocius prosperrimo rerum euentu, eadem excisa Germania triumphum summi ducis adornare debuerit? Sed in hoc viro, nescias, vtrum magis mireris, quod LABORVM periculorumque semper excessit modum, an quod honorum temperauit. Venitur ad tempus, in quo fuit CXXIII.
plurimum metus. quippe Cæsar Augustus, cum Germanicum, nepotem suum, reliqua belli patraturum, misisset in Germaniam, Tiberium autem filium missurus esset in Illyricum, ad firmanda pace, quæ bello subegerat, prosequens eum, simulque interfuturus athletarum certaminis ludicro, quod eius honori sacratum à Neapolitanis est, processit in Campaniam: quamquam iam motus imbecillitatis, inclinatæque in deterius principia valetudinis senserat; tamen obnitente vi animi, prosecutus filium, digressusque ab eo Beneuenti, ipse Nolam petiit; & ingraueſcente in dies valetudine, cum sciret, quis, volenti omnia post se salua remanere, accersendus foret, festinanter reuocauit filium. ille ad patrem patriæ exspectato reuolauit maturius. Tum, securum se Augustus prædicans, circumfususque amplexibus Tiberij sui, commendans illi sua, atque ipsius opera, nec quidquam iam de fine, si fata poscerent, recusans, subrefectus primo conspectu, alloquioque carissimi sibi spiritus. mox, cum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia, Pompeio Appuleioque Consulibus, septuagesimosexto anno animam cælestem cælo reddidit. Quid tunc homines timuerint, quæ CXXIV.
senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus, in quam ARTO SALVTIS exitiique fuerimus confinio, neque mihi, tam festinanti, exprimere vacat; neque, cui vacat, potest. Id solum voce publica dixisse habeo: CVIVS VRBIS RVINAM timueramus, eam ne commotam quidem sensimus. tantaque vnius viri maiestas fuit, vt nec bonis, neque contra malos opus armis foret. Vna tamen veluti luctatio ciuitatis fuit, pugnantis cum Cæsare Senatus Populique Romani, vt statioui paternæ succederet; illius vt potius æqualem ciuem, quàm eminentem liceret agere principem. tandem MAGIS ratione, quàm honore, victus est; cum QVIDQVID TVENDVM non suscepisset, perituram videret. solique huic contigit, pœne DIVTIVS RECVSARE principatum, quàm, vt occuparent eum, alij armis pugnauerant. Post redditum cælo patrem, & corpus eius humanis honoribus, nomen diuinis honoratum, primum Principalium eius operum fuit, Ordinatio comitiorum; quam, manu sua scriptam, Diuus Augustus reliquerat. Quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Cæsaris, proxime à nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari prætoribus contigit, consecutis, vt neque post nos quemquam Diuus Augustus, neque ante nos Cæsar commendaret Tiberius. Tulit protinus CXXV.
& voti, & consilij sui pretium respublica: neque diu latuit, aut quid, non impetrando, passuri fuissemus; aut quid, impetrando, profecissemus. quippe exercitus, qui in Germania militabat, præsentisque Germanici imperio regebatur, simulque legiones, quæ in Illyrico erant, RABIE QVADAM & profunda confundendi omnia cupiditate, nouum ducem, nouum statum, nouam quærebant rempublicam. quinetiam ausi sunt minari, DATVROS SENATVI, DATVROS PRINCIPI LEGES; modum stipendij, finem militiæ sibi ipsi constituere conati sunt. processum etiam in arma ferrumque strictum est, & pœne in vltimum gladiorum erupit impunitas. defuitque, qui contra rempublicam duceret, non qui sequerentur. Sed hæc omnia veteris Imperatoris MATVRITAS, multa inhibentis, aliqua cum grauitate pollicentis, inter seueram præcipue nostrorum vltionem, mitis aliorum castigatio, breui sopiit ac sustulit. Quo quidem tempore, vt pleraque ignaue Germanicus, ita Drusus, qui à patre in id ipsum, plurimo quidem igne emicans, incendium militaris tumultus missus erat, prisca antiquaque seueritate vsus, ancipitia sibi tam re, quàm exemplo, pernicioſa, & his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coercuit, singulari adiutore in eo negotio vsus, Iunio Blæso, viro nescias VTILIORE in castris, an meliore in toga. qui, post paucos annos proconsul in Africa, ornamenta tiiumphalia, cum appellatione Imperatoria, meruit. ac Hispanias, exercitumque virtutibus, celeberrimaque in Illyrico militia, vt prædiximus, cum imperio obtineret, in summa pace quietè continuit; cum ei pietas rectissima sentiendi, & auctoritas, quæ sentiebat, obtinendi, superesset. cuius curam ac fidem, Dolabella quoque, vir simplicitatis generosissimæ, in maxima parte Illyrici per omnia imitatus est. Horum CXXVI.
sexdecim annorum opera quis, cum inserta sint oculis animisque omnium, in partibus eloquatur? Sactauit parentem suum Cæsar non imperio, sed religione. non appellauit eum, sed fecit deum. REVOCATA in forum fides, summota è foro seditio, ambitio campo, discordia curia, sepultæque ac situ obsitæ; iustitia, æquitas, industria, ciuitati redditæ; accessit magistratibus auctoritas, senatui maiestas, iudiciis grauitas, compressa theatralis seditio, recte faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita necessitas. honorantur recta, praua puniuntur. suspicit potentem humilis, non timet. antecedit, non contemnit, humiliorem potens. quando annona moderatior? quando pax lætior? Diffusa in Orientis Occidentisque tractus, & quidquid meridiano aut septemtrione finitur, PAX AVGVSTA per omnes terrarum orbis angulos à latrociniorum metu seruat immunes. Fortuita non ciuium tantummodo, sed Vrbium damna Principis munificentia vindicat. Restitutæ vrbes Asiæ. vindicatæ ab iniuriis magistratuum prouinciæ. honor dignis paratissimus. pœnæ in malos sera, sed aliqua. superatur æquitate gratia, ambitio virtute. nam, FACERE RECTE ciues suos, Princeps optimus, faciendo, docet, cumque sit Imperio maximus, exemplo maior est. RARO EMINEN- CXXVII.
TES viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam suam vsi sunt, vt duo Scipiones duobus Lælijs, quos per omnia æquauerunt sibi, vt Diuus Augustus, Marco Agrippa, &, maxime ab eo, Statilio Tauro. quibus nouitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus, triumphosque, & complura eniterentur sacerdotia, etenim MAGNA negotia magnis adiutoribus egent: neque in paruo paucitas

ministeria defecit: INTERESTQVE reipublicæ quod vsu necessarium, & dignitate eminere; vtilitatemque auctoritate muniri. Sub his exemplis Tiberius Cæsar Seianum Ælium, principe equestris ordinis patre natum, materno vero genere clarissimas, veteresque, & insignes honoribus complexum familias, habentem consulares fratres, consobrinos, auunculum, ipsum vero LABORIS ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium onerum adiutorem in omnia habuit, atque habet, virum seueritatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum, NIHIL SIBI vindicantem, eoque assequentem omnia, semper infra aliorum æstimationes se metientem, vultu, vitaque tranquillum, animo exsomnem. In
CXXV- huius virtutum æstimatione iampridem iudicia ciuitatis cum iudiciis principis certant. Neque nouus hic
III. mos senatus populique Romani est, putandi, QVOD OPTIMVM sit, esse nobilissimum. nam & illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos trecentos, Titum Coruncanium, hominem nouum, cum aliis omnibus honoribus, tum potificatu etiam maximo, ad principale extulere fastigium, & equestri loco natum Spurium Caruillium, & mox Marcum Catonem, nouum etiam, Tusculo, Vrbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in consulatus, censuras, & triumphos prouexere. &, qui Caium Marium, ignotæ originis, vsque ad sextum consulatum sine dubitatione Romani nominis habuere principem, & qui Marco Fuluio tantum tribuere, vt pæne, assentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret; quique nihil Asinio Pollioni negauerunt, quod nobilissimis, summo cum sudore, consequendum foret; profecto hoc senserunt, IN CVIVSCVMQVE animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Hęc naturalis exempli imitatio ad experiendum Seianum, Cæsarem; ad iuuanda vero onera principis, Seianum protulit, senatumque & populum Romanum eo perduxit, vt, QVOD VSV optimum intelligit, id in tutelam securitatis suæ libenter aduocet. Sed, proposita
CXXIX. quasi vniuersa Principatus Tiberij Cæsaris forma, singula recensemus. Qua ille prudentia Rhascupolim, interemptorem fratris sui filij Cotys, consortisque eiusdem imperij, euocauit? singulari in eo negotio vsus opera Flacci Pomponij, consularis viri, nati ad omnia, quæ recte facienda sunt, simplicique virtute MERENTIS semper, quàm captantis gloriam. Cum quanta grauitate, vt senator, & iudex, non vt princeps, & causas pressius audit? quam celeriter Libonem ingratum & noua molientem, oppressit? Quibus præceptis instructum Germanicum suum, imbutumque rudimentis militiæ secum actæ, domitorem recepit Germaniæ? Quibus iuuentam eius exaggerauit honoribus, respondente cultu triumphi rerum, quas gesserat, magnitudini? Quoties populum congiariis honorauit, senatorumque censum, cum id senatu auctore facere potuit, quam libenter expleuit; vt NEQVE LVXVRIAM inuitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui? Quanto cum honore Germanicum suum in transmarinas misit prouincias? Qua vi, consiliorum suorum ministro & adiutore vsus Druso, filio suo, Maroboduum, inhærentem occupati Regni finibus, pace maiestatis eius dixerim, velut serpentem, abstrusam terræ, salubribus consiliorum suorum medicamentis coegit egredi? quàm illum & honorate, nec secure continet? Quantæ molis bellum, principe Galliarum ciente Sacrouiro, Floroque Iulio, mira celeritate ac virtute compressit? vt ante populus Romanus VICISSE se, quam bellare, cognosceret; nunciosque periculi, victoriæ præcederet nuncius. Magni etiam terroris bellum
CXXX. Africum, & quotidiano auctu maius, auspiciis consiliisque eius breui sepultum est. Quanta, suo suorumque nomine extruxit opera? Quam piâ munificentiâ superque humanam euectâ fidem, Templum patri molitur! Quam magnifico animi temperamento Cnæi quoque Pompeij munera absumpta igni restituit! qui, QVIDQVID vmquam claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuendum. Qua liberalitate, cum alias, tum proxime, incenso monte Cœlio, omnis ordinis hominum iacturæ patrimonio succurrit suo? Quanta cum quiete hominum, rem perpetui præcipuique timoris, supplementum, sine trepidatione delectus prouidet? Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, apud aures deorum de his queri; quid hic meruit? primum, vt scelerata Drusus Libo iniret consilia? deinde, vt Silius & Piso; quorum alterius dignitatem constituit, auxit alterius? Vt ad maiora transcendam, quamquam & hæc ille duxit maxima; quid, vt iuuenes amitteret filios? quid, vt nepotem ex Druso suo? Dolenda adhuc retulimus: veniendum ad erubescenda est. Quantis hoc triennium, Marce Vinici, doloribus lacerauit animum eius? quamdiu abstruso, quod miserrimum est, pectus eius flagrauit incendio? quod ex nuro, quod ex nepote, dolere, indignari, erubescere, coactus est. Cuius temporis ægritudinem auxit amissa mater eminentissima, & per omnia deis, quàm hominibus, similior
CXXXI. femina; CVIVS POTENTIAM nemo sensit, nisi aut leuatione periculi, aut accessione dignitatis. Voto finiendum volumen sit. IVPPITER Capitoline, & auctor ac stator Romani nominis, Gradiue Mars, perpetuorumque custos Vesta ignium, & quidquid numinum hanc Romani Imperij molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor, atque precor, custodite, seruate, protegite hunc statum, hanc pacem, eique, functo longissima statione mortali, destinate successores quam serissimos, sed eos, quorum ceruices tam fortiter sustinendo terrarum orbis Imperio sufficiant, quam huius suffeciſſe sensimus; consiliaque omnium ciuium aut pia, * * *

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM.

A.

ACERRANIS data ciuitas. I. 14
Achæi ex Laconica pulsi. I. 3
Achæi quas sedes occupauerint. ibid.
Achæi à Q. Metello Macedonico fusi. I. 18
Achaia in bellum instincta. ibid.
Achaiam Mummius in prouinciam redigit. II. 38
Actia Victoria. II. 84
Adulatio magnæ fortunæ comes. II. 102
Ægisthus per annos VII. regni potitur. I. 8
Ægisthum Orestes cum Electra sorore obtruncat. ibid.
Ægyptus à D. Augusto facta stipendiaria. II 39
L. Æmily Paulli laudes. I. 9
Æmilius Sura de annis P. R. I. 6
Æmulatio alit ingenia. I. 17
Æoly multos locos obtinent. I. 4
Æschylus tragicus. I. 16
Æsulum deducta colonia. I. 14
Æoliam Fuluius Nobilior stipendiariam facit. II. 38
Affinitas inter Cæsarē Pompeiumq. contracta nuptijs. II. 44
Affinitas inter Antonium & Cæsarem. II. 65
Afranius I. 17. II. 48. in Togatis clarus. II. 19.
Agamemnon, rex regum, ab Ægistho occiditur. I. 1
Agrippa. II. 59
M. Agrippæ virtus. II. 79
M. Agrippa classem exornat. ibid.
M. Agrippa insigni coronæ classicæ donatur. II. 81
M. Agrippa Leucadem expugnat, Patras capit, Corinthum occupat. II. 84
M. Agrippa Iuliam vxorem ducit. II. 93
M. Agrippæ mors. II. 96
M. Agrippa, Agrippæ filius, ab Augusto adoptatus. II. 104
M. Agrippæ, nepotis Augusti, mira prauitas. II. 112
Alba deducta colonia. I. 14
Albis fl. Senonum Hermundoruque fines præterfluit. II. 106
Alcmæon vltimus Archontum Athenienſium. I. 8
Alcmana Lacones falso sibi vindicant. I. 18
Alexander Magnus à Carano septimus decimus. I. 6
Alexander Herculē paterni generis auctore gloriabatur. ibid.
Alexander Achille generis materni auctore iure gloriatus est ibid.
Alexander Magnus à Lysippo impetrauit, vt eorum equitum, qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas, & ipsius quoque ijs interponeret I. 11
Alexandria condita I. 14
Alexia. II. 47
Alsium coloni deducti. I. 14
Altinum. II. 76
Amnestia decreta. II. 58
T. Ampij & T. Labieni trib. pl. lex pro Pompeio. II. 40
Amyntas rex. II. 84
Andrum insulam Iones occupant. I. 4
Anicius. I. 9
Antiochus deuictus. I. 6
Antiochus Ephiphanes Athenis Olympicum inchoauit. I. 10
Antistius ædilicius occiditur. II. 26
L. Antonius M. Antonij frater. II. 74
L. Antonius consul Italiam tumultibus implet. ibid.
Perusiam petit. ibid.
M. Antonius orator. II. 9
Marij Cinnæque iussu confossus. II. 21
M. Antonius. C. Cæsaris in consulatu collega. II. 56
M. Antonij & Dolabellæ consulum furor. II. 60
M. Antonius occupat H S. septies millies. ibid.
M. Antonius à M. Lepido per colloquia repulsus. II. 63
M. Antonij priuigna desponsa Octauio. II. 65
M. Antonius L. Cæsarem auunculum proscribit. II. 67
M. Antonius in Italiam venit. II. 76
M. Antonius Octauiam, sororem Cæsaris, ducit vxorē. II. 78
M. Antonius ex secratione populi, spectaculo pellitur. II. 82
M. Antonii apud Parthos gesta. ibid.
M. Antonius Artauasden, Armeniæ regem, catenis aureis vincit, II. 82
M. Antonij in Cleopatram amor. ibid.
M. Antonius bellum patriæ inferre constituit. ibid.
Liberum patrem se appellari iuber. ibid.
M. Antonius militiæ classisque desertor. II. 85
M. Antonius se ipse interimit. II. 88
Antonianorum militum in pugnando constantia. ibid.
Apollinis Pythij oraculum. I. 2
Apuleius Saturninus à Mario morte multatus. II. 12
L. Apronij virtus. II. 110
Aquileia colonia deducitur. I. 15
M. Aquillio pœnas capite luit Aristonicus. II. 4
Archilochus, & Homerus soli perfectißimi in iis operibus, quorum primi auctores fuerunt. I. 5
Archontes eum honorem vsque ad charopem vsurparūt. I. 2
Archontes perpetui Athenis esse desierunt. I. 8
Archontes in X. annos Athenis creari cœpti ibid.

Argiuus nullus orator. I. 18
Arcini in ciuitatem recepti. I. 14
Arminum deducuntur coloni. ibid.
Aristoteles. I. 16
Aristodemus Vnus ex Heraclidis. I. 2
Aristonicus Asiam occupat. II. 4
Aristonicus Crassum Mucianum occidit. ibid.
Aristonicus à M Perperna victus, ductusque in triumpho. ibid.
Aristonicus pœnas M. Aquilio capite dat. ibid.
Aristonicus captus. II. 38
Aristophanes comicus. I. 16
Arminius. II. 118
Arminius, Sigimeri filius, in Varum coniurat. ibid.
Arruntius Actius resp. restituitur. II. 77
Artauasdes Armeniæ rex catenis aureis ab Antonio vinctus II. 82
Artauasdi regnum restituitur. II. 94
Artorius C. Octauij medicus. II. 70
Asculani Seruium prætorem Fonteiumque legatum occiderunt II. 15.
Asiaticum imperium ab Assyriis ad Medos translatum. I. 6
Asiam L. Scipio eripuit Antiocho. II. 38
Asia ab Attalis possessa regibus. ibid.
Asiam M. Peperna tributariam fecit. ibid.
L. Asprenatis virtus. II. 120
Assyrii, principes omnium gentium. I. 6
Asinius Pollio. II. 36
Asinius Pollio Iulianis partibus fidus. II. 63
Asinius Pollio speciosas res circa Altinum aliasque Venetiæ vrbes edidit. II. 76
Asinius Pollio Domitium iunxit Antonio. ibid.
Asinii Pollionis factum, & dictum memorabile. II. 86
Asylum. I. 8
Athenæ sub regibus esse desunt. I. 2
Athenæ à Sulla oppugnata. II. 23
Athenienses in Eubœa. I. 4
Athenienſium ingenia. I. 18
Athenienſium in Romanos fides certa. II. 23
Athenienſium decretum celeberrimum. II. 58
Atia Augusti mater. ibid.
Atreus Olympicum sacrum quando instituerit. I. 8
Attalus rex Asiam pop. Rom. hæreditate relinquit. II. 4
Attica fides. II. 23
Attius tragœdus. I. 17.
Attius in Tragœdiis clarus. II. 9
Attuari subacti. II. 105
D. Augustus Cicerone consule natus. II. 36
Augustus Cæsar in Campaniam. II. 122
Nolam petit. ibid.
exspirat. ibid.
Aurunca deducta colonia. I. 14
Auximum coloni missi. I. 15

B.

Albi Cornelij facinora. II. 51
Bathinus flumen II. 114
Batones Pannonum duces. II. 110. & 114
Bella ciuilia finita Vicesimo anno. II. 89
Belli ciuilis initia. II. 48
Belli ciuilis incendia. ibid.
Bellorum ciuilium damna. II. 89
Bellum Africum. II. 54. & 129
Bellum Campanum. II. 75
Bellum Germanicum. II. 104
Druso Claudio delegatum. II. 95
Ti. Neroni. II. 97
Bellum Italicum. II. 15
Bellum Iugurthinum. II. 11
Bellum Nolanum. II. 18
Bellum Numantinum. II. 1
Bellum Pannonicum per Neronem gestum. II. 96
Bellum Pannonicum, maximum. II. 90
Bellum seruile. II. 30
Bellum Thracium. II. 98
Beneuentum coloni deducti. I. 14
Bibulus, collega Cæsaris. II. 44
Bithyniam Nicomedes pop. R. legat. II. 39
Bocchus rex. II. 12
Boiohæmum regio. II. 89
Bononia deducta colonia. I. 15
Britannia bis à Cæsare penetrata. II. 47
Bructeri subacti. II. 105
Brundisium colonia deducta. I. 14
Brutus. II. 36
A. Bruti Gallæci præclara in Hispania militia. II. 5
D. Bruto decretus triumphus. II. 62
D. Brutus consul designatus. II. 58
D. Brutus iugulatur. II. 64. & 87
Cæsaris interfector. II. 64
M. Brutus prætor in Cæsarem coniuratus. II. 58
M. Brutus, & C. Cassius prouincias exercitusque occupant. II. 62.
M. Brutus II. 69. Lycios deuincit II. 70. Cassio melior vir. II. 72
M. Bruti morientis ætas. ibid.
M. Brutus, à Stratone Ægeate impetrat, vt sibi morituro commodet manum. II. 70
Buxentum coloni mittuntur. I. 15

C.

Cæcilius comœdus. I. 17
Cæciliæ familiæ claritudo. I. 11
A. Cæcinna. II. 112
L. Cæditij virtus laudanda. II. 120
Cæpionis censoria seueritas. II. 10
Cæsar. II. 36
C. Cæsar Strabo. II. 9
C. Cæsaris consulatus, & gesta. II. 41
C. Cæsar Magno Alexandro similimus. ibid.
C. Cæsaris lex de Campano agro plebi diuidendo. II. 44
C. Cæsar & Pompeius oppressi Ciceronis suspicione non caruerunt. II. 45
C. Cæsaris in Gallia gesta clarissima. II. 47
C. Cæsar ad vrbem. II. 49
C. Cæsar Thessaliam petit. II. 52
Cæsar in Africam. II. 55
C. Cæsaris in victos clementia. ibid.
C. Cæsar in Hispaniam. ibid
C. Cæsaris in Hispania facinus, & virtus eximia. ibid.
C. Cæsaris in vrbem reditus. II. 56
triumphi. ibid.
C. Cæsar interemptus. ibid.
C. Cæsaris obitus præmonitiones. II. 57
C. Cæsaris testamentum. II. 58
C. Cæsar cum rege Parthorum coit. II. 101
C. Cæsar ab Adduo vulneratus. II. 102
C. Cæsaris mors. ibid.
L. Cæsaris obitus. ibid.
Ti. Cæsaris gesta. II. 39
Ti. Cæsar in Germaniam reuolat. II. 121
Ti. Cæsar ex Pannonis, Delmatisque triumphum agit. ibid.

Ti. Cæsar patri succedere renuit. II. 124
Ti. Cæsaris laudum enumeratio. II. 129
Caldus Cœlius præclari facinoris auctor. II. 120
Cales deducta colonia. I. 14
Calidius. II. 36
Calpurnia, vxor Antistij, iugulato viro, seipsam gladio transfixit. II. 26
Calpurnia Cæsaris vxor. II. 57
Calvus. II. 36
Campanis data est ciuitas. I. 14
Campanæ coloniæ supplementum adijcitur. II. 81
Canidius ad Antonium præcipiti fuga se rapit. II. 86
Canidius moritur. II. 87
Canidius moritur. II. 105
Caninefates subacti. II. 64
Canutius continua rabie lacerat Antonium. II. 64
Capito Velleij patrum Agrippæ subscribit in C. Cassium. II. 69
Cappadocia facta stipendiaria. II. 39
Capua conditur à Tuscis. I. 7
Capua in formam præfecturæ redacta. II. 44
Caranus, sextus decimus ab Hercule, regnum Macedoniæ occupat. I. 6
Carbo Papirius orator. I. 9
Carbo solus toto anno consul fuit. II. 25
C. Carbo prætorius, consulis frater occiditur. II. 26
Carnutum locus Norici Regni proximus. II. 109
Carseoli deducta colonia. I. 14
Carthago annos 65. ante Romam conditur. I. 6
Carthaginem senatus statuit excidere. I. 12
Carthago à P. Scipione deleta. ibid.
Carthago in Africa prima extra Italiam colonia condita est. I. 15. II. 15.
Carthaginis remoto metu cursu præcipiti à virtute desciuit II. 1
Sp. Caruilius homo nouus. II. 128
Cassij censoris theatrum. I. 15
Cassio in demoliendo theatro eximia ciuitatis seueritas, & consul Cæpio restitere. I. 15
C. Cassius M. Crassi quæstor. II. 46
C. Cassius prætor in Cæsarem coniuratus. II. 56
C. Cassius Dolabellam Laodiceæ inclusum expugnat. II. 69
C. Cassius Rhodum capit. II. 70
C. Cassius ceruicem liberto præbet. ibid. II. 87
C. Cassius melior Bruto dux. II. 72
Cassius Longinus censor seuerus. II. 10
Cassius Parmensis occiditur. II. 87
Castrum colonis occupatum. I. 14
Catilina vrbe pulsus. II. 34
Catilina, fortissime dimicans, obtruncatur. II. 34
Cato. II. 35
Cato historicus. I. 17
Cato Porcius consul Italico bello occisus. II. 16
Catonis filij mors. II. 71
M. Catonis sententia de Nola & Capua condita. I. 7
M. Cato, perpetuus diruendæ Carthaginis auctor. I. 13
Cato repetundarum ex Macedonia damnatus. II. 8
M. Catonis virtus. II. 35
M. Cato ad spoliandum regno Ptolomæum missus. II. 45
M. Cato homo nouus. II. 128
Catullus poeta. II. 36
Q. Catuli mors. II. 22. & 49
Q. Catuli verecundia, & auctoritas. II. 31
Cetonii exemplum turpe. II. 119
Censorini obitus. II. 102
Censura Paulli & Planci. II. 95
Cethegus aliique in carcere necati. II. 34
Chalcidences orti Atticis. I. 4
Charops primus Archon decennalis. I. 8
Chios ab Ionibus occupata. I. 4
M. Cicero, eloquentium princeps. I. 17
M. Ciceronis laudes, & in coniuratos gesta. II. 34
M. Cicero patriæ restitutus. II. 45
M. Ciceronis domus II. 14. à senatu restituta. II. 45
M. Ciceronis acta. II. 61
M. Cicero continuis actionibus Antonij memoriæ inusit notas. II. 64
M. Ciceronis mors. II. 66
Ciliciam perdomuit Numidicus. II. 39
Cimbri, Teutonique Rhenum transscendunt. II. 8
Cimbrorum in Romanos gesta. II. 12
Cinna neque Mario, nec Sulpicio temperatior. II. 20
Cinnæ consulatus à senatu abrogatus. ibid.
Cinna ab exercitu, qui circa Nolam erat, receptus. ibid.
Patriæ bellum infert. ibid.
Marium cum filio ab exsilio reuocat. ibid.
Cinna, seditione orta ab exercitu est interemptus. II. 24
Circenses ludi. II. 27
Ciuitas quo pacto Italiæ data. II. 15
Claudius consul primus in Sicilium transiecit exercitum. II. 38
Ti. Claudius Nero bellum Campanum ciet. II. 75
Ti. Claudij Neronis laudes. II. 94
Ti. Claudius Nero cum Druso Claudio fratre Raetos Vindelicosque adgreditur. II. 95
Ti. Claud. Nero triumphat. ibid.
Ti. Claud. Nero Germanos domat. II. 98
Clazomenæ, ab Ionibus conditæ. I. 4
Cleopatræ fuga. II. 85
Cleopatra, illata aspide morsu eius spiritum reddit. II. 87
P. Clodij lex. II. 45
P. Clody dē M. Catone lex. ibid.
P. Clodius à Milone iugulatus. II. 47
Cremona deducta colonia. I. 14
Codrus, Melanthi filius, vltimus rex Athenarum. I. 2
Codrus interemptus. ibid.
Cœlius orator. II. 36
Cœlius historicus. II. 9
M. Cœlij acta. II. 68
Coloniarum enumeratio. I. 14. & 15
Colophon, ab Ionibus condita. I. 4
Composa à Milone oppugnatur. II. 68
Coniurati Capitolium occupant. II. 58
Coponii dictum in Plancum. II. 83
Corfinium. II. 16
Corfinio Cæsar potitur. II. 50
Corinthus ab Homero nominatur. I. 3
Corinthus antea Ephyre ab Halete, sexto ab Hercule conditur ibid.
Corinthus euersa. I. 13
Corinthus occupata. II. 84
Cornelia Africani filia, Gracchorum mater. II. 7
L. Cornelius Merula flamen Dialis, in locum Cinnæ consul suffectus. II. 20
interficitur iussu Cinnæ. II. 22
Cornelius Rufinus, bello Pyrrhi dux celeberrimus. II. 17
L. Cornelius Sulla consul. ibid.
Cornificius, Octauii legatus. II. 79
Coruinus, orator. II. 36
T. Coruncanius, pont. max. homo nouus. II. 128
Cossam coloni missi. I. 14
Cossi virtus. II. 116
Cotta, iudicandi munus æquiliter inter senatum, & equites partitus est. II. 32
Crassius Mucianus iuris scientissimus. II. 4
L. Crassius orator. II. 9
M. Crassus seruile bellum repressit. II. 30
M. Crasso Syria decreta. II. 46

M. Crassus à Parthis interemptus. ibid.
P. Crassus orator. I. 17
Cratinus comicus. I. 16
Creon primus Archon annuus. I. 8
Creta in pop. Rom. potestatem redacta. II. 34
Creta longissimæ libertatis fine multata. II. 38
Crespontes, Vnus ex Heraclidis. I. 2.
Crispus Marcius. II. 69
Cumæ in Italia à Chalcidensibus conditæ. I. 4
Cumarum & Neapolis in Romanos eximia fides. ibid.
Cumanos virtus Osca mutauit Vicinia. ibid.
C. Curio trib. pl. bello ciuili facem subiecit. II. 48
Cymen Æolis condunt. I. 4
Cyprus deuicta. II. 38

D.

Damasippus Domitium Scæuolam, C. Carbonem, & Antistium trucidat. II. 26
Daorisi Delmatæ. II. 115
Delos occupata ab Ionibus. I. 4
Deitona. I. 15
Desitiates Delmatæ. II. 115
Dianæ sacrata regio in qua mons Tifata II. 25. *Grates ei egit, post victoriam, Sulla.* ibid.
Diphilus comicus. I. 16
Diuersitas morum & studiorum inter P. Scipionem, & L. Mummium. I. 13
Dolabella consul. II. 58
Dolabella C. Trebonium occidit. II. 69
Dolabella ad dictum serui cernicem præbet. ibid.
Dolabella, Vir simplicitatis generosissimæ. II. 126
Domitiæ familiæ felicitas. II. 11
Domitij ex Aruernis victoria. II. 10
C. Domitij lex de sacerdotum creatione II. 12
C. Domitius occupatus nauibus fugit. II. 72
Domitius Caluinus Vibillium primipili centurionem, ob turpem ex acie fugam, fuste percutit. II. 78
Domitius Scæuola trucidatur. II. 26
Domus Ciceronis II. 14. *à senatu restituta.* II. 45
Drusi Claudij virtus II. 97. *mors.* ibid.
Drusus Liuius, Iuliæ Augustæ pater, se ipse interemit. II. 71

E.

Egregij clarum exemplum. II. 119
Egnatius Rufus interimere Augustum statuit. II. 90
Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant. I. 6
Enumeratio eminentium ingeniorum. II. 36
Ephesus ab Ionibus condita. I. 4
Ephyram in Thesprotia Philippus occupat. I. 1
Ephyre antea Corinthus. ibid.
Epirum Pyrrhus occupat. ibid.
Eporædia colonia deducta. I. 15
Erethria ab Athenienſibus in Eubœa occupatur. I. 4
Erythræ ab Ionibus condita. ibid.
Eryx primus Archon decennalis. I. 8
Eumenes rex. I. 9
Eupolis comicus. I. 16
Euporus seruus C. Gracchum dominum prius, se deinde interimit. II. 6
Euripides tragicus. I. 16

F.

Fabius Æmilian. disciplina in Hispania clarissim. II. 6
Fabij ex Allobrogibus victoria. II. 10
Fabrateria deducta colonia. I. 15
Fannius. I. 17
C. Fannius orator. II. 9
Firmum colonis occupatur. I. 14
C. Flauius Fimbria se ipsum interimit. II. 24
Formiani in ciuitatem recepti. I. 14
Fregellæ deducta colonia. ibid.
Fregellæ à L. Opimio excisæ. II. 6
Fuluia, Antonij uxor, omnia armis miscet. II. 74
Præneste capit. ibid.
Fuluia Italia excedit. ibid.
Fuluij Flacci aspera censura. I. 10
Cn. Fuluius censoris frater, à fratre senatu motus. ibid.
Fuluius Flaccus cum filio à L. Opimio interemptus. II. 7
Fuluij Flacci, qui Capuam cæperat, filiorum exemplum clarissimum. II. 8
Fundani in ciuitatem recepti. I. 14

G:

A Gabinii trib. pl. lex, vt Pompeius ad Piratas compescendos proficisceretur. II. 31
Gades à Tyria classe conditæ. I. 2
S. Galba. I. 17
Galliæ Domitius Fabius primum cum exercitu intrauit. II. 39
Galliæ C. Cæsaris auspicijs infractæ. ibid.
Galliæ Cæsari in quinquennium decretæ. II. 44
Galliæ Cæsari prorogatæ. II. 46
Gallograeciam perdomuit Vulso Manlius. II. 23
Gentes multæ à Pompeio deuictæ. II. 40
Gentius Illyriorum rex in triumpho ductus. I. 9
Germania rebellat. II. 100
Germanici virtus. II. 116
Germanicus pleraque ignaue gesserat. II. 125
Germani militis Cæsaris videndi cupido. II. 107
Germanus seruus, ad interficiendum Marium missus, vt eum agnouit, profugit è carcere. II. 19
Gracchi. I. 17
Gracchi oratores. II. 9
C. Gracchi furor. II. 6
Gracchus colonias extra Italiam posuerat. II. 15
Tib. Gracchi laus & vituperatio. II. 2
Græcia concussa maximis motibus. I. 3
Grauisca colonia deducitur. I. 15

H.

Haletes, Hippotis filius. I. 3
Hercinia silua. II. 109
Hercules in Olympicis victor. I. 8
Hermione Orestis pacta. I. 1
Hesiodus 120. annos distinctus ab Homeri ætate. I. 7
Hesiodus quando claruerit. ibid.
Hispania vniuersa facta stipendiaria II. 38
Hispaniæ, Cn. Pompeio decretæ. II. 48
Homerus quando floruerit. I. 5
Homerus solus appellari Poeta meruit. ibid.
Homeri laus. ibid.
Homerus, & Archilochus soli perfectissimi in iis operibus, quorum primi auctores fuere. ibid
Homerus non cæcus genitus. ibid.
Q. Hortensius de Minatij Magij virtutibus in Annalibus retulit. II. 16
Q. Hortensius orator. II. 36
Q. Hortensij mors. II. 49
Hortensius, Hortensij oratoris filius ob truncatur. II. 71
Hostilius Mancinus male pugnat. II. 1

I.

Ianus Geminus quoties certæ pacis argumentum clausus dederit. II. 38
Illyrium Dalmatiaque à Ti. Cæsare deuicta. II. 39
Initium in Vrbe Roma ciuilis sanguinis, gladiorumque impunitatis. II. 3
II. 14.
Interamna. I. 9
Inuidia, eminentis fortunæ comes. I. 4
Iones, duce Ione, regionem occupant, Ioniamque appellant. ibid.
Iones multas insulas occupant. ibid.
Ionia. I. 8
Iphitus Elius Olympiorum certamen, mercatumque instituit ante M. Vinicium consulem anno DCCCCIV. I. 16
Isocrates. II. 15. & seqq.
Italicum bellum. ibid.
Italici belli Imperatores clari qui. ibid.
Italicorum duces. II. 53
Iuba Cn. Pompeio fatebat. II. 11
Iugurtha sub Africano militauit. ibid.
Iugurthinum bellum. II. 105
Iulia, flumen. II. 47
Iulia, Pompeij Magni uxor, decedit. II. 93
Iulia M. Marcelli primum, M. deinde Agrippæ uxor. II. 96
Iulia Neroni nubit. II. 100
Iuliæ luxuria. ibid.
Iuliæ mœchi pœnas pendent. II. 100
Iulia in insulam relegata. II. 129
Iulius Florus Galliarum princeps. II. 116
Q. Iulij Postumi celebris opera. II. 125
Iunii Blæsi laudes. II. 33
Iurgia inter Pompeium & Lucullum. II. 63
Iuuentius Lateranensis seipse gladio transfixit. II. 63

L.

Labienus transmarinas prouincias magnis momentis concutit. II. 78
occiditur à Ventidio. ibid.
Lacedæmonii in Asia. I. 4
Lacedæmonius nullus orator. I. 18
Lælius. I. 17
Lælius orator. II. 9
P. Lænas trib. pl. Sex. Lucilium saxo Tarpeio deiicit. II. 24
Langobardi fracti. II. 106
Larissa ab Æolis condita. I. 4
Lasthenes & Panares duces Cretensium. II. 34
Latinus, Romuli auus. I. 8
Lebedus ab Ionibus condita. I. 4
Lentulus & Marcellus consules. II. 49
Lentulus necatus in carcere. II. 34
Lepidus Ælius Augur, quod sex millibus ædes conduxisset, adesse iussus. II. 10
M. Lepidus pont. max. II. 63
M. Lepidus à senatu hostis iudicatus. ibid.
M. Lepidus Paullum fratrem proscribit. II. 67
M. Lepidus, Vanissimus omnium vir. Cæsari denunciat, vt Sicilia excedat. II. 80
ibid.
M. Lepidus Octauii genibus aduolutus. ibid.
M. Lepidus, Lepidi trium viri filius, Augusti interficiendi consilium capit. II. 88
opprimitur à Mæcenate. ibid.
M. Lepidus à Ti. Nerone copijs omnibus præfectus. II. 114
Lesbos insula. I. 2
Leucas expugnata. II. 84
Lex Licinia. II. 6
Lex Pedia aduersus Cæsaris interfectores. II. 69
Lex Valeria turpissima. II. 23
Libo ingratus. à Ti. Cæsare oppressus. II. 129
A. Licinius Nerua Silianus. II. 116
Liuia, Drusi claudiani filia, Augusti coniunx. II. 75
Liuia cum viro Neronе Siciliam præuehitur. ibid.
Liuius historicus. I. 17. II. 36
M. Liuius Drusus tribunus pl. non bona fortuna vsus II. 13.
interficitur. II. 14.
M. Liuii Drusi nouissima vox ibid. mores. ibid.
M. Liuij Drusi domus, postea Ciceronis, mox Censorini, deinde Statilii Sisennæ. ibid.
M. Lollii legati exercitusque in Germania clades. II. 97
M. Lollius pecuniæ cupidior, quam rectè faciendi. ibid.
M. Lollii crimen, & mors. II. 102
Luca colonia deducitur. I. 15
Luceria deducta colonia. I. 14
Lucilius poeta. II. 9
Lucretius poeta. II. 36
Lucretius Offella Prænestis ac Marij oppugnationi præfuerat II. 17
L. Lucullus. II. 40
Lucullus, Luculli filius, occiditur. II. 71
Lucullus Mithridatem multis locis fundit. II. 33
Zyricum liberat. ibid.
Tigranem vincit. ibid.
L. Lucullus profusæ in ædificiis conuictibusque & apparatibus luxuriæ primus auctor. ibid.
L. Lucullus Xerxes togatus cur à Pompeio dictus. ibid.
M. Lucullus circa Eidem iam hostes Sullæ fudit. II. 28
Lucullorum duorum mors. II. 49
Ludi Circenses. II. 27
Ludi scenici à Circensibus differunt. II. 40
Q. Lutatius Catulus proconsul. II. 12
Lycia seu Lymira Vrbs. II. 102
Lycurgus Lacædæmonius claret. I. 6
Lydus & Tyrrhenus fratres regnant in Lydia. I. 1.
Lydus & Tyrrhenus fratres, sterilitate frugum compulsi, sortiuntur, vter cum patre multitudinis patria decedat. ibid.
Lysippus statuarius præstantissimus. I. 11

M.

Macedones, orbis domitores. I. 8
Macedoniam Paullus Prouinciam fecit. II. 38
Macedonia armis exteris occupatur. II. 110
Q. Macedonici seuerum ad Contrebiam imperium. II. 5
Macedonici in Perusia facinus. II. 74
C. Mæcenas Vrbis custodiis præpositus. II. 88
M. Lepidum iuuenem opprimit. ibid.
Magius Caler Velleianus, Velleii frater. II. 115
Magnesiam Lacedæmonij in Asia occupant. I. 4
Mancinus Hostilius in Numantinos. II. 1
Mancinum verecundia impunitum habuit. ibid.
Mancini fœdus turpissimum. II. 1. & 90
Manilij trib. pl. lex, vt bellum Mithridaticum per Cn. Pompeium administraretur. II. 33
Marcellus Siciliam fecit prouinciam. II. 38
M. Marcelli mors. II. 93
Marcomanni. II. 108
C. Marius sub Africano miles factus. II. 9
Q. Metelli legatus. II. 11
Marius describitur. ibid.
Marius primum consul creatus. ibid.
Marius iterum consul Iugurtham in triumpho duxit. ibid.
Marius tertium consul in Cimbros. ibid.
Marii, quartum consulis, cum Teutonis conflictus. II. 12
Marij, quintum consulis, fortunatissimum prælium. ibid.

Marius, sextum consul, Seruily Glauciæ Saturnique. Apuleij furorem armis compescuit. ibid.
Marius septimum consul cum Cinna. II. 23
eius mors. ibid.
Marius vrbe à Sulla pulsus. II. 19
Marius in carcerem ductus. ibid.
Marius à ciuilibus impositus in nauem in Africam cursum dirigit. ibid.
Marius vrbis mœnia ingreditur. II. 28
Marius Marij filius consul anno ætatis. 26. II. 26
à Sulla acie pulsus. ibid.
interemptus. ibid.
Marobodiuus Marcomannorum dux. II. 108
Marobodiuus Vari caput ad Cæsarem mittit. II. 119
Martia & Quarta legiones ad Octauium se conferunt. II. 61
Marullus Epidius, Flauiusque Cæserius trib. pl. in C. Octauio voluntatem regni arguebant. II. 68
Massiliam Cæsar proficiscitur. II. 50
Mediterum potiuntur. I. 6
Medon, Codri filius, primus Athenis Archon. I. 2
Medontis posteri, Medontidæ dicti. ibid.
Megara à Peloponesiis condita. ibid.
Menandrus comicus. II. 16
Menas, classis Pompeianæ præfectus. II. 73
Menecrates, classis Pompeianæ præfectus. ibid.
Messalla Coruinus seruatur Cæsaris beneficio. II. 71
Messalini opus egregium. II. 112
Metelli fratres vno die triumpharunt. II 8
Q. Metelli, qui Iugurthinum bellum gessit, laus. II. 11
Q. Metellus Cretam in pop. R. potestatem redigit. II. 34
Metellus Creticus. II. 40
Q. Metellus Macedonicus Pseudophilippum vicit Achæosque fudit. I. 11
Q. Metellus Macedonicus vel magnificentiæ Romanæ, vel luxuriæ princeps. ibid.
Q. Metelli Macedonici singularis felicitas. ibid.
Metellus Numidicus orator. II. 9
Q. Metelli Numidici triumphus. II. 11
Q. Metellus Numidicus à L. Saturnino ciuitate expulsus. II. 15
Q. Metellus Pius Italici belli Imperator. ibid.
Metellus Pius apud Fauentiam Sullæ hostes vicit. II. 28
Metellus & Pompeius ex Hispanis triumpharunt. II. 30
Metelli mors. II. 49
Miletus, ab Ionibus condita. I. 4
Milo Annium à Pompeio damnatus, absolutus à M. Catone. II. 47
Milo lapide ictus periit. II. 68
Minaty Magij laudes, & gesta. II. 16
Mineruium deducta colonia. I. 15
Minturnas coloni missi. I. 14
Minucij triumphus II. 8
Mithridatis odium in Romanos. II. 18
Mithridates pharnacis filij insidijs oppressus. II. 40
Mitylene ab Æolis condita. I. 4
Mitylenæorum perfidia. II. 18
Mucius iuris scientia clarus II. 9
L. Mummius Achaico bello gerendo destinatus. I. 12
L. Mummius Corinthum funditus eruit. I. 13
L. Mummius Achaius dictus. ibid.
L. Mummius Achaicus homo nouus. ibid.
L. Mummius rudis. ibid.
L. Murena & Fannius Cæpio occidendi Augusti consilia ineunt. II. 91
Mycenas Agamemnon in Creta statuit. I. 1
Myrinam condunt Æoli. I. 4
Mytus ab Ionibus condita. ibid.

N.

Narbo Marcius, colonia in Gallia deducta. I. 15
Nauportum. II. 110
Neapolis à Chalcidensibus condita. I. 4
Neapolis, & Cumarum in Romanos fides eximia. ibid.
Naso poeta. II. 36
Neapolitani Cæsaris Augusti honori athletarum certamen sacrauerunt. II. 123
Nepe colonia deducta. I. 14
Neptunia colonia. I. 15
Nero Claudius patriæ redditur. II. 77
Ti. Nero Rhodum proficiscitur, ibique septem annos moratur. II. 99
Ti. Nero Romam reuertitur. II. 102
Ti. Nero adoptatur à Cæsare Augusto. II. 103
Ti. Nero in Germaniam mittitur. II. 104
Ti. Nero bello Pannonico designatus. II. 111
Ti. Neronis mirus erga milites amor & cura. II. 114
Nicomedes Bithyniam pop. Rom. legauit. II. 4
Ninus rex Assyriorum. I. 7
Nola condita à Tuscis. ibid
Nolanum bellum. II. 18
Noricos Ti. Cæsar deuicit. II. 39
Noui homines ad celsiores dignitatis gradus euecti II. 128.
Numantia à Scipione deleta. II. 4
Numantium bellum. II. 1

O

C N. Octauius Perseo, vt se Romanorum fidei committeret persuasit. I. 9
C. Octauius Macedoniam sortitur. II. 59
C. Octauii laudes. ibid.
C. Octauius à C. Cæsare adoptatus. ibid.
C. Octauius equestri familia genitus. ibid.
C. Octauii, Romam intrantis, Solis orbis super caput curuatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, veluti coronâ tanti mox viri capitis imponens, conspectus est. ibid.
C. Octauio statua equestris à senatu posita. II. 61
C. Octauii circa Mutinam virtus. ibid.
C. Octauius Consul. II. 65
C. Octauij dictum de proscriptis. II. 67
C. Octauii in Illyrico, Dalmatiaque expediciones. II. 78
C. Octauius Pompeio, Siciliaque bellum infert. II. 79
classis maiori parte ventorum priuatur. ibid.
C. Octauius cum Pompeio classe concurrit. ibid.
C. Octauii fortissimum factum. II. 80
C. Octauius ad vrbem reuertitur. II. 81
C. Octauius Antonium classe vincit. II. 85
C. Octauii erga victos clementia. ibid.
C. Octauii ad vrbem reditus, ciuiumque erga eum fauor. II. 89
C. Octauius, & Antonius cum M. Bruto Cassioque acie concurrunt. II. 70
Octauius consul iussu Cinnæ interfectus. II. 22
Olympici certaminis initium. I. 8
Opimianum vinum celeberrimum ab Opimio dictum. II. 7.
L. Opimius C. Gracchum & Fuluium Flaccum morte affecit. II. 6
L. Opimius damnatus. II. 7
Oratorem Argos, Thebæ, Sparta, nullum habuere. I. 18
Oratores clari. II. 9
Ordinatio comitiorum à D. Augusto relicta. II. 124
Oresti & Electræ factum à diis comprobatum. I. 1

Orestes annis XC. vixit. ibid.
Orestes Ægistum, cum Electra sorore, obtruncat. ibid.
Orestes annis LXX. regnauit. ibid.
Orestes se à Pyrrho virtute vindicauit. ibid.
Orestes Pyrrhum Delphis interfecit. ibid.
Orestis liberi ab Heraclidis exclusi. I. 2
Orestis liberi circa Lesbum sedem cepere. ibid.
Orodes Parthorum rex. II. 46
Osci. I. 4
Otho Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit. I. 32.

P.

Pacorus, Parthorum regis filius, interimitur. II. 78
Pacuuius in Tragœdiis clarus. II. 9
Pæstum coloni mittuntur. I. 14
Panares, & Lasthenes Cretensium duces. II. 34
Pannoniam Ti. Cæsar imperio addidit. II. 39
Pannonia Dalmatiaque arma in Romanos corripiunt. II. 110.
Pannonia pacem petit. II. 114
Pansa Hirtiusque Cæsari prædixerant, vt principatum, armis quæsitum, armis teneret. II. 57
Pansæ atque Hirtii mors. II. 62
Parthi Armeniæ manum admouent. II. 100
Parthorum legati ad Sullam. II. 24
Parthorum rex Augusto Romana signa remittit. II. 91
obsides filios mittit. II. 94
Pasieni virtus. II. 116
Patræ captæ. II. 84
Patres à Romulo electi. I. 8
Patricij à Patribus dicti. ibid.
Paullus ad Cannas cæsus. I. 9
Paulli triumphum impedire nonnulli obnitebantur. ibid.
Paulli triumphus quantum priores excesserit. ibid.
L. Paulli filij quattuor. I. 10
L. Paulli egregia vox. ibid.
L. Paulli filij moriuntur. ibid.
Pax circa Brundisium inter Antonium, & Augustum. II. 76
Pax circa Misenum cum Pompeio inita. II. 77
Pedia lex aduersus Cæsaris interfectores. II. 69
Q. Pedius C. Octauii in consulatu collega. II. 65
Pelasgi Athenas commigrauere. I. 3
Pelopis progenies pulsis Heraclidis Peloponnesi imperium obtinebat. I. 2
Pelopis progenies ab Herculis progenie expellitur. ibid.
Penthelus, & Tisamenus, Orestis filij, post patrem regnauere triennium. I. 1
Pergamum Agamemnon in Creta statuit. ibid.
M. Perperna triumphat de Aristonico II. 4. *Sertorium interimit.* II. 30
Persæ orbi terrarum imperant. I. 6
Perseus à Paullo victus. I. 9
Perseus in triumpho ductus à Paullo. ibid.
Perseus in libera custodia Albæ decessit. I. 11
Perusia ab Octauio expugnatur. II. 74
Petreius. II. 48
Pharnaces Medus Sardanapalum interimit. I. 6
Pharnaces à Cæsare victus. II. 55
Pharsalica acies. II. 52
Pharum insulam occupant Iones. I. 4
Philemon comicus. I. 16
Philippus deuictus. I. 6
Phocææ ab Ionibus condita. I. 4
Phraates Parthorum rex. II. 91
Picenum coloni missi, I. 15
Pindari os Thebas illuminauit. I. 18
Pinetes Pannonum dux. II. 110. & 114
Pisaurum coloni missi. I. 15
L. Piso bellum in Thracia ortum comprimit. II. 98
Placentiam coloni missi. I. 14
Planci inconstantia. II. 63
Plancus impetrat, vt Plancus Plotius frater eius proscriberetur. II. 67
Plancus Fuluiam fugientem comitatur. II. 76
Planci vitia fugaque ad Octauium. II. 73
Plato. I. 16
Plautius Siluanus. II. 112
Pompeiorum familiæ quot. II. 21
C. Pompeij patris bello Marsico præclara operæ. ibid.
Æsculum capit. ibid.
cum Cinna confligit. ibid.
obit. ibid.
Cn. Pompeij iuuenis præclara gesta, & laudes. II. 29
Cn. Pompeius pradonibus orbem liberat. II. 32
Cn. Pompeius gloriæ cupidissimus. ibid.
Cn. Pompeii de Lucullo dictum. ibid.
Cn. Pompeij aduersus Mithridatem victoria. II. 37
Cn. Pompeij victoria. ibid.
Cn. Pompeius omnium gentium, quas adierat, victor. II. 39
Cn. Pompeij insignes triumphi. ibid.
Cn. Pompeius & M. Crassus consules. II. 46
Cn. Pompeius tertium consul solus. II. 47
à Cæsare maxime alienatus. ibid.
Cn. Pompeius Dyrrhachium transmisit. II. 49
Cn. Pompeius in Pharsalia victus. II. 52
Cn. Pompeius iugulatur. II. 53
Cn. Pompeius. Cn. Pompeij filius, vulneribus confectus II. 56
Cn. Pompeij filius paruus, Iulia natus obiit. II. 47
Q. Pompeius consul. II. 17
Q. Pompeij fœdus turpe. II. 90
Sex. Pompeius describitur. II. 72.
Sex Pompeius Siciliam occupat. ibid.
Sex. Pompeij cum Cæsare & Antonio pax. II. 77
Sex. Pompeii dictum. ibid.
Sex. Pompeius omnibus, qui ad eum fugerant, reditum salutemque in pace pacisci tur. ibid.
Sex. Pompeius à Titio iugulatur. II. 79. & 87
Pompeium primum è Pompeijs consulem, magni nominis virum, ad turpissima fœdera Numantini deduxere. II. 1
Pompeium gratia impunitum habuit. ibid.
Pompeius Mitylenen libertatem restituit, in vnius Theophanis gratiam. II. 18
Pompeius, collega Sullæ, seditione interfectus. II. 21
Pompeius curru vrbem triumpho inuectus. II. 38
Pompeius tribuniciam potestatem restituit. ibid.
Pomponij singularis in Gracchum fides. II. 60
Pomponij Comici laudes. II. 9
Pomponius Flaccus, vir ad omnia recta natus. II. 129
Pontius Telesinus, Samnitium dux. II. 27
Pontus Syriaque Cn. Pompeij virturis monumenta. II. 38
Popillium Rutiliumque, qui consules asperrime in Ti. Gracchi amicos sæuierant, postea iudiciorum publicorum merito oppressit inuidia. II. 7
M. Popill. Lænæ mittitur legatus ad Antiochum Epiphanem. I. 10
Postumii Albini aspera censura. ibid.
Potentia colonia deducta. I. 15
Priene ab Ionibus condita. I. 4
Princeps optimus, faciendo docet recte facere ciues suos. II. 126
Proscriptio triumuiralis. II. 66
Proscripti ad Sex. Pompeium confluunt. II. 72

Pseudophilippus à Q. Met. Macedonico superatus. I. 11
Ptolemæus Syriæ rex ab Antiocho Alexandriæ obsessus. I. 10.
Ptolemæus Cypri rex. sub aduentum Catonis, vitæ suæ vim intulit. II. 45
Ptolemæi in Pompeium perfidia. II. 53
in Cæsarem. II. 54
Putcolos coloni missi. I. 15
Pyrrhus Epirum occupat. I. 1
Pyrrhus Hermiones nuptias occupauit. ibid.
Pyrrhus regnat. I. 14

Q.

Quadrigarius historicus. II. 9
Quæ cuiusque ductus gens ac natio redacta in formulam prouinciæ, stipendia pactasit. II. 39

R.

Rabirius poeta. II. 36
Rætiam Ti. Cæsar R. imperio nouam subiunxit prouinciam. II. 39
Regulus in Africam primus transiecit. II. 38
Rhascupolis Cotym occidit. II. 129
Rhemætalces Thraciæ rex. II. 112
Rhodij à Romanis deficiunt. II. 18
Rhodiorum in Romanos eximia fides. ibid.
Roma à Romulo condita. I. 8
Roma, libera, dominaque gentium. II. 29
Romani rerum domini. I. 6
Romanorum magnificentia in ædium structuris. II. 1
Romanæ linguæ & disciplinæ notitia in Pannoniis omnibus II. 110.
Romana signa à Parthorum rege Augusto remissa. II. 91
Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit. II. 32
Rufi Salustieni scelesta consilia. II. 76
Rutilium consulem iudiciorum publicorum merito oppressit inuidia. II. 7
Rutilius historicus. II. 29
P. Rutilius repetundarum ab equitibus damnatus. II. 13.
Rutilius consul Italico bello cæsus. II. 16

S.

Sacrouir, Galliarum princeps. II. 129
Sabinarum Virgenum raptus. I. 8
Sabinis sine suffragio data ciuitas. I. 14
Sabinis ius ferendi suffragij datum. ibid.
Salamina Teucer in Cypro constituit. I. 1
Salernum missi coloni. I. 15
Sallues à Sertio Caluino deuicti. ibid.
Sallustius Thucydidis æmulus. II. 36
Saluidienus. II. 59. & 76
Samnitium parti ciuitas data. I. 14
Samos ab Ionibus occupatur I. 4
Sardanapalus à Pharnace Medo imperio vitaque priuatur. I. 6.
Saticula deducta colonia. I. 14
Scaurus orator. II. 9
P. Scipionis Æmiliani laudes. I. 12
P. Scipio Æmilianus consul creatus. ibid.
P. Scipio Carthagini bellum infert. ibid.
P. Scipio Æmil. in Hispania murali corona donatus est. ibid.
in Africa obsidionali. ibid.
in Hispania ex prouocatione hostem interimit. ibid.
P. Scipio liberalium studiorum & auctor, & admirator. I. 13
P. Scipio Polybii, Panætiiq. domi militiæq. sectii habuit. ibid.
interualla negotiorum otio elegantissime dispunxit. ibid.
P. Scipio Africanus dictus. ibid.
P. Scipio Nasica Ti. Gracchum interficit. II. 3
P. Scipio Numantiam solo æquat. II. 4
P. Scipio de Ti. Gracchi cæde à Carbone interrogatur. ibid.
P. Scipionis Africani mors. ibid.
P. Scipio Æmilianus Africam in formulam redegit prouinciæ. II. 38
Scipio Romanorum potentiæ viam prior, luxuriæ posterior aperuit. II. 1
Scipio orator. I. 17
Scipio Æmilianus orator. II. 8
Cn. & P. Scipiones primi omnium in Hispanias duxere exercitus. II. 38
Scordisci à Ti. Cæs. debellati. II. 39
Scribonia Iuliæ mater. II. 100.
Scylacium colonia deducta. I. 15
Segestes Varo coniuratos indicat. II. 118
Seianus. I. 116
Seiani Ælij virtus. I. 127
Seianus Ælius. Ti. Cæsaris principalium onerum adiutor. ibid.
Sentius Saturninus. II. 105. & 109
Sentius Saturninus reip. restitutus. II. 77
C. Sentij Saturnini consulis factum præclarum. II. 105
Sertorius Metellum laudabat, Pompeium timebat. II. 29
Sertorius à Perperna interfectus, ibid.
Sertorianum bellum. II. 30
Seruilia, Lepidi vxor viuo igni deuorata, diem suum obiit II. 88.
Seruilij duo apud Clusium pro Sulla victores. II. 28
Seruilius Glaucia à Mario morte multatus. II. 12
Setina colonia deducta. I. 14
Sextiæ aquæ. I. 15
Sextius Caluinus Sallues deuicit. ibid.
M. Sillanus reip. restitutus. II. 77
Sinuessam missi coloni. I. 14.
Sistia. II. 113
Sisenna historiarum auctor. II. 9
Smyrna ab Æolis condita. I. 4
Societas potentiæ inita inter C. Cæsarem, Cn. Pompeium, & M. Crassum. II. 44
Socrates. I. 16
Sophocles tragicus. ibid.
Sora deducta colonia. I. 14.
Spartacus fugitiuorum dux. II. 30
Spoletium coloni deducti. I. 14.
Staius Murcus. II. 69
Staius Murcus Sex. Pompeium petit. II. 72
Staius Murcus à Pompeio interfectus. II. 77
Statilius Taurus. II. 127
Statuæ equestres ex Macedonia Romam delatæ. I. 11
Statuæ equestres L. Sullæ, Cn. Pompeio, & C. Cæsari positæ. II. 61.
Suessa deducta colonia. I. 14
L. Sulla C. Marij quæstor. II. 12
Sulla vrbem armis occupat. II. 29
Sullæ contra Mithridatem victoria. II. 23
Sulla Mithridati victo leges imponit ibid
Sullæ quid Magi ex corporis notis responderint. II. 24
Sulla iustis legibus tentat bellum componere. II. 25
Sulla Scipionem Norbanumque consules superat. ibid.
Sulla, dum vincit iustissimo lenior, post victoriam audito fuit crudelior. ibid.
Sulla Q. Sertorium exarmatum dimisit incolumem. ibid.
Sulla grates Dianæ soluit. ibid.
Sulla Mario iuuene occiso, Felicis nomen assumpsit. II. 27
Sulla dictator immodice crudelis. II. 28
P. Sulpicius. II. 9
P. Sulpitius Q. Pompeij consulis filium interfecit. II. 28
exul factus. II. 29
P. Sulpicij contra Sullam pro Mario lex. II. 28
P. Sulpicius iugulatur. II. 29
Sulpitius orator. II. 36
Sutrium colonia deducta. II. 14
Syria facta stipendiaria. II. 37
Syria Pontusque, Cn. Pompeij virtutis monumenta. II. 38

T.

Tarracina deducta colonia. I. 14.
Tarentum colonia deducta. I. 15
Tegeam Agamemnon in Creta statuit. I. 1
Telamon & Teucer, fratres. ibid.
Temenus vnus ex Heraclidis. I. 2
Tenos occupatur ab Ionibus. I. 4
Terentius. I. 17
Tergestes. II. 110
Teucer & Telamon, fratres. I. 1
Thebanus nullus orator. I. 18
Theophanes. II. 18
Thessallus Thesprotius Thessaliam armis occupat. I. 3
Thessalia, prius Myrmidonum ciuitas vocitata. ibid.
Thessalo à Thessalo, filio Herculis, appellatos cur non dicendum ibid.
Tibulus. II. 36
Tifata mons. II. 25
Tigranes à L. Lucullo victus. II. 33
Tigranis filius deinde Tigranes, supplex ad Pompeium venit II. 37.
Tigranes ingenti multatur pecunia. ibid.
Titius Sex Pompeium iugulat. II. 79
ad Octauium transfugit. II. 83
Tullius eloquentium princeps. I. 17
Tyrrhenus & Lydus, fratres. I. 1
Tyrrhenum sors decedendi contigit. ibid.
Tyrrhenus, peruectus in Italiam, loco, incolis, & mari nomen dedit. ibid.

V.

Valentia colonia deducta. I. 14
Valerius Antias historicus. II. 9
Valerius Flaccus consul turpissimæ legis auctor. II. 23
Valerius Flaccus consularis à Fimbria interfectus. II. 24
Varro. II. 36
Varus Quinctilius. II. 117
liberti manu iugulatur. II. 71
Varus à Germanis cæsus. II. 117
Varus se ipse transfigit. II. 119
Vatinius. II. 69
Vatinij deformitas corporis, ingeniique turpitudo. ibid.
C. Velleius gladio se ipse transfixit. II. 76
Velleius miles factus. ibid.
Vellei votum de salute Ti. Cæsaris. II. 131
Venetia diu in potestate Antonii ab Asinio retenta II. 76
Ventidius triumphat II. 65 *Labienum Parthosque & Pacorum regis filium extinguit.* II. 78
Venusiam mittuntur coloni. I. 14
Versus de Lepido & Planco, & qui proscripserant fratres II. 67
Vibillius primipili centurio. II. 78
Viennensium dissensiones. II. 121
Vindelicos debellauit Ti. Cæsar. II. 39
Viriathus, latronum in Hispania dux, à Seruilio Cæpione interemptus. II. 1
Virgilius, carminum princeps. II. 36
Volumnii fuga. II. 119
Vtica, à Tyria classe condita. I. 2
Vxorum fides in proscriptos summa, libertorum media, seruorum aliqua, filiorum nulla. II. 67

FINIS INDICIS.



BEATI RHENANI SCHOLIA MARGINALIA IN VELLEIVM.

EQVIDEM abhinc annos, vt puto quinque, cum primum hunc auctorem in Murbacensi bibliotheca reperissem, & viderem tam prodigiosè corruptum, vt omnia restituere non foret humani ingenij: properanter atque infeliciter ab amico quodam descriptum: premendum plane censebam, donec melioris nobis codicis fieret copia: quem acceperam haberi Mediolani: inuentum olim à Georgio Merula. Verum dum frustra iam treis annos expectamus, interim doctissimus quisque mecum expostulat, cur tam insignem auctorem studiosis communicare tam diu differam. Addunt conuitia quidam: dictitantes illum in hoc à me premi, vt olim alienum opus, tanquam ingenij mei fœturam, gloriabundus in publicum emittam. Proinde nunc edimus omnium eruditorum votis expetitum, & ante promissum: ne studiosos diutius huius desiderio maceremus. quod nullam sane ob caussam factum est, quàm vt sincerior exiret.

IN LIBRVM PRIOREM.

CAP. I. Hunc Oreſtes matremque ſocia conſiliorum] *Alias legitur*, cum ſocia.

Cap. II. De induſtria, imprudenter rixanincies interemptus eſt.] *Puto legendum:* rixam inijciens interemptus eſt.

Cap. IV. In Aſiam ac Neſiam.] *Legitur alias* Mœſiam.

Cap. VII. Inter hoc tempus & initium regis Niſi Aſſyriorum.] *Alias*, Nini.

Eod. Incidi in rem domeſticam, maximeque erroris, *&c.*] *Alias*, maximique.

Cap. VIII. Raptus virginum Sabinarum.] *Hic Velleio noſtro rurſum atrox vulnus inflixit iniuria temporis: quod neque Æſculapius neque Chiron, medici illi poetici, quamlibet à veteribus egregie laudati iurare norint: nam bonam operis partem hoc loco deeſſe, nullus dubitabit. Porro omnis ſpes medēdi in integro ſita eſt exemplari: quale repertum iam olim aiunt à Georgio Merula, inter eos libros, de quorum ille inuentione magnoperere gloriatur in epiſtola quadam, quæ inter Politianicas legitur. Sed iſti rumori fidem non habeo. Scilicet tantus vir nugas edidiſſet, ſic enim quaſdam veterum Grammaticorum quiſquilias ab eo publicatas non iniuria vocauere: præſertim cum Velleio commiſſas: & hoc opus ſuppreſſiſſet nobis, vnde plus ad illum gloriæ, & ad ſtudioſos commodi rediturum erat, quàm ex ſexcentis iſtius generis Grammaticorum ſchedis? Nos hac editione noſtra, tametſi mutila prouocabimus Italos, vt nobis, quod nacti ſumus in medium conferentibus, ipſi quoque ſua candide ſtudioſis impertiant. Sed de hac re plus ſatis iam locuti ſumus. Ceterum vt quaſi viam tibi ſternamus ad ſequentis Velleiani fragmenti intelligentiam, quod in media fere periodo. ſublatis anterioribus aliquot ternionibus abruptum eſt: In hac vltima prioris libri particula, Velleius decurſis ante cunctis hiſtorijs iam inde ab vrbe condita, propemodum ad initium tertij belli Punici peruenit, quo Carthago fuit exciſa: ante quod Macedonicum geri cœptum eſt. in quo P. Licinius Craſſus, cui Macedonia decreta erat, contra Perſeum regem pugnans inferior deceſſit. Perſeus vero perpendens inconſtantiam fortunæ, tametſi victor, æquam pacis conditionem à Romanis accipere paratus erat. Iniquam Licinius obtulit, vt ſe videlicet ſuaque Senatui Romano dederet, quemadmodum refert Eutropius. Forſan igitur hic Velleij ſenſus fuerit:* Perſeus Macedonum rex conditionem pacis, quam timuerat hoſtis, expetit. *Niſi de Gentio Illyriorum rege loquatur, quem Perſeus ſubegit: Vt ſit ſenſus:* Gentius iniquam à Perſeo conditionem, quam timuerat, hoſtis expetit. *Neuter tamen mihi magnopere arridet. ſed fuit hic aliquid dicendum. Atridiculum eſt ibi tam anxie diligentem eſſe, vbi diligentia locum non habuit, verum ſola diuinatio.*

Cap. IX. Is Perſam: ingenti prælio apud vrbem.] *Alias legitur*, Perſeum.

Cap. XI. Poſt victum captumque Perſen, qui, &c.] *Legitur alias.* Perſeum.

Cap. XIII. Eodem anno quo Carthago concidit, A. Mummius Corinthum, *&c.*] *Alias*, L. Mummius.

Cap. XIV. Ad quintum Fabioque Decio Mure quarto Coſſ. *&c.*] *Alias*, At Q. Fabio quintum.

Cap. XVI. Cuiuſque profeſſionis ingenia in eam formam & in idem, *&c.*] *Alias*, in eandem.

Cap. 17. In Accio circaque * eorum Romana tragœdia eſt.] *Alias*, quorum Romana, *&c.*

IN LIBRVM POSTERIOREM.

CAP. 10. Domitiæ familiæ peculiaris quædam, & vt clariſſima, ita artata numero felicitas, vti ante hunc nobiliſſimæ, *&c.*] *Illud*, vti, *numerale nomen eſſe debet, meo iudicio, nam hoc expoſcit ſenſus.*

Cap. 11. Et naturalem nobilitatis ſuperbiam, moràdique in imperiis, *&c.*] *Alias*, immorandique.

Cap. 19. Ad quem interficiendum miſſus cum gladio ſeruus publicus, natione Germanus.] *Quem hic* Germanum *vocat, alij* Gallum *fuiſſe ſcribunt. Sed huius diuerſitatis hæc eſt cauſſa: quod vulgus interpretum neſcit,* Celtarum *vocabulum, apud Græcos ſcriptores, &* Gallis *&* Germanis *accommodari. Veriſimile eſt* Germanum *fuiſſe qui ſit Cimbrico Teutonicoque bello captus. Sed inſigne Germanicæ probitatis ſpecimen edidit ei parcens, à quo vita donatus erat. Nec me mouerit vel Plinius vel Florus, qui* Gallum *fuiſſe ſcribunt: quod conſtet Romanos olim,* Gallorum *vocabulo* Germanos *etiam intellexiſſe, non* Gallos *tantum: modo veterum annales vterque iſtorum ſecutus eſt. Sed hæc ſatis ſint in Velleij defenſionem.*

Cap. 20. Non erat Mario Sulpitio Cinna temperatior.] *Alias*, Sulpitioque.

Eod. Is cum vniuerſos in verba eius iuraſſet.] Vniuerſos, *dictum pro* vniuerſus.

Cap. 24. Exercituque occupato, imperator appellatus, forte Mithridatem perpulerat prœlio,] *Alias* forte.

Cap. 25. Confluentibus ad eum optimo quoque & ſanctiſſimo.] *Alias* ſanctiſſimo.

Eod. Vt dum vincit, ac iuſtiſſimo lenior.] *Alias* mitiſſimo ac iuſtiſſimo lenior. *Pro* vincit, *alias legitur* vinceret.

Cap. 27. Pontius Teleſinus dux Samnitium, vir animi bellique fortiſſimus.] *Alias* domi bellique.

Eod. Perpetua ludorum Circenſium honorauit memoria, quibus eius nomine Syllanæ.] *Alias* qui ſub eius nomine.

Cap. 28. Vti appareat populum Romanum vſum Dictatoris aut metu deſideras Tulio Cotimuiſſe poteſtatem imperi, proh res ad vindicandum maximi periculi, ſpolia muſeranteo, immodicæ crudelitatis, *&c.*] *Conjecio legendum:* haud deſide metu à S. Tullio, continuiſſe, poteſtatem imperio (proh res ad vindicandum maximi periculi) ſpoliantem. nam multi abuſi erant eo.

Cap. 31. Sed nimiũ iam liber ære Reipublicæ, *&c.*] *Alias.* liberæ Reipub.

Cap. 33. Ne vterque ab eo, quod arguebatur mentitus argui poſſet.] *Melius ſi legatur*, nec vterque.

Eod. Haud infectæ Magnus Pompeius Xerxem togatum vocare adiueuerat.] *Puto legendum*, haud infacete, *vel*, infeſtiue.

Cap. 34. fatigauerat. Ab huius quidem vſuræ gloria temperauit animum Cn. Pompeius.] *Forte*, fatigauerat. Ab huius quidem vſura gloriæ vix temperauit, *&c.*

Cap. 35. In altiſſimo luminauit.] *Alias*, altiſſime inluminauit.

Cap. 37. Neque inhoneſte aliquem ſummitti, quem fortuna ſuper omnes extuliſſet.] *Alias*, neque ei inhon.

Cap. 38. Stipendia pacta ſit, notauimus facilius, vt quæ partibus ſimul, *&c.*] *Alias*, notabimus vt facilius è partibus, *&c.*

Cap. 39. Ab eodem facta * Numidicus Ciliciam perdomuit, viſa vicisſet poſt bellum Antiochenum.] *Alias*, perdomuit: & poſt bellum Ant.

Cap. 40. Cum priuato comitatu, quem ſemper illi fatale moris fuit.] *Alias* illi vacare.

Eod. Trib. pleb. legem tulerunt, vt ſi ludis Circenſibus, *&c.*] *Alias*, vt ſcilicet ludis.

Eod. Quippe ornamentum triumphi eius captiuos ducus Pompius ſubduxerat.] *Alias*, captiuos duces.

Cap. 42. Quanto opere conata eius, qui obtinebat Aſiam magiſtratus, P. R. motu ſuo deſtituere.] *Alias*, deſtituerit: *niſi paulo ante velis legere*, obtinebat.

Eod. In Bithyniam perrexit ad Proconſulem Iuniũ. cum idem enim Aſiam eam, quam obtinebat.] *Puto legendum per parentheſim* (cum idem enim Aſiam eam obtinebat.)

Cap. 44. Vt ager Campanus plebei diuideretur.] Plebei, *datiuus antiquus.*

Cap. 45. Sera Cnæi Pompeij cura, verum & cupit interita.] *Forte*, cupito interitu.

Cap. 46. Orbem, victus pars Conſulum, Cn. Pompeius & M. Craſſus.] *Alias*, inuictum par.

Cap. 47. Cum medium iam ex inuidia Ponti ac Camiliæ cohærentis inter Cn. Pompeium & C. Cæſarem concordiæ pignus.] *Forte legendum*, ex inuidia Ponti, male cohærentis.

Cap. 49. Suffragiis P. R. comittere decreuere.] *Alias*, decreuerit.

Cap. 51. Et mare præſidijs claſſium virebatur ſepſerat.] *Alias*, vt rebatur ſepſerat.

Eod. Quibus non Hiſpaniæ Aſiæ natus, ſed Hiſpanus, *&c.* *Alias*, Aſiæve.

Cap. 52. Vtiuſque exercitus profuſum ſanguinem, & conſilio inter ſe duo Reipub. capita.] *Forte legendum* & commiſſa inter ſe.

Eod. Quod huius voluntatis erga Brutum ſuæ poſt eam vir tam mitis pretium tulit] *Alias*, ſuæ poſtea vir, *&c.*

Eod. Sed munus miſericordiæ corrumpit pertinacia.) *Alias*, corrupit.

Eod. Cum libentius vitam victoriam dare, quam victi acciperent.] *Alias*, victores darent quàm.

Cap. 53. Quid aliud quam nimis occupatos dixerim, quos in ætatem & tanti, *&c.*] *Alias*, ætate.

Cap. 57. Quod ab eo id repulſum erat, vt non offenſum videretur.] *Alias*, quod ab eo ita repulſum erat, vt non offenſus.

Cap. 59. De cuius origine etiam ſi præuenit, & pauca dicenda ſunt.] *Alias*, etiam ſi præuentis pauca dic.

Cap. 64. Cæſarem quiailla dederat peris.] *Alias*, periſſe, *vel* perire.

Cap. 65. Amici vltione debere* turinita potentiæ ſocietas.] *Forte*, debere. igitur initur.

Eod. Quid paſſi eſſent, quàm quid emeruiſſent.] *Alias*, demeruiſſent.

Cap. 66. Quod aut Cæſar aliquem proſcribere coactus eſt, aut Bullo Cicero proſcriptus eſt.] *Fortè*, aut ab illo, *vel*, ab vllo.

Eod. Citiuſque in mundo genus hominum * quam cedet.] *Apparet hic aliquid deeſſe forte legendum eſt*, quã huius nomen cadet.

Cap. 68. In vrbe ſeditionem haud magis occulte bellicum tumultum] *Forte* aut magis.

Eod. Flauũq. Cæſe etiam trib. pleb.) *Alias.* Sæſetiũ.

Eod. Et C. Caſſius acceptis à Scaio Murco, *&c.*) *Alias*, à Sexto Murco.

Cap. 69. Laodiceam expugnata ea vrbe fecerat, ita tamen vt adiectum ſerui ſui.] *Forte legendum*, interfecerat, *vel* confecerat: ita tamen vt adiectum ſerui ſui.

Cap. 71. Quæ illi omnes virtutes vnius temeritate fecit, abſtulit.] *Alias*, temeritate facti abſtulit.

Cap. 72. Cum omni commiſſa ſibi parte exercitu nauium, *&c.*] *Alias*, exercituum.

Eod. Occupauerat, petit. ad quem & è Brutianis caſtris, *&c.*] *Alias*, petit. quin & è Brut.

Cap. 73 Manu promptus, cogitator celer, *&c.*] *Alias*, cogitatione celer.

Cap. 75. Tum fugiens mox futuri ſui Cæſaris arma, nusbimum hunc Tiberium.] *Forte*, arma, tum bimum.

Cap. 76. Qui natus obſcuriſſimis initiis, parum habebat ſummam accepiſſe, *&c.*] *Alias*, ſummum.

Cap. 77. Qui haud abſurdo cum in naui, *&c.*] *Alias*, abſurde.

Eod. Quia talem virum collegam officij Mena & Menocres faſtidierant.] *Alias*, Mencrates.

Cap. 80. Quam ad in diſſimillimam vita ſua ſua potentiam peruenerat.] *Alias legitur*, vitæ ſuæ.

Cap. 82. Qua æſtate Cæſar tam proſpere Libium in Sicilia bene fortuna in Cæſare & Republ. militauitad Orientem.] *Legitur alias.* Lepidum in Sicilia.

Cap. 84. Aduerſa illa ſpecie & terribilior.] *Forte*, ſpecie erat terribilior.

Cap. 85. Officio. Videbit é ſuo, an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuerat, *&c.*] *Alias*, Viderit.

Cap. 86. Ex qua lenitate ducis, colligi potuit, quem aut initio triumuiratus ſui, aut in campis Philippijs, ſi ſic licuiſſet, victoriæ ſuæ facturus fuerit,] * ad ſolium alarunt.] *Videtur deeſſe* modum *mox quoque, Vt videtur multa deſunt.*

88. Nec minora conſequi potuit, ſed non tam concupiuit.] *Forte legendum:* nec maiora conſequi non potuit.

Eod. Æquetur prædictæ iam Antiſtiæ Seruilia Lepidi vxor.] *Alias*, Æquetur prædictæ Calpurniæ Antiſti & Seruilia, *&c.*

Cap. 89. Quæ fuerit munerum, nedum in operis, ſiquidem iuſti materia, nedum huius, *&c.*) *Legitur alias*, muneris, vix in operis & quidem iuſti, *&c.*

Cap. 93. Vt tamen id per M. Agrippam ſecuros ei poſſe contingere non exiſtimarent.] *Scriptum alias* ſecure, *vel* ſecurius.

Cap. 94. Ac rei frumentariæ inopiam ita * oſtia, eratque, *&c.*] *Alias*, Oſtiæ atque.

Cap. 99. Ita ſeptem annos Rhodi moratum eſt, vt omnes qui pro conſulibus legatique in tranſmarinas profecti prouincias, viſendi eius gratia, ad quem conuenientes, ſemper priuatos illa maieſtas priuata nunquam fuit faſces ſuos ſubmiſerint. *&c.*) *Forta ſſis referendum, & diſtinguendum*, moratum eſſe, vt omnes qui pro conſulibus legatiſque in tranſmarinas profecti prouincias, viſendi eius gratia atque conueniendi (ſemper priuatus ille, maieſtas priuata nunquam fuit) faſces ſuos ſubmiſerint, *&c.*

Cap. 100. Quicquid liberet, pro licito vindicans, *&c.* *Alias ſcribitur*, iudicans.

Cap. 101. Caius Cæſar ante alijs prouinciis adſedandum obitis.] *Legitur alias*, prouinciis adſidendo obitis.

Eod. Et omnibus ad Orientem viſis prouincijs.] *Alias*, vſus.

Cap. 102. Conſilia per Parthum indicata, Cæſaris iá auulgauit.] *Alias*, Cęſaris ira euulgauit.

Eod. Tam paulo poſt odiſſe Cenſorinum in iiſdem prouinciis, grauiter tulit ciuitas. *Lege*, obiſſe.

Cap. 103. Nedum hic implere temus: id vnum dixiſſe, quàm ille omnibus fuerit, tum refulſit, *&c.*] *Forſan ſic legendum eſt:* id vnum dixiſſe contenti, quàm ille carus omnibus fuerit tum apparuit: tum refulſit, *&c.*

Cap. 105. Recepti Cheruſci gentes, & inamninus, mox noſtra clade nobilis tranſitu Viſurgis.] *Alias ſcribitur*, & in amnibus, *hoc eſt*, inter amnes. *Malim tamen legiſſe:* gentes & amnis mox noſtra clade nobilis, tranſitus Viſurgis.

Eod. Eum veris initi reduxit in Germaniam.] *Alias*, veris initio.

Cap. 109. Vt neque bello nos laceſſeretur ſupereſſe ſibi vim ac voluntatem reſiſtendi * * Legati. *&c.*] *Putarem legendum*, nos laceſſeret: at ſi laceſſeretur, ſupereſſe ſibi vim ac voluntatem reſiſtendi declararet. Legati, *&c. nam in fine ſimile quid deeſſe videtur: cum ſit in exemplari lacuna omiſſa dictionis.*

Eod. Quæ finem Italiæ terminant, initium eius finium haud multo plus, *&c.*] Eius, *ſcilicet* Maroboduui.

Cap. 111. Reuocatus vndique & omnes veterani, viri feminæque ex cenſu libertinum coactæ dare militum.] *Alias ſcriptum*, militem.

Eod. Necdum Senator æquatus Senatoribus, etiam deſignatis tribunis, plebei partem exercitus, *&c.*] *Puto potius legendum*, etiam deſignatus tribunus plebei. *& mox* perduxi, *loco* perduxit. *nam de ſe ipſo loquitur.*

Eod. Furenteis in eum vireis vniuerſas euaſimus partibus.] *Puto legendum*, artibus.

Cap. 112. Neque vt facientibus copiam pugnandi, dirigentibuſque etiam auſa congredi, *&c.*] *Alias.* dirigentibuſque aciem auſa cong.

Eod. Munitione ſe defendit. antea pars quæ obuiá ſe effuderat exercitui.] *Alias*, defendit. At ea pars quæ, *&c.*

Eod. Auxiliaribuſque & equitatui regio, quippe magna Thracum manu vinctus prædictis ducibus Rhomo & Alces Thraciæ rex in adiutorium, *&c.*] *Puto legendum:* & equitatu regio. quippe magnam Thracum manum iunctus prædictis ducibus Rhomanis. Alces Thraciæ rex. *Sed cum venit in mentem priorum: legendum potius*, prædictis ducibus, Rhemetalces. *Sed & in capite* 110. *vbi eſt:* Proxima duobus Batonibus ac Pineti ducibus, *&c. ſic legendum puto:* Proxima duobus Batoni ac Pineti ducibus auctoritas erat. *nam paulo poſt Velleius* Batonis *ac* Pinetis *rurſus meminit & Suetonius* Batonẽ Pannuiorum ducem à Tiberio Cæſare ſcribit ingentibus donatum præmiis.

Eod. Non incruentis centurionibus, qui etiam primi ordines cecidere, *&c.*] *Alias*, centurionibus: quin etiam pr.

Cap. 114. Cuius ſalus ac valetudo, non ita ſuſtentaretur Cæſaris cura, tanquam diſtraximus, ille tantorum onerum mole, &c.] *Alias*, diſtraximus.

Eod. Lectica eius publicata, cuius cùm alij, tum ego ſenſi.] *Hic deeſſe puto, beneficium, vel ſimile quidpiam: niſi placet* Vt cuiuis *legatur hoc modo:* lectica eius publicata cuiuis: cum alij, *&c. ſed prior lectio magis arridet.*

Eod. Admonitio frequens inerat & caſtigatio,

Vindicta amariſſima, *&c.*] *Alias*, vindicta ratiſſima.

Eod. Excelſiſſimos duces, captum alterum à ſe deditum iuſtis volumnibus, *&c.*] *Videtur vox repetenda, ſcribendumque:* captum alterum, alterum à ſe deditum, *&c.*

Eod. Cuius omnibus copiis Cæſarem Lepidus præfectus eſt.] *Alias*, copiis à Cæſare Lepidus.

Cap. 115. Ornamentis triumphalibus conſentiente cum iudicio principum voluntate Senatus eſt.] *Deeſt* donatus, *aut ſimile quid, inter vocem Vltimam & penultimam.*

Eod. Quippe Peruſia æde ſiciales Dalmatæ, ſitu locorum ac montium, *&c.*] *Legendum reor*, quippe perfidia exitiales Dalmatæ.

Cap. 118. Simulantes licium ſeries, & vnus procaces alter alterum iniuria, *&c.*] *Alias*, & nunc pronocantes alter, *&c.*

Eod. Primo igitur paucos, mox pluris in ſocietate conſilij præcepit.] *Alias*, mox plureis in ſocietatem conſilij recepit.

Eod. Negat itaque ſe credere, ſpemque in ſe beneuolentia ex merito æſtimare profitetur.] *Forte ſic legendum*, ſpemque de Germanorum in ſe beneuolentia.

Cap. 119. Cum ne pugnandi quidem egregie, aut occaſionis in quantum voluerant, data eſſet immunis, caſtigatis, *&c.*] *Deeſt hic vel* poteſtas, *vel ſimile, ante*, immunis.

Eod. At Valnumonius legatus Vari, *&c.*] *Alias legitur*, At Val. Numonius.

Cap. 120. Eorumque qui vna circumdati à Liſone, immenſis Germanorum copiis, *&c.*] *Alias*, circumdati Aliſone. *eſt loci nomen. nam extat hodieque oppidulum Alkheim, prope Vangiones. meminit eius & Tacitus.*

Cap. 121. Coertione magis quam pœna molliſſet, Senatus populuſque Romanus poſtulante patre eius, vt æquum eius in omnibus prouinciis exercitibuſque eſſet, quam erat ipſe decreto complexus eſſet, *&c.*] *Puto ſic potius legendum*, & Senatus populuſque Romanus (poſtulante patre eius) vt æquum ei ius in omnibus prouinciis exercitibus eſſet, quam erat ipſi, decreto complexus eſſet.

Cap. 122. Quin ex Armenia recepta, & ex rege propoſiti, cuius capiti inſigne regium, *&c.*] Ex rege ei propoſito. *recte. loquitur enim de Tigrane.*

Cap. 125. Ac Hiſpanias exercitumque virtutibus, celeberrimaque in Illyrico militia prædiximus, cum imperio obtineret, in ſumma pace, quiete continuit: cùm ei pietas, *&c.*] *Legendum*, ceu prædiximus, *vel per παρέκθεσιν modum* (prædiximus.) *Arridet tamen mihi magis, Vt* præditum *legamus, hoc modo:* ac Hiſpanias exercitumque virtutibus, celeberrimaq; in Illyrico militia præditum, quum imperio obtineret, in ſumma pace ac quiete tenuit. *Nam innuit Velleius Iunium Blæſum eas copias, quibus in Illyrico feliciter præfuerat, paulo poſt in Africam traduxiſſe, priori militia, quam in Illyrico fecerant, nobiles & inſignes. Proinde Dolabellam huius curam ac fidem imitatum ſcribit, nimirum Vt iam abſentis.*

Cap. 126. Summota è foro ſeditio, ambitio campo, diſcordia curæ, ſepultæ: ac ſitu oppoſitæ, iuſtitia, æquitas, *&c.*] *Videtur legendum*, ſubmotæ foro ſeditio, ambitio campo, diſcordia curiæ ſepulta.

Cap. 129. Sed prepoſita quaſi vniuerſa principatus Tiberij Cæſaris *, ſingula recenſeamus.] *Poſt* Cæſaris, *deeſt* forma, *vel ſimile, quæ dictio oſcitantia librarij in tertium verſum tranſlata eſt, Vt videtur, vbi plane ſupereſt:* conſortiſque eiuſdem imperij formam euocauit?

Eod. Qua ille prudentia Rhaſcupolim, *&c.*] *Hunc Suetonius* Thraſypolum *vocat, Tacitus* Rheſcuporim.

Eod. Conſortiſque eiuſdem imperij formam euocauit.] *Niſi dictio* forma, *Vt dixi, hic ſuperuacua eſt, videtur deeſſe*, per, *Vt legatur*, per amicitiæ formam euocauit.

Eod. Quam celeriter ingratum & noua molientem oppreſſit.] *Hæc verba*, ingratum & noua molientem, oppreſſit, *errore librarij tranſpoſita videntur. ego in tertium ſuperiorem reponenda puto*, *videlicet poſt*, formam euocauit.

Eod. Maroboduum inhærentem occupati regni finibus.] Boiohemiam *intelligit.*

Cap. 130. Cn. quoque Pompeij munera abſumpta igni reſtituit: qui quidem quam claritudine eminuit, *&c.*] *Alias*, qui quicquid vnquam clarit.

Eod. Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum auro deo cum, de his queri, *&c.*] *Alias legitur*, hominum aut deorum, *vel*, auribus deorum de his.

Eod. Quamquam & hæc ille dixit maxima.] *Legitur alias*, duxit.

Cap. 131. Conſiliaque omnium ciuium aut pia.] *O vetuſtatem conſumptricem! imo potius, ô hominum incuriam! nam Vtram magis accuſem, plane dubius ſum. Non ſatis erat Latiniſſimi ſcriptoris Vtiliſſimum opus initio ſuo truncaſſe, niſi fine etiam ſuo mutilaretur: Vt nihil dicam de vitiis, quibus in medio fœdiſſime deformatum eſt. Vtcunque vero ſit, noluimus tam inſignem ſcriptorem ſitu diutius emarceſcere. protulimus nuncin medium, fruſta, ſed non ſine tædio ſtudioſorum, iam in quartum annum emendatius exemplar expectando, cunctati protulimus, inquam, Vt ab aliis illi quoque ſubueniatur, in hoc vereres imitati, qui priuſquam Medicina in artis compendium eſſet redacta, morbidos homines in triuiis ac compitis ſtatuebant, Vt à prætereuntibus ſalutaria leuandarum ægritudinum remedia diſcerent. Curauimus autem nos multa vulnera perfecte, nonnulla ſic, Vt cicatrix etiamnum appareat: quædam ſplenio tantum obduximus. nec propterea nullam mihi gratiam habebis, amice lector, quod non omnia reſtituerim. id enim abſque emẽdatiore codice non erat poſſibile. at meus & vnicus erat & mẽdoſiſſimus. Auſim iurare eum, qui illum deſcripſerat, ne verbum quidem intellexiſſe: adeo omnia erant confuſa, abſque vllis punctis aut diſtinctionibus. Quod ſi tu ſcires, quam ego laborarim in his fragmẽtis vtcunq; reſtituẽdis, credo fatereris te mihi nonnihil debere. Neque enim quia tu iam multa abſque offenſione legis, idcirco codex planus erat. imo nihil erat non deprauatum: in ſingulis pene verbis hærebatur. Fatebũtur me vera dicere, quicũq; vetuſtũ codicem inſpexerint, qui in Murbacenſi bibliotheca adhuc aſſeruatur. Proinde cogita quãtu mihi vigilias conſtiterit hæc qualis qualis caſtigatio. Hoc non alia gratia dico, quam quod video quoſdam ingratiſſimos alienorum laborum æſtimatores, imo deriſores, qui cum ipſi nihil præſtent, hoc agentes naſo ſuſpendunt. Nam cum ſuperioribus annis Ludum Annæi Senecæ ſcholiis meis expoſuiſſem libellum non minus deprauatum quàm vexatum, ſtatim reprehenderunt me quidam, temerariè factum à me dictitantes, quod eius auctoris interpretationem ſuſcepiſſem, qui mihi totus non eſſet cognitus. Quaſi vero, qui iam olim poetas enarrarunt, aut noſtro ſæculo ſunt interpretati, non coniecturas plerumq; ſequantur? & non magnum ſit rei pretioſæ vel partem habere ſi integram poſſidere non detur? At negatores iſti adeo me non deterruerunt à propoſito veteribus qua licet ſuccurrendi, Vt nunc non ſolum Velleium ediderim ſimilacerum, ſed et Tertulliani libros vetuſtiſſimi inter Chriſtianos ſcriptores, mendoſi tamen, mea cura è tenebris eruios, apud Frobenium excudẽdos curem, in vſum videlicet rei theologicæ, & ad vetuſtatem illuminandam, quantum ad rem Chriſtianam attinet. Ceterum, optime lector, videtur hic parum deeſſe in hac peroratiuncula votiua. nam in exemplari verſus aliquot erãt eraſi, forſan ab aliquo nebulone factiuo periculum, an illitæ*

membranis notæ expungi possent. Videntur autem extrema verba in talem scripta sensum; consiliaque omnium ciuium aut pia, aut salutaria, in felicem exitum prouehite, *aut sensum similem. Bene vale, mi Lector, & conatum nostrum boni consule. Basileæ decimoseptimo Kalendas Decembres, anno* CIↃ. IↃ. XX.

IO. ALBERTI BVRERII

VARIANTES LECTIONES

AD VELLEIVM.

CVM Velleium typis excusum vidissem; casu inspecto recenti libro, erratulum quoddam deprehendi, leuiusculum quidem illud; sed adeo non leue, quin dignum videretur obseruatu. atque ex hoc vno quod aiunt, cetera omnia spectare cœpi, vetustum Velleij codicem à Io. Frobenio repetens, animo conferendi eius. Verebar enim, ne sic reddito Velleio, quippiam in tam pretioso auctore desideraretur, promptum non fuerit eundem quotidie è Bibliotheca tam longinqua repetere. Contuli itaque Velleium, à capite, quod aiunt, ad calcem; atque hoc solo Studiosorum nomine: cum aliud nihil spectarem, quam vt studiosos obsequio demererer, iisque pro mea virili gratificari. Quare, cum hunc recentem vetusto Velleij codici conferrem, non modo versum versui, sed etiam syllabam syllabæ, & (quod alicui plus quam curiosum ac pene stultum videri queat) etiam literam literæ contuli: ne quid non ageretur in rem Studiosorum. Valete.

LIBRO PRIORE.

CAP. 4. Eodem ferme tempore.] *Exemplar vetustum habet:* Eodem fere tempore Athenæ sub regibus esse desierunt, *&c.*

Eod. Imprudenter rixanincies.] *Rhenanus,* rixam iniiciens: *ego vero,* rixam ciens, *legendum puto, literis vetusti exemplaris propius inspectis. Habet enim,* rixam.ncies; *interposito inter* rixam, *&*, ncies *puncto diuisibili, & transposita* n *littera.*

Cap. 4. Alij nocturno æris sono.] *Exemplar vet. habet,* nocturno aeris sono, *nisi veteres aliter pinxerint diphthongum* æ, *quam hodie pingamus: erat enim* e *ab* a *spatio diuisum.*

Eod. Magna vis Græciæ iuuentutis.] *Exemplar vet. habet,* magna vis Græciæ iuu.

Cap. 6. Tertio & trecentesimo loco à Nino.] *Ex vet.* tertio & trecensimo. trecensimo, *pro* tricesimo, *more veterum. id quod etiam obseruauit Politianus, in huiusmodi antiquis exemplaribus.*

Cap. 9. Vt plerũque superior fuerit.] *Vet. exempl.* fuit.

Eod. Quibus Rhodij quoque, fidelissimi ante Romanis.] *V. E.* antea.

Eod. Tam fortiter in ea mortem obierat.] *E.V.* morte. *Legendum suspicor,* tam fortiter in eo Marte obierat.

Cap. 10. Suorum actorum.] *In vetusto exemplari,* actorum, *præcedit,* suorum.

Cap. 11. Qui quadriennium post.] *Ex. vet.* qui quadriennio post.

Eod. Adsumpti regni insignibus.] *Mihi videtur,* adsumptis regni insignibus, *legendum esse.*

Cap. 12. Quicquid de Carthaginensibus dicebatur.] *E. V. habet,* diceretur. ba, *ab alio quopiam additum videtur: nam non est chirographum scribæ veteris exemplaris.*

Eod. Fecitq; suæ virtutis monumentum.] *E.V.* monimentum.

Eod. Abhinc annos CCLXXVII.] *E.V. habet,* adhinc annos CLXXVII.

Cap. 13. A. Mummius Corinthum.] *E.V. habet,* a *paruum. inde legendum coniicio.* At Mummius.

Eod. Et quin hac prudentia, *&c.*] *Tametsi sic habeat vetustum exemplar, tamen videtur legendum,* & quia hac prud.

Cap. 14. Nam militarium & caussa & auctores, *&c.*] *Exemplar vet. sic habuisse videtur:* Nam militarium & caussæ. *capulo illo, quo fit diphongus, abraso.*

Eod. Ad quintum Fabioque Decio Mure quarto Coss. quo anno Pyrrhus regnare cœpit, Sinuessam Minturnasq; missi coloni.] *E.V. sic habet:* ad quintum Fabioque Decio Mure quarto cons. quo anno, *&c. Locum hunc veræ ac genuinæ lectioni suæ sic restituendum puto. qui aliquando veterum exemplaria euoluerunt, sæpicule, imo fere semper, & vbiq,* t pro d, *& rursum,* d pro t, *legerunt,* vt haut *pro* haud, aput *pro* apud, *&* at *pro* ad, *multaque huiusmodi. nouerunt item pleraque veterum exemplaria sine maiusculis litteris, sine punctis; demum etiam sine omni sententiarum discrimine scripta. ita q; Velleij literis singulis ordine diligenter excussis & perpensis, sic legendum hunc locum exhibeo:* Ad quintum Fabio Q. (*fuit autem Q. Fabius, teste Liuio, quinquies Consul; idcirco* quintum *pro* quinto, *aduerbialiter hic positum opinor*) Decio Mure quarto Conſ. Ad, *hic, vt dixi, pro* At, *positum est (nisi, si cui videatur ad* Sinuessam *referri debere, quod tamen non est simile vero)* Fabioque *pro* Fabio Q. *positum videtur, non pro* Fabio *&* que, *coniunctione.*

Eod. Id actum ante annos ferme CCCXXX.] *Exemplar vetustum habet,* ante annos CCCXX.

Eod. At Cossa.] *E.V. habet,* At Cosa.

Cap. 15. Aquilia.] *E.V.* Aquileia.

Eod. Ante triennium quàm Cassius Censor à Lupercali in palatium versus theatrum facere instituit.] *Nonnihil dubito, an legendum sit,* ante triennium quam Cassius Censor Lupercalia in palatium, *&c.*

Eod. Qui Sallyes.] *Exemp. vet.* Sallues.

Eod. In Baciennis.] *Ex. vet.* in Bagiennis.

Eod. Eporedia sexies, Mario sexies, *&c.*] *E.V. habet,* Eporedi, Mario sexiens, *&c.*

Cap. 16. Et quemadmodum clausa Capsa, alioq; *&c.*] *E.V.* clausa Capso.

Cap. 17. In Accio circaque eorum Romana tragœdia est.] *Vbi legitur alius,* in Accio, circaque quorum Romana tragædia est, *legendum puto,* in Accio, circaque eum Romana tragœdia est.

Eod. Et Gracchorum & Fanni.] *E.V.* & Fannij.

Eod. Pictoribus, scalptoribus, quisquis temporum institerit notis.] *Scriptum in V.e.* pictoribus, scaltoribus q. uisquisq. temporum, *&c. Ego litteram positione ducor, vt sic legendum existimem,* pictoribus scalptoribusque, vt quisque temporum institerit notis. *aut sic,* pictoribus scalptoribusq; & quisquis temporum, *&c.*

Eod. Huius ergo præcedentisque seculi ingeniorum similitudines congregantis, & in studium par & emolumentum caussas cum semper requiro, *&c.*] *Exemp. vet. habet:* Huius ergo recedentisque seculum ingeniorum similitudine congreganteſq. se & in studium par, & me molumentum caussas cum semper requiro, *&c.*] *Hic ideo vetusti codicis formam lectori proposuimus, vt videat quibus laboribus Velleius à mendis, quibus scatebat innumeris fuerit repurgandus.*

Cap. 18. Quæ vrbes talium studiorum fuere steriles.] *E.V. habet,* existimatumque vrbes & italia talium studiorum fuere steriles. *Coniicio legendum,* quæ vrbes & multæ aliæ, *sine* item aliæ, talium studiorum fuere steriles. *mihi tamen prior lectio melius placet.*

Eod. Ni Thebas vnum os Pindari inluminaret.] *E.V.* nisi Thebas.

IN LIB. II. HISTOR.

CAP. 1. Vel inscitia nostrorum ducum.] *E.V.* inscia.

Cap. 2. Imperium abrogauit.] *Exemp. vet.* imperium adrogauit.

Cap. 3. Ex superiori parte.] *E.V.* superiore.

Eod. Nec quisquam putat turpe.] *E. V.* nec quisquam sibi putat turpe. *&c.*

Cap. 7. Cum ab eo ad te M. Vinici.] *E.V.* Cum ab eo sint ad te M. Vinici.

Cap. 9. Crassus & M. Antonius.] *E.V.* L. Crassus.

Eod. Vsque in Græcorum ingeniorum comparationem eius ætatis.] *E.V.* comparationem euectis.

Cap. 14. Cum ædificaret templum.] *E.V.* cum ædificaret domum.

Eod. Immunisque ab omnibus hominibus esset.] *Tu lege,* immunisque ab omnibus arbitris esset. *sic enim habet vetus exemplar.*

Cap. 15. Fonteiumque legatum occiderant.] *E. V.* Fonteiumque legatum.

Cap. 16. Caput imperij sui Corsinium legerantque Italicani.] *E.V. habet,* caput imperij sui Corsinium legerant, quod appellarent Italicum. *fortasse legendum,* appellarunt.

Cap. 17. Fluentem procumbentemque Rempublicam restituentibus.] *Exemp. vet. habet,* Rempub. P.R. restituentibus.

Eod. Consulatum inierunt Cn. Pompeius.] *Ex. vet.* Q. Pompeius.

Cap. 19. Vt agnouit Marium, cum magno eiulatu.] *V.E.* vt agnouit Marium, magno eiulatu expromenti indignationem casus, *&c.*

Cap. 20. Sanguine Consulis Romani, militis imbutæ manus.] *E.V.* manus sunt.

Eod. Quippe Pompeius collega Sullæ ad exercitum Cn. Pompeij Proconsulis seditione, sed quam dux creauerat, interfectus est.] *Exemplar manuscriptum sic habet, vt dubium mihi sit, vtra sit verior lectionum, illa superior, an hæc posterior:* quippe Pompeius collega Sullæ ab exercitu Cn. Pompeij Proconsulis seditione, sed quam dux creauerat, interfectus est. *Dubito nonnihil, an pro* creauerat *legendum sit* exciuerat, *vel* excitauerat.

Cap. 21. Ante annos fere CLXVIII.] *Ex. vet. habet* CLXVII.

Cap. 22. Neque licentia gladiatorum in mediocreis sæuitum.] *E.V.* neque licentia in mediocri sæuitum.

Cap. 23. Ceterum cum oppressi.] *Exemplar vetus habet* tum.

Cap. 24. Quibus diem dixerat motu ad Sullam profugissent.] *Mihi legendum videtur* metu.

Cap. 25. Confluentibus ad eum optimo quoque saniſſimo.] *Ex. vet.* optimo quoque & saniſſimo.

Eod. Felici denique circa Capuam euentu.] *Ex. vet.* deinde.

Eod. Scipionem Narbonumque.] *E.V.* Norbanumque.

Eod. Cos. superat.] *V. E.* Coss.

Eod. Quorum Narbonus acie victus.] *V. E.* Norbanus.

Eod. Vt dum vincit, ac iustissimo lenior; post victoriam audito fuerit crudelior.] *Mihi sic legendum videtur:* vt dum vincit, iustissimo lenior, *&c.*

Eod. Post victoriam qua demens desmontem tifatã cum C Norbano concurrerat.] *V. E. sic scriptum habet:* Posuit victoriam qua dementes montem Tifata, *&c. hic locus depravatissimus, adeo omnium suffugit coniecturas, vt pene de eo, quasi irreparabilibus, desperatum fuerit. Nihilominus ego, ceu solent canes venatici, odorari non desisti, donec lectionem aliquam, si non germanam, attamen germanæ simillimam, deprehenderem. ea hæc est,* posuit victoriam qua demens de monte in Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla. *Fuit autem* Tifata, *teste Volaterano, oppidum in Campania, non longè à Capua; vbi Sulla Norbanum acie vicerat.*

Eod. Gratus Dianæ, cuius, &c.] *Habet E.V.* gratis.

Eod. Cuius numini regio illa sacrata est.] *Ex vet. habet,* nomini.

Eod. Soluit aquas salubritare medend. &c.] *Ex vet.* soluit aquas salubritate in medendisque corporibus nobiles.

Eod. Agrosque omneis adduxit, Deæ huius gratæ relig. &c.] *Ex. vet. sic habet, vt potius,* agros omneis adduxit Deæ, huius gratæ religionis memoria & inscriptio templi adfixa posti, *legendum existimem.*

Eod. Hodieq; tabula testatur ærea intra ædem Coss. Carbo, &c.] *Ex. vet. habet,* hodieque crabula testatur ærea Interea deinde con. Carbo III. & C. Marius septiens, &c.

Cap. 27. Abhinc annos XL.] *Ex. vet. habet,* abhinc annos XI. Kal. &c.

Eod. Quam eodem die.] *Exemp. antiq.* quam eo die.

Eod. Obscuratur eius memoria.] *Vetus liber,* obscuratur ciuis memoria.

Eod. Quod quidem vsurpasset.] *Exemp. vetus habet,* quo quidem vsurpasset.

Eod. Mari præfuerat Asella Lucretius.] *Antiquus codex,* mari præfuera Affella Lucretius. *Legitur in margine* Ofella.

Eod. Marianarum fuisset partium.] *Exemplar priscum præfert.* Marinarum.

Eod. Quibus eius nomine.] *Vetus exemplar habet,* qui sub eius nomine.

Cap. 28. Petulantis conuitij iudicium historiarium ex alto, &c.] *Exemplar vetustum scripsit.* iudicium historiarum ex alto redditur.

Cap. 29. Res in Senatu gessisse.] *Ex. vet. habet,* res in consulatu gessisse.

Eod. Ad vltimam vitæ comitata est diem.] *Vetus manuscriptum,* ad vltimum.

Eod. Nisi numeraretur inter maxima, ciuitate liberа.] *MS. codex,* inter maxima in ciuitate lib.

Eod. Hicce toga virili.] *V. E.* Hic à toga. *Is qui Velleium è vetusto descripsit, falsus est a litera in* CCC. *nam vt in hoc, sic etiam in quibusdam aliis veterum codicibus, a sic scribitur* CC. *quod iste pro* CE *syllaba adspexit.*

Eod. Singulari rerum militarium prudentia celeriora, & à Sertorio Metellus laudaretur magis.] *Sic habet vetus exemplar; vt potius legendum videatur:* Singulari

rerum militarium prudentia celerior, ita vt à Sertorio, &c.

Cap. 30. Ex Hiſpanis triumpharunt.] *V. E.* Hiſpaniis triumphauerunt.

Cap. 31. Sed nimium iam liber ære reipublicæ, &c.] *Habet Vetus liber,* nimium iam liber æret. *Mirum eſt, ſi me literarum coniectura hoc loco fallit. nam ex* æret *ſic coniicio legi debere,* nimium iam libere imperaret Reipublicæ, *&c. quod ſi cui hæc noſtra coniectatio non placuerit; habeat is occaſionem quærendæ melioris.*

Cap. 33. Ne vterque ab eo quod arguebatur.] *V. E. habet,* neuterque ab eo, *&c. Vt autem facile ex* neuterque *fit* ne vterque, *ſi diuiſeris: ſic rurſum ex* ne vterque *diuiſo, facile ſit* neuterque, *ſi commiſeris.*

Eod. Vt primum Republicam adgreſſus.] *E. V. habet,* vt primum ad Rempub.

Cap. 34. Et aliorum vtriuſque ordinis virorum.] *E. V. habet,* & aliorum vtrius ordiuis virorum.

Eod. Catilina metu imperij.] *Habet ex. Vet.* Catilina metu conſularis imperij.

Cap. 35. Homo virtuti ſimillimus.] *E. V. ſcriptum habet,* non virtuti. *ſed, Vt ſunt varia chirographorum genera, ſuſpicor librarium* homo, *ſic hō ſcriptum pro* non *adſpexiſſe. nam ſi adſpirationis caudam, quam ſurſum erectam habet, non longule in alium protraxeris,* eſſe cuiuis, *non penitus introſpicienti videtur.*

Eod. Hic Trib. pleb. deſignatus, adhuc, *&c.*] *Idem liber:* Hic TR. PL. deſignatus eſt adhuc.

Eod. Ita conſilij virtutem amplificauit.] *E. V. habet,* ita conſiliis virt.

Eod. At Catilina non ſegnius vota obiit.] *E. V. repræſentat* nota.

Cap. 36. Quis enim ignorat diremptos gradibus.] *E. V. habuit,* direptos.

Eod. Eminent principes carminum Virgilius Rabiriuſque.] *E. V.* princeps.

Cap. 37. Ac rex fuſus fugatuſque.] *Eſt in Vet. exemp.* Atrex.

Cap. 38. Ianus Geminus clauſus dedit.] *Legitur in Vet. ex.* Ianius Geminius.

Cap. 39. Galli in ærarium reditus cōtulit. At T. Ceſar, *&c.*] *Exemp. Vetus habet,* Galli in ærarium redditus contulit. Ad T. Cæſar, *&c.*

Eod. Parem Illyriis Delmatiſque Rhetiam, *&c.*] *Ex. Vet. habet,* Delmatiſque extorſit Rhetiam.

Cap. 41. Ita ſemper omne ſpatium.] *E. V. promit,* ita ſe per omne, *&c. nec miror, cur hic* ſemper, *pro,* ſe per, *inoluerit, cum facile* ſe per, *vel ſola* m *literæ interpoſitione deprauari poterat in* ſemper.

Cap. 42. Motu ſuo deſtituere.] *Mihi rectius videtur, Vt,* deſtituere, *infinite legatur.*

Eod. Pecunia redemptus, ita tamen, *&c.*] *E. V. habet,* redemptus eſt, ita tamen, *&c.*

Eod. De ea re vlli Proconſulis redderetur epiſtola.] *E. V.* redderentur epiſtula. *Opinor legendum,* epiſtolæ.

Cap. 44. Craſſus, vt qui principatum ſolus adſequi.] *Codex ille calamo exaratus,* vt quem princ.

Eod. Auctoritate Pompeij, viribus teneret Cæſaris.] *E. V. ſeruat,* Pompei viri, viribus teneret Cæſ.

Cap. 46. Cæſis ac captis.] *V. E.* cæſis & captis.

Cap. 47. Circa Aleſiam vero tantæ res quantas audere.] *Ex. Vetus,* tantæ res geſtæ, quantas audere, *&c.*

Eod. Cum medium iam ex inuidia Ponti ac Camiliæ cohærentis.] *Ex. Vet. ſic habet, Vt appareat legendum,* Pontiæ Camillæ cohærentis.

Eod. Omnem vim in coertionem ambitus exercuit.] *E. V.* in coercitionem.

Cap. 48. Per Afranium & Petreium.] *V. E. habet,* per Africanium. *Ego legendum puto* Africanum, *aut certè* Afranium.

Eod. Et iis, qui dimittendos ab ipſoque aduerſabatur.] *Sic habet Vetus exemplar,* iis qui ab ipſo quoque aduerſabatur.

Cap. 49. *Legendum,* poſt vrbem conditam annis A. CC. III. *&,* annos LXXVII. quam tu M. Vinici, *&c.*

Eod. Suffragiis populi Rom. committere decreuere.] *Sic habet exemplar antiquum, Vt legēdum exiſtimem,* committere decreuerat.

Cap. 50. Exercitus deinde, qui ſub Africano Conſulari.] *E. V. habet* Africanio, *eraſis* i *&* c *mediis litteris: Vnde legendum opinor,* Afranio.

Cap. 51. Ac vicina ei vrbi regio caſtris Pompeio retinetur.] *Exemplar Vetuſtum exhibet,* ac vicinia ei vrbi regio caſtris Pompeio, *ſed literæ Vltimæ* o *punctum delet ile ſuperſcriptum eſt.*

Eod. Regumque ac tetrarcharum, ſimulque, *&c.*] *E. V.* regumque tētarcharum ſimulque, *&c.*

Eod. Non hiſpaniæ Aſiæ natus.] *Mihi videtur legendum,* non Hiſpaniæ ſuæ natus.

Cap. 52. Alij vt bellum traheret, quod dignationi partium indies ipſis magis proſperum fieret.] *Habet priſca ſcriptura,* quod dignationi partem in die ipſiis. *Vbi ego ipſi legendum puto; Vt ad Pompeium referatur.*

Eod. Et illum cruentiſſimum Romano nomini diem.] *Eſt in mſ.* Romani nomini. *Opinor etiam,* Romani nominis diem *legi poſſe, fortaſſis etiam debere.*

Eod. Et conſilio inter ſe duo Reipublicæ capita.] *Coniicio legendum,* & conſiliunt inter ſe duo Reipublicæ cap.

Eod. Cum libentius vitam victoriam daret.] *Exemplar Vetus ita habet: adeo Vt legendum exiſtimem,* vitam victoriam daret, quam victi acciperent.

Cap. 53. Quos comites * ei fortuna adgregauerat.] *Aſteriſcum & lectionem margindem inducito. nam & ſuperior illa reſtituta, & inferior hæc lectio integra eſt: ſi* Sexto *ſcribamus, Vt ſit proprium nomen filij Pompeij.*

Eod. Conſilio Theodoti & Achillæ exciperent.] *Exemp. Vetus habet* Achili. *ipſe lector coniice, Vtrum horum hoc loco rectius legatur.*

Cap. 54. Non fuit maior in Cæſarem, quam in Pompeium.] *Conſpicitur in cod. Vet.* Non fuit non maior in Cæſarem, *&c. Mihi videtur legendum,* Non fuit tamen maior in Cæſarem.

Eod. Ingens partium eius fauor, bellum excitauerat * Africum.] *Aſteriſcus ante* Africum *obliteretur, cum nihil deſit ſententiæ Velleianæ.*

Eod. Cum ſummum ei ambitus deferretur imperium.] *Depraua tum eſt* à militibus, *in* ambitus, *visio ſcribæ poſteriore.*

Eod. Honoratiori parare maluit.] *Pro* parare *videtur legendum* parere.

Cap. 55. Acies reſtitutæ ſunt à duce.] *Exemplar Vetuſtum profert,* acies reſtitutæ C. A. duce.

Cap. 56. Magnificentiſſimis gladiatorij muneris.] *Lege* magnificentiſſimiſque.

Eod. Tam clementer omnibus vſo, plus quam.] *Scribendum cum Vet. ex.* Tam clementer omnibus victoriis ſuis vſo, *&c.*

Eod. Quod ab eo id repulſum erat, vt non offenſum videretur.] *Sic habet liber antiquus: Vt legendum videatur,* quod ab eo ideo repulſum erat, vt non offenſus videretur. *niſi* offenſum *(ſic enim habet Vetus exemplar)* ad Lupercal *referre velis.*

Cap. 57. Cum quidē plurima.] *Ex. Vet. habet,* plurimi.

Cap. 59. Operam ei pollicerentur.] *Manuſcriptus codex habet,* pollicentur.

Cap. 61. Quorum exemplum ſecuti alij, in breui in formam iuſti coiere exercitus.] *Idem, alij,* breui in formam.

Cap. 65. Et conditionum iacta mentio.] *Videtur mihi legendum,* facta mentio.

Eod. Amici vltioni debere * tur inita potentiæ ſocietas.] *Mihi reſcribendum videtur,* debere. tum inita. *Vel,* tunc inita. *ſed non vſquequaque diſplicet coniectaneum Rhenani,* Igitur initia.

Cap. 67. Ne deflere quidem.] *Exemplar Vetus habet,* nec deſi.

Cap. 68. In vrbe ſeditionem haud magis occulte bellicum tumultum mouens.] *Quantum ex Vetuſto codice coniicere potui; legendum videtur:* In vrbe ſeditionem, magis autem occulte bellicum tumultum mouens.

Eod. Vir inquies, & vltra ſortem temerarius.] *Habent membranæ,* vltra fortem.

Eod. Flauiumque Cæſe etiam.] *Exemplar Vetus habet,* Flauiumque Cæſetium.

Eod. Vt cenſoria potius contentus nota, *&c.*] *Liber calamo exaratus,* contemptus.

Cap. 69. Laodiceam expugnata ea vrbe.] *Exemplar antiquum,* Laodicia expugnat.

Eod. Circa Dyrrachium voluentis legiones extorſerat.] *Ex. Vet. habet,* volentis legiones, *ſicque legendum.*

Eod. In quo deformitas cum turpitudine certabat ingenij.] *Idem exemplar,* in quo deformitas corporis, cum turpit.

Cap. 72. Petit * ad quem & è Brutianis caſtris, *&c.*] *Lectio Velleiana bene habet. In Veteri codice ſic ſcriptum erat,* adque me Te Brutianis caſtris.

Cap. 73. Poſt Antonianam fugam.] *Exemplar priſcum,* poſt Antonij A mutinam fugam. *Quid hic legendum coniiciam, neſcio, niſi ſi cui bonum videatur,* poſt Antonij a Mutina fugam.

Cap. 74. Spem magis oſtenderat auxilij.] *Videtur habere Vetuſtum exemplar:* ſpe magis.

Cap. 75. Magni viranimi.] *Exemplar manu deſcriptum,* viri.

Eod. Druſi Calidiani filia.] *Quamquam ſic habeat codex Vetus, tamen* Claudiani *legēdum eſſe conſtat ex ſequentibus.*

Eod. Fugiens mox futuri ſui Cæſaris arma * nus binum hunc Tiberium.] *Ita omnino habet exemplar Vetuſtum; Vt legendum exiſtimem,* Cæſaris arma, cuius binum hunc Tiberium, *&c.*

Cap. 76. Et corpore cum eſſe non poſſet.] *Extat in Vet. exemp.* & corpore comes eſſe non poſſet.

Eod. Et propriæ claſſis factum ducem.] *Reſtat in Vet. exemp.* propræ. *Vide, num videatur legendum,* properæ claſſis.

Eod. Præparatuſque Cæſaris contra eum.] *Legitur in codice ſcripto:* præparatuſque contra eum Cæſaris.

Eod. Sed pax circa Brunduſium.] *Idem liber;* Sed pax contra Brundiſium.

Eod. Ex equeſtris ordinis cos.] *Codex item,* ex equeſtri ordinis cons. *&c.*

Eod. Ni ſimul adſcendiſſet, è quo infra ſe & Cæſarem videret, *&c.*] *Eſt in Vetuſto exemplari,* niſi in is adſcendiſſet equo infra ſe. *&c. Legendum ſuſpicor,* niſi in iis adſcendiſſet, quo infra ſe, *&c.*

Cap. 77. Et M. Syllanum, Sentiumque Saturninum.] *Exemplar Vetuſtum ſic habet,* & M. Silanum Sentium Q. Saturninum & Atruucium ac Titium. *Videan legendum ſit,* & Atruncium Actitium. *nam è codice membranaceo nihil certi coniici potuit.*

Eod. Et Menocres faſtidierant.] *Habet exemp. Vet.* & Menotrades faſtidierant.

Cap. 78. Nomine Iubilium.] *Exemp. Vet. habet,* Vibillium.

Eod. Ob turpem ex acie fugam, fuſte percuſſit.] *Exemplar Vetuſtum,* fuſti.

Cap. 80. Vt inutilis in alienæ victoriæ comes.] *Puto legendum,* in aliena victoria.

Eod. Tutam victoriam vt ſuam interpretaretur.] *MS. codex,* totam victoriam.

Eod. Decimoque anno quam ad in diſſimillimam vita ſua potentiam peruenerat Lepidus.] *Legitur & alias:* quam ad in (Diis ſimillima vita) potentiam peruenerat Lepidus. *videat lector vera lectio rectior.*

Eod. Spoliata quam tueri non poterat dignitas.] *Exemplar Vetus,* intueri.

Cap. 82. Cum fortunam, non animum mutaſſet.] *Vetus exemplar,* fortuna.

Cap. 83. Hunc mox auunculum Titius imitatus eſt.] *Eſt in Vet. exemplari:* Mox autem hunc, mox auunculum Titius imitatus eſt.

Cap. 84. Illa marcebant omnia.] *Habet ex. Vet.* illam arcebant omnia *Sed perinde* m *ab* arcebant *detractum, atque præcedenti dictioni eſt additum, ac ſi quis ſtudioſiſſime hoc feciſſet. Odoratur hic etiam inſcitia librariorum non intelligentium ea quæ ſcribebant.*

Eod. Modicaue celeritate.] *Ex. Vet.* modicane.

Eod. Aduerſa illa ſpecie & terribilior.] *Ita habet exemplar priſcum, Vt mihi legendum videatur,* aduerſa illa ſpecies terribilior, *&c.*

Eod. Quotidie aliqui transfugiebant.] *Ex. Vet.* quotidie aliquid transfugiebat.

Eod. Nam de illius exemplis vitæ naxuta Dolabella.] *Opinor legi debere,* natura.

Cap. 85. Officio. * videbit è ſuo, an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuerat.] *Mihi melius placet, Vt legatur,* vt dubites ſuone an Cleopatræ, *&c.*

Cap. 86. Quem aut initio Triumuiratus ſui, aut in campis Philippiis, ſi ſic licuiſſet, victoriæ ſuæ facturus fuerit * ad folium volarunt, *&c.*] *Mihi ſic legendum videtur,* quem autem initio Triumuiratus ſui, aut in campis Philippiis, ſi licuiſſet, victoriæ ſuæ facturus fuerit triumphum.

Eod. Nam cum ſe poſt Brundiſinam.] *Exemplum Vetus,* namque.

Eod. Se immiſcuiſſet.] *Idem codex,* ſe miſcuiſſet.

Cap. 87. Proximo anno perſecutus Reginam.] *Vet. exemplar,* Proximo deinde anno, *&c.*

Eod. Antoniumque Alexandriam.] *Ex. Vet.* Alexandream.

Eod. Inlata aſpide, morſu ſane eius, *&c.*] *Vetus ex.* inlata aſpide in morſu ſane eius.

Eod. Trebonius.] *Vet. ex.* Tribonius.

Cap. 88. Nec * minora conſequi potuit, ſed non tam concupiuit.] *Mihi aſteriſcus & lectio marginalis inducenda videntur, cum bene habeat Velleiana lectio, ſi quis propius intueatur.*

Eod. Præmaturam mortem immortalis nominis ſui penſauit memoria.] *Exemplum Vetuſtum ſic habet; Vt potius legendum exiſtimem,* præmatura morte immortalem nominis ſui penſauit memoriam.

Cap. 89. Nedum in operis * ſiquidem iuſti materia.] *Lectioni Velleianæ nihil deeſſe videtur, ſi bene perpendas.*

Cap. 90. Coaleſcentibuſque Reipublicæ membris * & coram aliero.] *Legendum mihi videtur,* membris, & coram altero, *Vt ſubaudiantur,* Reipublicæ membro.

Eod. Vt per quinquennium diiudicari non potuerit.] *Ex. Vet.* poterit.

Cap. 91. Quippe ita ſe mores habent, publica quiſq; ruina, *&c.*] *Mihi ante* publica, *deeſſe videtur,* vt.

Cap. 93. Sane ingenuarum (vt aiunt) virtutum.] *Codex vetuſtus*, ſane vt aiunt, ingenuarum virt.

Cap. 94. Reſpondente Nerone.] *Videtur habere exemplar ſcriptum*, reſpondente ei Nerone.

Eod. Regnum eius Artauasdi dedit.] *Ex. Vet.* Artauzdi.

Cap. 96. Gentes Pannoniorum Dalmatarumque.] *Ex. Vetus habet*, Delmatarumque.

Cap. 99. Ita ſeptem annos Rhodi moratum eſt, vt omnes.] *Vetuſtum exemplar*, moratum, vt omnes qui pro conſulibus.

Cap. 101. Ante aliis prouinciis ad ſedandum obitis.] *Habet ex. Vetus*, adſidendum.

Eod. Sub patre tuo M. Vinici & P. Silio.] *Exemplar Vetuſtum ſic habet; Vt potius legendum exiſtimen* M. Vinicio.

Cap. 102. Deinde reluctatus.] *Exemp. Vetuſtum ſic habet, Vt neſcius an* diu reluctatus, *ſeu potius* de reditu luctatus, *legendum ſit. mihi tamen prior lectio non vſquequaq; displicet.*

Eod. Limyram nominant.] *Ex. Vet. habet* Lymira nominant.

Eod. Maſſilia deceſſiſſet.] *Vet. exemplar* Maſſiliæ.

Cap. 103. Neque enim quærendus erat quem legeret.] *Ex. Vet.* legerat.

Eod. Facere voluerat, atque vehementer repugnãte Nerone, erat inhibitus.] *Ex veſtigiis Vetuſti codicis apparebat pro* atque *ſcriptum* eoque, *ſiue* eo. *nam veſtigia literarum vix poterant videri præ vetuſtate.*

Eod. Ab hinc annis D. CCLIIII.] *Exemplar antiquum tantum habet*, ACC. L. III.

Eod. Id vnum dixiſſe, quam ille omnibus fuerit tum refulſit.] *Mihi ſic legendum videtur*, id vnum dixiſſe iuuat, quam ille omnib. fuerit carus, cum refulſit, *&c.*

Cap. 104. Quo fruitus ſum.] *Exemplar Vetuſtum habet*, fructus.

Cap. 105. Cheruſci gentes & inamninus.] *Exemp. Vet. &* inamminus *hinc legẽdum coniicio*, & inamœnus.

Cap. 106. Fracti Longobardi.] *Ex. Vet.* Langobardi.

Cap. 107. Sub omnem motum noſtrarum nauium.] *Codex calamo exaratus habet*, ſub omnem metumque noſtrarum nauium. *Inter* omnem motumque *quiddam deeſſe videtur.*

Eod. Quam armis tenebamus.] *Idem liber*, tendebamus.

Eod. Data à Cæſare petenti facultas.] *Exemplar Vetus ſolummodo repræſentat*, Data petenti facultas. *Hoc* à Cæſare *hoc loco non reperitur, Vnde Vnde huc emigrauerit.*

Eod. Impetratoque vt manum contingeret.] *Idem liber*, imperatoque.

Cap. 108. Et ex voluntate parentum conſtantem inter ſuos.] *Liber Vetuſtus*, parentium.

Eod. Occupatis igitur (quos prædiximus) locis.] *Codex Vetus*, quis prædix. *& recte quidem. nam* quis, *hoc loco, pro* quibus, *poſitum videtur.*

Cap. 109. Corpus ſuum cuſtodia, tum imperium perpetuis exercitiis, *&c.*] *Exemp. Vetus ſic habet, Vt potius legendum exiſtimem:* Corpus ſuum cuſtoditum, imperium perpetuis exercitiis, *&c.*

Eod. Vt neque bello non laceſſeretur ſupereſſe ſibi vim ac voluntatem reſiſtendi, *&c.*] *Mihi ſic legendum videtur, nec dubito quin recte:* vt neque bello ſi laceſſeretur, ſupereſſe ſibi, *&c.*

Eod. Quem LX. millium peditum, *&c.*] *Ex veſtigiis Vetuſti codicis apparet fuiſſe*, LXX. *eraſo* X *poſteriore.*

Eod. Initium eius finium.] *Exemplar antiquum*, initium cuius finium.

Cap. 110. Cum vniuerſa Pannonia.) *Exemplar idem habet*, tum vniuerſa.

Eod. Pars acerrimis ac peritiſſimis ducibus.] *In eodem codice extat*, parentis acerrimis, *ſicque legendum opinor.*

Eod. Properare in Italiam decreuerat.] *Exẽplar primo*, pars petere Italiam decreuerat.

Eod. Vt ſtabilem illum & fortunatum tantorum bellorum.] *Liber Vetus habet*, & formatum. *forte* firmatum *legendum.*

Cap. 111. Furenteis in euũ viresvniuerſas euaſimus.] *Idem codex*, furenteis eorum vires.

Cap. 112. Dirigentibuſque etiam auſa congredi.] *Habet ex. Vet.* dirigentibus aciem. *lectio igitur marginalis reponatur in ordinem ſuum.*

Eod. Munitione ſe defendit antea pars, *&c.*] *Exemplar Vet. habet*, defendit. At ea pars, *&c. Redigatur ergo lectio marginalis in contextum.*

Eod. Quippe magna Thracum manu vinctus prædictis ducibus Rhomo & Alces Thraciæ rex, *&c.*] *Et hic locus vſque adeo depranatus, meo iudicio, ſic reſtituendus erit, ſuffragante ad hoc nonnihil codice Vetuſto, in quo pro* vinctum, *ſcriptum legitur* iunctum. *Deinde quia Velleius cum* prædictis ducibus, *inquit, non* Rhomum *&* Alcem *intelligi vult, de quibus etiam, ab hinc ſi voluminis ad caput vſque recurras, nihil ſcriptum reperies, ſed quos hic* prædictos duces *appellat*, Cæcina *&* Siluanus *fuere. nunc, quo mihi legendum modo videatur, audi:* & equitatu regio, quippe magna Thracum manu iunctus prædictis ducibus Romanis (*Cæcinæ videlicet & Siluano*) Mœtalces Thraciæ rex in adiutorium eius belli, *&c.*

Eod. Fugata regiorum equeſtris acies.] *Exemp. Vetus habet*, fuga regiorum, *&c.*

Eod. Qui etiam primi ordines cecidere.] *Ex. Vet.* quibus etiam primi ordines cecidere. *ergo obliteretur lectio in margine.*

Cap. 113. Quantum in pace vides. principes, *&c.*] *Exemplar Vetus habet, & Vt mihi quidem videtur, recte:* Accipe nunc Marce Vinici, tantum in bello ducem, quantum in pace vides principem. Iunctis exercitibus, *&c.*

Eod. Regreſſus Siſtiam.] *Vetus liber*, Siſciam.

Cap. 114. Huic vni vacaret animus.] *Idem exemplar*, huic vni genitio vacaret animus. *Puto legendum*, huic vni genti vacaret animus.

Eod. Cuius omnibus copiis Cæſarem Lepidus præfectus eſt.] *Lectionem Velleianam ſic reſtituendam puto*, Cæſare M. Lepidus præfectus eſt.

Cap. 115. Magio Celere vlli flano vſus ſit.] *Ego legendum putauerim*, Vlli flano.

Eod. Pergentis integras immuneſque adhuc, *&c.*] *Habet ex. Vet.* pergentis in integras, *&c. niſi quis mauelit legere*, in integratas immuneſque adhuc clade belli. *cum extet in mſ.* in integritas.

Eod. Quæ ſi propriis geſſiſſet auſpiciis.] *Quamquam exemplar Vetus ſi habeat; tamen non dubito quin, ſi recte legas, ſic legendum ſit*, quaſi propriis, *&c.*

Eod. Dalmatæ.] *Exemplar antiquum ſeruat* Delmatæ. *ſic & mox cap. ſeq. in eodem*, Delmatico, *nec non* Delmatiæ.

Cap. 116. Iulius Poſtumius.] *Idem liber*, Iul. Poſtumus, *& ſtatim pro* At poſthumi, *habet*, Ad Poſtumio.

Eod. Ne nihil optimo ciui, *&c.*] *Codex idem*, ne nihil non optimo ciui, ſimpliciſſimo duci periſſet.

Eod. Quorum virorum mentione, *&c.*] *Opinor legendum*, Horum virorum, *cum habeat exemplar Vetuſtum*, Honorum.

Cap. 118. Et nunc procaces alter alterum iniuria.] *Non conſpicitur in Vet. ex. illud* procaces, *ſed eius loco*, procataes. *hinc lectionem marginalem, Vt veram, in ordinem redigendam puto.*

Eod. Nouitate

Eod. Nouitate incognitæ diſciplinæ miteſceret.] *Scriptum exemplar*, muteſceret.

Eod. Iudicatur: * poſtulabat etiam fata conſiliis.] *Deponatur aſteriſcus, cum nihil deeſſe videatur ſententiæ Velleianæ.*

Eod. Quod accidit & etiam merito accidiſſe videatur.] *Legendum puto*, id etiam.

Eod. Et caſus in culpam tranſeat.] *Ex. Vet.* in culpa.

Eod. Negat itaque ſe credere, ſpemque in ſe beneuolentia ex merito æſtimare profitetur.] *Alias ſic legendum videtur:* Negat itaque ſe credere (*Vt ſiebaudiatur fortunæ*) ſpemque in ſe beneuolentia & merito æſtimare profitetur. *Vel ſic* ſpemque ſe beneuolentia ex merito æſtimare profitetur.

Cap. 119. Qua nulla poſt Craſſi.] *Exemplar Vetuſtum aperte habet*, Caſſi.

Eod. Cum ne pugnandi quidem egregie aut occaſionis.] *Mihi pro* egregie, *legendum videtur* ægre dies, *cum exemplar Vetus habeat*, egrediem.

Eod. Aut occaſionis in quantum voluerant data eſſet immunis.] *Mihi Velleij lectio ſic reſtituenda videtur, Vt pro* inquantum, *legas*, quantum, *pro* immunis *Vero* inimicis. *Sic enim ex veſtigiis veteris libri legendum concieci.*

Eod. Quia Romanis & armis & animis vſi fuiſſent.] *Suſpicor legendum*, qui à Romanis & armis & animis viſi fuiſſent: *Vt hic verbum aliquod deeſſe videatur.*

Eod. Quippe paterni auitique exempli ſucceſſor.] *Codex mſ.* auique.

Eod. At Valnumonius.] *Forte legendum* Valumnius. *tale quippe mihi quiddam, quaſi per tranſennam, legendum videtur.*

Eod. Fuga cum aliis Rhenum petere, *&c.*] *Scriptum exemplar*, fugatum aliis Rh. *Hinc ſic legendum puto*, ſpoliatum equitem, peditem relinquens fugatum, *&c.*

Eod. Rhenum petere ingreſſus eſt.] *Mihi pro* aliis *legendum videtur* ab eis, *ſiue*, ab iis, *Vt ſubaudias* equitibus & peditibus,

Eod. Vari corpus ſemiuſtum, hoſtium lacerauerat feritas.] *Opinor legi debere*, Vari corpus ſemiuſtum hoſtilis lacerauerat feritas, *Vtique cum habeat mſ. tantum* hoſti.

Cap. 120. Præſidia munit, ſe magnitudine ſua.] *Sic legendum videtur (quanquam ex Veteri codice nihil certi coniici queat)* præſidia munit, & ſe magnitudine ſua non fiducia metiens.

Eod. Italiæ minabantur.] *Exemp. Vet.* minabatur.

Eod. Fundit obuios.] *Idem liber habet*, obulos.

Eod. Nec ſegni prouidentia vſi.] *Ex. Vet. habet*, viti. *Mihi, quantum ex literis coniicio*, adiuti *legendum videtur.*

Cap. 121. Ingreſſa animum Imperatoris Tiberij fuit.] *Ex. Vet. ſeruat*, Ingreſſa animam Imp.

Eod. Accenſaſque plebis.] *Ex. Vet.* accenſaque plebis Viennenſium.

Eod. Senatus populuſque Rom. poſtulante patre eius, vt æquum eius in omnibus prouinciis exercitibuſque, *&c.*] *Non dubium eſt quin Velleius hoc loco ſic ſit reſtituendus*, vt æquum ei ius in omnibus prouinciis exercitibuſque eſſet, quas (*Vt ſubaudiatur* prouincias exercituſque) erat ipſe decreto complexus. *Eſſet enim abſurdum eas (ſubaudi prouincias) non eſſe ſub illo quæ ab eo vindicabantur.*

Eod. Quem militi fratique meo.] *Pro* militi, *legendum videtur*, mihi.

Cap. 122. Et ex rege propoſiti.] *Exempl. Vetus habet*, præpoſiti.

Eod. Ocyus proſperrimo rerum euentu.] *Eſt in eod. libro*, totius.

Eod. Triumphum ſummi ducis adornare debuerit.] *Idem*, adornari.

Cap. 123. Ad formanda pace, *&c.*] *Videtur mihi legi debere*, ad firmanda pace, quæ bello ſubegerat, *tametſi exemplar Vetus habet* formanda.

Eod. Pompeio, Apuleioque Cos.] *Pro* Cos. *ſcribatur* Coss. *duplici* ss. *nam ſic ſolet ſcribi* Conſules, Conſul *verò* s *vnico. In codice Vetuſto ſcriptum eſt* Cos *poteſt autem ſcribi* s *accurato vel erecto Vtique libebit. Nec me fugit, quomodo in Veterum codicibus plerique ſcribatur, in quibus* Conſul *ſic cõs*, Conſules *vero ſic CONS. ſcriptum inuenio.*

Cap. 124. Cuius orbis ruinam timueramus eum ne commotum.] *Mihi videtur legendum*, vrbis, *item* eam ne commotam ſenſimus.

Eod. Tandem ratione magis quàm honore victus eſt.] *Idem mſ. codex*, tandem magis ratione.

Cap. 125. Pene in vltimum gladiorum erupit impunitas.] *Exemplar Vetuſtum*, vltimam.

Eod. Ancipitia ſibi tam re quàm exemplo pernicioſa.] *In eodem antiquo eſt*, Ancipitia ſibi timere quam exemplo.

Eod. Ac Hiſpanias exercitumque virtutibus.] *Idem liber*, ad Hiſpanias.

Eod. Celeberrimaque in Illyrico militia prædiximus cum imperio obtineret.] *Non dubito quin vera & germana Velleij lectio ſit ſouerit olim*, celebertimamque in Illyrico militiam, vt prædiximus, cum imperio. *Prædixit autem paulo ſuperius. Nec video cur hic legi debeat*, prædictum, *cum ſi ſic legas, Velleij ſententia bene quadret.*

Cap. 126. Cum inſerta ſint oculis animiſque, *&c.*] *Exemplum Vetuſtum*, cum inſera oculis, *&c. Ego*, cum inſerta oculis animiſque omnium, *legerem.*

Eod. Non appellauit eum, ſed fecit Deum.] *Suſpicor legendum*, non adpellauit Deum, ſed fecit Deum.

Eod. Sepultæ ac ſitu obſitæ.] *Ex. Vet.* ſepultæque ac, *&c.*

Cap. 127. Et complura enumerarentur ſacerdotia.] *Ex. Vet.* enumerentur.

Eod. Semper infra aliorum æſtimationes ſe metientem.] *Idem ſcriptus liber*, ſemperque infra, *&c.*

Eod. Vultu vitaque tranquillum, animo exſomnem.] *Oboritur mihi ſuſpicio ſcriptorem libri Veteris debuiſſe ſcribere*, vultu vitaque tranquillus, animo exſomnis. *Sed legat quiſque quod ſibi optimum videatur. ſat fuerit mihi lectorem admonuiſſe, &c.*

Eod. In huius virtutum æſtimatione.] *Exemplar Vetus*, In huius virtutem, æſtimationem. *Ipſius videat lector, quid ſibi lectu optimum videatur. nam mihi hæc lectio non admodum diſplicet.*

Cap. 128. T. Coruncanum.] *Exemplar Vetus habet*, Ti. Coruncanium.

Eod. Sp. Caruilium.] *Opinor v pro b ſcriptum: nam alias ſolet ſcribi* Sp. Carbilius.

Eod. Populum Romanum eo perduxit.] *Exemplar Vetuſtum*, produxit.

Cap. 129. Conſortiſque eiuſdem imperij formam euocauit.] Formam, *ſurſum in tertium verſum, Vnde incuria librarij decidit, reponatur. nam Vt hic ſupereſt, ſic iſthic deeſt. nec te multum mouerit lectio, quæ paulo inferius in margine poſita eſt: nam ſuperior illa, inferiore hæc inducitur.*

Eod. Reſpondente cultu triumphi rerum quas geſſerat magnitudini.] *Vet. liber habet*, reſpõdentem, *&c. Mihi alias ſic legendum videtur:* reſpondente cultui triumphi, rerum quas geſſerat magnitudine.

Cap. 130. Deinde vt Silium Piſonemque tam alterius dignitatem conſtituit, auxit alterius.] *Mihi videtur deeſſe*, quàm, *ac ſic legendum*; vt Silium Piſonemque

tam alterius dignitatem constituit, quàm auxit alterius.

Eod. Qui vt nepotem ex Druso?] *Exemplar vetustum*, Druso. *hinc mihi legi debere videtur*, ex Druso suo.

Eod. Ad erubescenda. quantis hoc triennium.] *Exempl. vet.* erubescenda est. quantis, &c.

Eod. M. Vinici.] *Ex. vet.* M. Vinicij.

Eod. Dolere, indignari, coactus est.] *Ex. vet.* dolere, indignari, erubescere coactus est.

Cap. 131. Iupiter Capitoline, & autor & stator.] *Ex. vet.* ac stator.

Eod. Quicquid Numinum hanc Romani imperij molem.] *Liber idem*, & quicquid nominum honor omni imperij molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit.

APPENDIX.

Libro I. Cap. 18. Et vt Liuium quoque.] *Alias*, vt & Liuium.

Libro II. Cap. 27. In quam refulgere solent.] *Alias*, solerent.

Cap. 32. Vt Horoscius.] *Alias*, & Horoscius.

Eod. Per multa prælia à multis locis victos.] *Alias*, ac multis.

Cap. 41. Et quemlibet festinantem.] *Alias*, & quamlibet festinantem.

Cap. 116. Celebri etiam opera diligenti, &c.] *Alias* celebris etiam op.

Cap. 118. Iure etiam ciuitatis Romæ ius.] *Alias*, Romanæ.

Cap. 119. Fuga cum aliis Rhenum petere adgressus est.] *Forte* pectore, *pro* petere, *legendum est*.

CLARISSIMO PHILOSOPHO

OCTAVIANO, FERRARIO MEDIOLANENSI, ALDVS MANVTIVS, Paulli. F. Aldi. N. S. P. D.

MITTO ad te, Octauiane doctissime, idemque omnium humanissime, munusculum leuidense, cuiusmodi ab exigua doctrina, tenuique proficiscuntur ingenio. in quo velim spectare homines, non quid tua virtus postulet, sed quid tenuitas mea possit. Maximam ego semper ex Historiæ Romanæ lectione vtilitatem cepisse me fateor, ideoque, vt ei aliquo modo gratiam referrem, quantum in me fuit, elaboraui, vt præcipuos Latinæ linguæ historicos, Sallustium, & Cæsarem, à mendis vindicarem. quod cum, maximo meo labore sim conatus, an assecutus sim, quod adoptabam, aliorum esto iudicium. mea certe cum tibi tuique simillibus, placebunt, satis amplum tulisse me laborum meorum fructum existimabo. Ad VELLEIVM postea, doctorum virorum admonitu, me conuerti: maiorum vigiliarum opus. nam, etsi volumen exiguæ sit magnitudinis, cum tamen veterum librorum omni prorsus ope careamus, ingenio tantum, & aliorum scriptorum testimonio, nitendum fuit. Mendosa plurima erant: sanare non omnia licuit; multa tamen ad nitorem, speciemque pristinam restituimus. nec fortasse inanis indicabitur opella nostra, quæcumque fuerit. quod si cognouero, ad alia fiam alacrior. Hoc vero, quidquid est, tibi προσφωνῶ, qui me Patremque meum sic ames, vt omni officiorum genere complectaris, quem ego vt alterum parentem æque colo, ac diligo, quem Pater meus in ore, atque in amore semper habet, quem boni, doctique omnes, & recte de vera virtute iudicantes, obseruant, extollunt, &, quantum licet, imitari cupiunt. Vale. Venetijs, Idibus Februar. ∞. D. LXX.

IN C. VELLEII LIBRVM PRIMVM ALDI MANVTII SCHOLIA.

EXPLICATOR *veteris historiæ luculentus, & pressus, & efficax in primis fuit hic, quocumque vel prænomine, vel nomine appelletur, non dubio tamen cognomine* Paterculus. *Nam Priscianus lib. 6.* M. Velleium *nominat. Tacitus autem lib.* 3. P. Vellæi *mentionem facit. Ipse s.* C. Velleium *appellat. vt nescias* Marcus, *an* Publius, *an* Caius, *ei prænomen fuerit. Quod ad nomen attinet, Velleia gens nusquam, quod sciam, nominatur. Tacitus, vt ostendit,* Vellæum *agnoscit: itemque antiquus lapis, cuius verba subscribam.*

Canusij.

C. VELLÆVS. C. LIB. VRSIO. AVG
SIBI. ET. TVTORINÆ. FILIÆ
TREBELLIÆ. FELICVLÆ. VXSORI
TREBELLIÆ. ARESCVSÆ
ET. TREBELLIA. FELICVLA. SIBI ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. MEIS
C. IN. CVLTV. MONVMENTVM. CVM
P. XV ET. ITER

Beatus Rhenanus hunc esse putat, quem Tacitus P. Vellæum *vocat. De quo mihi non constat. Nec rationes afferuntur ab eo, cur persuadeat. Priscianus quidem hunc ipsum designat. affert enim testimonium ex libro primo eius historiæ, quæ scilicet pars desideratur. Id huiusmodi est:* Nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius Cimon.

Cap. 1. Philippus Ephyram in Tesprotia.] *Enumerat, ex Græcis ducibus ad bellum Troianum profectis quam quisque vrbem euerso Ilio, condiderit. horum in numero neque ab Homero, neque à Darete Phrygio, Philippus nominatur. itaque facile crediderim,* Phidippus, *esse reponendum, de quo sic Homerus ἐν τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ·*

Τῶν δ' αὖ Φείδιππός τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην,
Θεσσαλοῦ υἷε δύω Ἡρακλείδαο ἄνακτος.

Eod. Agamemnon, tempestate in Cretam insulam reiectus, tres ibi vrbes statuit, à patriæ nomine vnam, à victoriæ memoria, Mycenas, Tegeam, Pergamum.] *Aliquid deesse constat, nam Mycenæ ab Agamemnonis patria, Pergamum ab vrbe Troia nomen accepit: de Tegea nihil additum esse miror. vt omittam, quod Tegeam non ab*

Agamemnone, sed ab eius præcone Talthybio, in Cretam extructam, Stephanus docet in libro de Vrbibus.

Eod. Pactæ eius.] *Vsitatior loquendi modus*, Pactæ ei.

Cap. 3. Paullo ante Haletes, sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, in Isthmo condidit.] *Id confirmat Pindari scholiastes in Isthmiis: vnde & Ἀλητίδαι, inquit, vocantur Corinthij. quo nomine vsus est & Callimachus in sequentibus versibus, qui leguntur apud Plutarchum in V. Symposiacῶν,*

Καί μιν Ἀλητίδαι πουλὺ γεραίτερον
Νῦν δέ, πάρ' Αἰγαίωνι θεῷ τελέοντες ἀγῶνα,
Θήσουσιν νίκης σύμβολον Ἰσθμιάδος,
Ζήλῳ τῷ Νεμέηθε, πίτυν δ' ἀποτιμήσουσιν,
Ἣ πρὶν ἀγωνιστὰς ἔστεφε τοὺς Ἐφύρη.

Cap. 5. Quo nomine, non est mirandum, quod sæpe illud vsurpat.] *Homeri locus hic est,* Ιλ. ε, *pag.* 53. & Ιλ. μ, *pag.* 136. & Ιλ. υ, *pag.* 224. οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. *Quod acceptum referre debemus doctissimo, summæque industriæ viro, Fuluio Vrsino.*

Cap. 6. Pharnaces Medus.] Arbaces *à Iustino nominatur, lib.* 1.

Eod. Disciplinæ conuenientissimæ.] Continentissimæ, *postulat vsus Latini sermonis.*

Eod. Ante annos V. & LX.] *Dissentit à Liuio, & aliis, qui, Carthaginem esse conditam ante Æneæ aduentum in Italiam, tradiderunt: idque, opinor, verius. quos Virgilius quoque secutus est.*

Eod. A quo magnus Alexander cum fuerit septimus decimus.] Decimum *numerat Iustinus, non, vt hic,* septimum decimum.

Eod. Æmilius Sura de annis populi Rom.] *Hoc totum, vsque ad illud,* Inter hoc tempus, & initium Nini, &c. *tollendum esse putat Petrus Delbenius, acerrimi iudicij, summæque doctrinæ adolescens. Putat autem additum esse ex glossemate alicuius studiosi, qui ad illud,* Qui princeps rer. potitus, *in margine annotarit, Æmilium Suram eodem loquendi genere vsum esse nam in eius verbis hæc leguntur:* Assyrij, principes omnium gentium, rer. potiti sunt.

Cap. 7. Circa CXX. annos distinctus ab Homeri ætate.] *Cicero de Senectute, Homerum multis sæculis fuisse ante Hesiodum significat. Dio tamen Chrysostomus in secunda oratione de Regno æquales facit. Gellius neutrum affirmat, sed potius in dubium vocat, lib. 3. cap.* 11. *Et lib.* 17. *cap.* 21. De Homero, *inquit,* & Hesiodo, inter omnes fere scriptores constitit, ætatem eos egisse vel iisdem fere temporibus vel Homerum aliquanto antiquiorem. *Plutarc. in* Παραλλ. *perspicue posteriorem Homero Hesiodum facit.* Ὁ δέ, *inquit, de Homero iam locutus,* μετὰ τοῦτον καὶ τῇ δόξῃ καὶ τῷ χρόνῳ Ἡσίοδος· *Vide & Tzetzen in Lycophronis Cassandram.*

Eod. Quamquam, iam Asylo facto inter duos lucos, auxit.] *Planius, commodiusque, si legatur,* Quam, iam Asylo facto inter duos lucos, auxit.

Cap. 8. L. Æmilium Paullum, qui & prætor, & cõsul triumphauerat.] *Ex Liuio, Plutarcho, Frontino, semel, ante bellum Macedonicum, triumphasse Paullum constat, de Liguribus cum aduersus eos in consulatu profectus esset. itaque puto legendum,* Qui & priore consulatu triumphauerat, *non quod consul triumphasset. sed quod ex ea prouincia, in quam consul ierat, triumphum duxit anno sequenti. Eodem modo locutus est is, qui scripsit De viris illustribus,* L. Paullum priore consulatu de Liguribus triumphasse. *In quo videtur Plutarchum secutus, Quod si Liuium sequi malumus, legendum erit,* Qui & proconsul triumphauerat.

Cap. 9. Bis millies centies H-S. ærario contulerit.] *Si ad vsum nostratis pecuniæ ratio subducatur, erunt sexagies ter centena scutatorum millia. aliter Antias apud Liuium lib.* 45. *Plutarchus totam summam non definit. Plinius lib.* 33. *cap.* 3. *non carere mendo videtur, cum ait:* Intulit & Paullus Æmilius, Perseo, rege Macedonico, deuicto prædam pondo trium millium: à quo tempore populus R. tributum pẽdere desiit. *Nam,* Põdo trium millium, *longe distat à* Bis millies centies H-S. *Cicero de officiis, opinor, lib.* 11. *prædæ magnitudinem significat, modum non exprimit.*

Cap. 10. Cum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympicũ inchoauit, tum regem Syriæ Ptolemeum puerum Alexandriæ obsideret.] *Rex Ægypti fuit Ptolemeus, Syriæ autem Antiochus: quod historiæ significant. Itaque* rex, *non,* regem, *omnino legendum. quod Liuij indicat epitome lib.* 45. *Ptolemæus autem hic est, cui Philometori cognomen fuit. Et* C. Popillium, *qui virgula Antiochum circumscripserit, non* Marcum, *Liuius nominat.*

Eod. Alterum ex iis.] *Legerem,* duobus, *ita postulante sententia.* (*vt* iis *per incuriam librarij positum fuerit, pro numerali nota* 11. *Sylburg.*)

Cap. 12. Cum pars magna, eiusdem Metelli Macedonici virtute, armisque, tracta erat.] *Repone,* cuius, *pro* cum, fracta, *pro* tracta. *sententiam, vt puto, restitues egregie, mutatione parua.*

Eod. Ac sensit.] *Lege,* Aut sensit.

Cap. 14. Censorino, M. Manlio Cos.] *M. Manilio ex Fastis Capitolinis, & vniuersa historia (ita & Sigon.)*

Eod. Omnisque doctrinæ & auctor, & admirator fuit.] *Hic ego nihil mutarem: est enim* auctor, *quasi caussa, quia primus ipse & pauci præterea doctrinas in vrbem Romam induxerunt. Propterea dixit Cic. in 1. Tusc.* Galbam, Africanum, Lælium, doctos fuisse memoriæ traditum est, studiosum autem eum, qui hos ætate anteibat, Catonem.

Cap. 14. Sutrium deducta colonia.] Satrium *Liuius, Pliniusque nominant: Silius tamen* Sutrium *agnoscit, lib.* 8.

— Sabatia quique
Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta.

In antiqua quoque inscriptione Sutria colonia *nominatur. Eius exemplum vide in* ORTHOGRAPHIA, *in Apulia* 3. *Dissentit à Liuio, & aliis, Velleius in annorum ratione: siquis tempora distinguit ordine consulum, qui à Velleio nominantur.*

Eod. Setina.] *Lege,* Setia.

Eod. Postque XXII. annos.] *Lege, XVII.*

Cap. 15. Cui in demoliendo eximia ciuitatis seueritas, & consul Cæpio restitere.] In demoliendo, *dixit, pro,* vt demoliretur. *Vel lege,* moliendo, *vt sit:* Molienti theatrum Cassio consul Scipio, ciuitatisque summa seueritas restitit. *historia patet ex Valerio, Appiano, Epitome Liuiana, Augustino de ciuitate Dei, Orosio. Quod tamen* Scipioni consuli (*sic enim legendum puto, non* Cæpioni) *Velleius, & Appianus tribuunt, id ex Epitome, & Fastis Capitolinis, post consulatum esse factum, plane constat.*

Eod. Sallues.] *Gryphij liber,* Sallyes, *nos* Salyes, *è Strabone lib.* 4. *& Obsequente. Plinius tamen lib.* 3. *cap.* 4. Salyos *nominat, Florus, & epitome Liuiana* Saluios.

Eod. Post tres & viginti annos.] *Lege, XIIX.*

Eod. Ac nouam comicam.] *Lege,* at.

Cap. 16. Nequiuerint.] *Lege,* nequiuerit (*posse retineri pluralem notauit Sylburg.*)

Cap. 18. Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentiæ, quam vniuersa Græcia, operibusque floruit.] *Si legas,* eloquentia, *hoc totum minima mutatione restitues.*

IN LIBRVM II.

CAP. 1. Hæc vrbs numquam X. plura, quam propriæ iuuentutis, armauit.] *Legendum,* Hæc vrbs numquam plura, quam X. millia, propriæ iuuentutis armauit.

Cap. 3. Pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri, P. Africani patruus.] *Manifestum mendum. nam, si est pronepos Cn. Scipionis, qui cum Publio fratre, Africani maioris patre, Hasdrubalu insidiis in Hispania oppressus, interiit, non video, qui possit esse patruus P. Africani minoris: qui cum ab Africani maioris filio fuerit adoptatus, ita pronepos fuit P. Scipionis, quem in Hispania cæsum diximus, vt hic Nasica eius Cn. Scipionis, qui cum fratre suo Publio occisus est. Puto igitur legendum:* P. Africani patrui, is priuatus, & togatus, &c. *Vt intelligatur de Africano superiore: cuius patruus fuit Cn. Scipio, hic, qui à Velleio vir celeberrimus appellatur, abauus huius Scipionis, quo auctore Ti. Gracchus est interfectus. Nam, quod ad loquendi genus attinet quod, cum dixisset Velleius,* P. Scipio Nasica, *aliquot verbis interpositis, de eodem intulerit,* Is priuatus: *vsitatum est non Velleio tantum, verum etiam Ciceroni. Velleius quidem paucis post versibus,* Aristonicus, *inquit,* qui mortuo rege Attalo, à quo Asia populo R. hereditate relicta erat, sic vti relicta postea est à Nicomede Bythinia, mentitus regiæ stirpis originem, armis eam occupauerat, is victus à M. Perperna. *Ciceronis autem tale illud est ep. 28. lib. 13.* illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo. in meque recipio. *Et in 1. Tusculana:* Illud, quod non modo facile credendum est, sed, eo concesso, quod volunt, consequens, id certe non dant, vt, cum animus diu permanserit, ne intereat.

Eod. Ob eas virtutes primus omnium absens pontifex max. factus est, cum data læuo brachio togæ lacinia, &c.] *Vt hæc tota verborum comprehensio apte congruat, legendum existimo:* ob quas virtutes. *Quod scilicet talis esset, ea mente erga patriam praditus, quam antea quoque multis in rebus testificatus, propterea pontificatum absens, quasi suæ præmium integritatis, accepisset. Quod autem sequitur,* cum data læuo brachio togæ lacinia, *mendo non vacat. ne difficilis correctio videtur, ipsa enim sententia,* circumdata, *reponendum ostendit. Quod Valerij, lib. 3. cap. 2. hanc historiam recitantis, confirmat auctoritas.*

Cap. 4. Sed M'Aquilio.] Sed à M'Aquillio. *legendum è Strabone lib. 14. Val. Max. & Iustino lib. 37.*

Eod. Abhinc annos CL.] *CLIIX. reponendum.*

Cap. 5. A. Bruti.] *Is est, qui de Gallacis, & Lusitanis ex Vlteriore Hispania triumphauit,* Decimus, *non* Aulus, *à Ciceronе, & alijs nominatus. Vt vel mendum sit hic in prænomine, vel, adoptatus ab A. Postumio Albino, prænomen adoptantis, ex veteri consuetudine, sumpserit. quod nummus indicat argenteus patricij Veneti nobilissimi, Andreæ Laurentani, sic inscriptus: A. POSTVMIVS. ALBINVS. COS. BRVTI. F.*

Cap. 7. Haruspex Fuscus.] *Herennius Siculus. Sed aliter Valerius lib. 9. cap. 12.*

Eod. Pontem lapideum.] *Legendum,* postem lap.

Eod. Rutilium.] Rupilium, *repone.*

Eod. Celeberrimum Opimiani vici nomen.] Vini, *pro* vici, *reposui. quam mihi coniecturam attulit antiquitatis obseruatio. nam Cicero in Bruto,* Si quis, *inquit,* Falerno vino delectetur, sed eo nec ita nouo, vt proximis consulibus natũ velit, nec rursus ita vetere, vt Opimium, aut Anicium consulem quærat. *Accedit Plinij testimonium, his verbis, lib. 14. cap. 4.* L. Opimio consule ea cæli temperies fuit, quam coctura vocant, solis opere, natali vrbis DCXXXIII. durantque adhuc vina ducentis fere annis, iam in speciem redacta mellis asperi: (etenim hæc natura vinis in vetustate est) nec potari per se queunt, si non peruincat aqua, vsque in amaritudinem carie indomita. *Et eodem libro, cap.* 14. Apothecas fuisse, & diffundi vina solita anno MCXXXIII. vrbis, apparet indubitato Opimiani vini argumento, iam intelligente suum bonum Italia, nondum tamen ista genera in claritate erant. itaque omnia, tunc genita, vnum habent consulis nomen. *Vide & Plutarchum in C. Graccho.*

Eod. Anni CLI.] *Lege, CL.*

Cap. 8. Cos. Cato consularis.] *Gryphij liber,* M. Cato cons. C. Cato cons. *ex Ciceronis in Verrem actionis 5. lib. 4. & ex Bruto. Gessit consulatum cum M. Acilio Balbo anno V. DCXXXIX.*

Eod. M. Metelli fratres vno die triumphauerunt.] *Fœdum mendum sententiam contaminauit, qui enim antiquas notas, 11. quibus,* duo, *significatur, ignorarunt,* M. *reposuere. Duos porro Metellos fratres simul triumphasse, Marcum de Sardis post annum, quam consul fuerat, Caium, cui Caprario cognomen fuit, ex Thracia in consulatu, testatur Eutropius, his verbis:* C. Cæcilio Metello, & Cn. Carbone cos. duo Metelli fratres triumpharunt, alter ex Sardinia, alter ex Thracia.

Eod. Adoptiuus in Acidiani Manlij familiam datus.] Acidini, *legendum videt, quicumque sit paullo humanior. Quod etiam Fasti Capitolini declarant, anno V. DLXXII.*

Eod. Quod solis contigerat Scipionibus.] *An, vt fratres germani duo Scipiones censuram simul gererent, quod proxima videntur indicare superiora verba? nulla mentio, nullum omnino vestigium in historijs. Quid igitur? hoc fortasse. Cum Velleius colligat fratres eundem simul honorem assecutos, fieri potest, vt, quemadmodum de triumphantibus Metellis consulibus Q. Fuluij filiis, censoribus rursus. Metellis, postremo narrationem suam concludat exemplo duorum fratrum germanorum qui ædilitatem eodem anno administrarint. hi fuere, P. Scipio, qui postea Hannibalem deuicit, & Lucius eius frater. quod Polybius initio lib. 10. plane declarat. Hoc notandum putaui falsa quorundam admonitus coniectura, qui,* Cæpionibus, *legendum existimant, quorum fratrum alter ante Metellos, alter post, censurans gessit: cum Velleius eos commemoret, qui eodem anno simul honorem eundem adepti sunt.*

Cap. 9. Namque Mucius.] *Erratum hoc: illud recte,* Nam Q. Mucius.

Cap. 10. Abhinc annos CLVII.] *Lege, CLIV.*

Eod. Lepidum Ælium.] *Cui dubium est,* Æmiliæ gentis, *non* Æliæ *cognomen lepidum fuisse? Magna hæc olim videbatur: nunc, illustrata Romanarum rerum scientia, pæne contemnuntur. sic vita fert, noua placent, & expetuntur, communicata flocci fiunt.*

Eod. Vti ante hunc, nobilissimæ simplicitatis iuuenem, Cn. Domitium, fuere, singulis omnino parentibus geniti.] *Sæpe loco locus explanatur, aut emendatur: Vt hic, pro* vti, VII, *legendum esse. si quis Tranquilli verba in Nerone de Domitijs animaduertat, facile coniiciet. sunt autem hæc:* Functi consulatibus VII, triumpho censuraque duplici, & inter patricios allecti.

Cap. 11. Et meritum, virtutique cognomen Numidici inditum,] *Inducta copula* que, *sententiam patefacit.*

Cap. 12. Abhinc annos CXXXIIX.] *Lege, CXXXIV.*

Eod. Manliumque consulem.] Manilium, *repono, ex Cassiodoro, & obsequente.*

Eod. Scaurumq; Aurelium Cos.] *Legatum fuisse, cum captus & occisus est, M. Scaurum, ostendit epitome Liuiana. Itaq, legẽdum puto, cõsularem. triennio enim ante cõsulatum gesserunt, anno V. DCXLV. Et Orosius,* In ea, *inquit,* pugna M. Aurelius consularis captus, atque interfectus est.

Cap. 15. Abhinc annos CXX.] *Lege, CXIX.*

Eod. Cum id malum in vniuersa Italia ab Asculanis esset, &c.] *Hoc totum si restitueretur hoc modo, planum esset:* Vniuersa Italia, cum id malum ab Asculanis ortum esset. *Vt illud,* vniuersa Italia, *ad illud referatur, quod pone sequitur,* arma aduersus Romanos cepit. *Quod alioqui, vnde pendeat, non habet, nec potest ipsum per se consistere. Hanc opinor Velleio mentem fuisse: in verbis fortasse nonnihil potuit à nostra coniectura dissentire. nec mihi,*

à veteribus libris destituto, affirmare quidquam licet. tantum, quid sentiam, ostendo, studio, & propensione quadam animi ad litteras adiuuandas.

Eod. Seruium prætorem.] *Lege,* Seruilium.

Eod. Duplici numero.] *Petrus Delbenius legendum putat,* duplici munere.

Eod. Expulsum ciuitate L. Saturnino tribuno pl.] *Lege,* expulsum ciuitate à L. Sat. tr. pl.

Eod. Auctoritate senatus, consensu reip. restituit patrem.] *Nemo, vel mediocriter in Romanis rebus versatus, non intelligit,* consensu populi Romani, *legendum esse. Natus error ex litterarum similitudine, vt alibi quoque. nam* Resp. *sic,* R. P. *Populus autem Romanus,* P. R. *scribebatur. quod iam pueris quoque notum est.*

Cap. 16. Insteius Cato.] Vettium *nominat Cicero Phil. 12. & alij.*

Cap. 19. Circa paludem Maricæ.] *Fortasse nomen siluæ prope Minturnas. nam Meningem postea se contulit. Vt ex Plutarcho liquet.*

Cap. 21. Spes maior affuisset potentiæ.] *Libentius legerem,* affulsisset.

Cap. 22. Excellentissimi quique eminentissimæ ciuitatis viri.] *Alias,* Excelsissimi quoque, atq; eminentissimæ ciuitatis viri. *Putarem legendum,* Excelsissimi quique, atque eminentissimi ciuitatis viri.

Cap. 23. Quadrantem solui iusserat.] *Vt usura annua quadrante solueretur. erat autem quadrans centesimæ tres ternos igitur nummos ex centenis pendi, usuræ nomine, Flaccus voluit.*

Cap. 24. P. Lænas.] *Puto,* Popillius Lænas.

Cap. 25. Scipionem Norbanumque consules.] *Lege* Cæpionem, Norb. q. c.

Eod. Propinquanti mox bello facem.] *Editio Basileensis.* pro quanti mox belli facem? *Quod volui testatum relinquere. cum ferri tamen possit vetus lectio.*

Eod. Gratus Dianæ, cuius nummi regio illa sacrata est, soluit, aquas salubritate in medendis que corporibus nobiles vt potius agros omnes adduxit deæ, huius gratæ religionis memoria, & inscriptio, templi affixa posti, hodieq; testatur ærea crabula.] *Tantum abest, vt doleam, alios in hoc loco emẽdando feliciter laborasse, vt etiam summopere lætet, meam cõiecturam aliorum cõiectura comprobari. Sic igitur legendum putat Claudius Puteanus doctrina, ingenio, modestia vero, probitateque in primis excellẽs:* Grates Dianæ, c. n. r. i. s. e, s, a. s. m. q. c. n. agr. o. a. Deq. h. g. r. m, & i, t. a. p. h. q. & tabula test. ærea intra eadem. *Ego autem illud amplius: nam ex illis verbis,* vt potius, *quæ à Puteano omissa sunt, legebam,* in propinquos.

Cap. 26. Damasippus prætor Domitium Scæuolam etiam pontificem maximum, &c.] *Addenda distinctionis nota post verbum,* Domitium. *occidit enim Damasippus, vt historiæ testantur, L. Domitium, Q. Mucium Scaulam, & alios. Posset etiam legi:* D. pr. Q. Mucium Sc. & pont. max. *Verum distinctio, cum nihil mutet, magis etiam placet.*

Cap. 27. Abhinc annos XL.] *Alias, XI. Repone, CXI. Quod Fasti consulares docent.*

Eod. Magnifici prœliis.] Magnis, *magis placet.*

Cap. 28. In ea iugulati ciuis reip. constitueretur auctoramentum.] *Idem Puteanus legit:* In ea iugulati ciuis Reipublicæ constitueretur auctoramentum. *Sic supra lib. 1. cap. 6. ait de re non dissimili:* Quod capitis non dicam Gracchi, sed ciuis R. pretium se daturum, idque auro repensurum proposuit.

Cap. 29. Sed ex dignitate cõstantiaque in illam conu. ampl. &c.] *Omissum verbum sententiam perturbat. Legendum autem:* Sed ex dignitate constantiaque quæ in illam conu. amp. *Alij:* Sed ex dignitate constanti, quæ in illam conu. ampl.

Eod. Pæne omnium votorum expers.] *Velleium scripsisse,* pæne omnium vitiorum expers, *facile mihi persuadeo.*

Eod. Sertorium inter cænam Etoscæ interemit.] *Potuit esse loci nomen,* Etoscæ, *à librarijs postea corruptum, potuit &* escas: *id quod sententia non respuit: potuit etiam aliter. quod vt assequi coniectura felicitatis est, sic affirmare sine veterum librorum, aut historiæ testimonio, temeritatis. Mihi, loci nomen fuisse, probabilis videtur. Et, quoniam in emendando litterarum maxime similitudinem sequi oportet, placeret,* Oscæ. *quæ fuit vrbs Hispaniæ, inter eas, quarum ope Sertorius vsus est.* In fidem Romanam, *ait Florus,* venere vrbes, Osca, Terme, Tutia, Valentia, Auxima. *M eminit etiam Plinius, lib. III. cap. 3. & Ptolemæus lib. II. c. 6.*

Cap. 30. LXIV. fugitiui.] *LXXIV. in epitome Liuiana.*

Cap. 31. Per omnia maiore vi habebatur.] *Legendum puto:* Per omnia maior euehebatur. *Aut:* Pæne homine maior habebatur. *Idem enim Velleius, infra, cap. 35. de M. Catone similiter locutus:* per omnia ingenio diis, quàm hominibus, propior. *Et cap. 40. de Pompeio:* Per omnia fortunam hominis egressus. *Et cap. 130. de Tiberij matre:* Per omnia ingenio deis, quàm hominibus, similior femina. *Salustius quoque, in Iugurtha; de Mario:* Numidæ magis, quam mortalem, timere.

Cap. 32. Peridem tempus Cotta.] *Immo biennio ante Pompeio & Crasso cos. quod actiones in Verrem, aliaque testantur exempla. Itaque cogor hic, nisi vitiosi libri sunt, Velleij diligentiam requirere.*

Eod. Inter vtrumque ordinem.] *Dissentit à Pediano, & alijs: qui inter tres ordines à Cotta communicata iudicia tradunt.*

Eod. Horoscius lege sua equitibus in theatro loca, restituit.] *Legem Roscium theatralem quis iam, qui modo historiam quamuis leuiter attigerit, ignorat? testis Cicero, Pedianus, Plinius, alij. Vt, monere lectorem de reponendo* L. Roscij *nomine, extruso* Horoscio *putidum pæne videtur. Id etiam adulterinum puto,* loca restituit: *quasi eadem equites ante ea habuissent. quod falsum est. primus enim Roscius hoc sua lege induxit. Itaque vel* constituit. *vel,* distribuit, *rectius opinor. Nec displicet, quod Puteanus pro* Horoscius Otho Roscius *reponit. familiare enim est Velleio, cognomina præponere nomini gentilicio, Vt,* Mæcianus Hostilius, Carbo Papirius, Lepidus Æmilius, Scaurus Æmilius, Saturninus Appuleius, Ofella Lucretius, Marcellus Claudius.

Cap. 33. Pecuniæ expellebatur cupidine.] *Scripsit aliter Velleius: quod facile possum affirmare, quid autem scripserit, vix possum. Placuit aliquando* explebatur: *ob similitudinem litterarum: nunc video, cum pecuniæ cupidine, quæ in Lucullo nimia significatur, satis non congruere. Vitium enim auaritiæ perspicue notat in Lucullo Velleius.*

Eod. Quod arguebatur.] *Si diligenter attendatur, patebit,* arguebat, *esse rectius. Alij:* Quo arguebatur.

Eod. Conuictibusque.] *Planius esset,* Conuiuiisque.

Cap. 34. Vsura gloriæ.] *Ita reposui, cum antea legeretur:* vsuræ gloria.

Eod. Eripuit.] *Forsitan ita scripsit Velleius: Vt sit,* Eripuit è rep. *Sed aptius videbatur, & vsitatius,* exstinxit, aut oppressit. *Quod attingendum putaui, ne quis me gloriæ caussa putet insignia tantum persequi, humiliora contemnere. Alij:* aperuit.

Cap. 36. At Catilina non segnitiis nota obiit, quam sceleris conandi consilia inierant.] *Ego,* mortem obiit: *vel,* vita abiit. *Sed,* obire mortem, *Velleio familiarius. Sic enim locutus est supra, multis locis.*

Eod. Abhinc annos LXXXII.] *Lege, XCII.*

Eod. Ciceronem, Hortenſium, ſaneque Craſſum, Catonem, Sulpicium.] *Tres de Oratore Ciceronis libri, magis etiam is, qui, Brutus, inſcriptus eſt, quantum eloquentia laude floruerint Antonius, & Craſſus, deinde Cotta & Sulpicius, plane demonſtrant. Itaque Velleium puto tria oratorum paria coniunctè poſuiſſe, primo loco, Ciceronem, Hortenſium ſecundo, Antonium Craſſum, tertio, Cottam, Sulpicium. Locus igitur emendandus.*

Eod. Et conſecutus Salluſtium Liuius.] *Opinor, hæc verba è ſuo loco in alienum detruſa. Cur enim poetis admiſceatur hiſtoriarum ſcriptor Liuius? Quod ſi illud, paullo ante dictum, æmulumque Thucydidis Salluſtium, ponantur, ſuam ſedem obtinebunt. Quo in loco requirit antecedentium verborum ordo, vt legatur.* Et conſecutum Salluſtium Liuium: *vel*, Et, qui conſecutus Salluſtium, Liuius. *Cum enim nec vnum oratorem, nec vnum poetam, ſed multos ſimul Velleius nominet, de vno Salluſtio hiſtorico mentionem ab eo factam eſſe, verisimile non videtur. Quod ſi quis cum Salluſtio in hiſtoria Romana laude coniungendus, quem Liuio anteponamus, aut etiam conferamus, prorſus non habemus. Ipſe etiam Velleius in extrema parte libri primi perhonorifice eum appellauit.*

Eod. Et Naſo, perfectiſſime in forma operis ſui.] *Corruptum hoc videtur. Sincerum fortaſſe illud:* perfectiſſimæ metamorphoſis. *Quo maxime in opere Naſonis enituit ingenium. Quod ſi licentiæ nimium in corrigendo aſſumimus, ne quis adſcribat temeritati, opinantes enim ſcribimus, non affirmantes: & hæc, quæ ſcribimus coniectura ducti, tamquam dubia iudicari, non vt explorata, ac certa laudari, volumus.*

Cap. 37. Triganemque ſocerum petit.] *Librarij erratum, non Velleij, quis enim neſcit, Mithridatis generum, non ſocerum, Tigranem fuiſſe?*

Eod. Cuius ſe ſocietati commiſſurus foret.] *Proprietas Latinæ linguæ magis exigit*, committere ſe poteſtati, *quàm* ſocietati: *idque comprobant hoc in loco, quæ ſupra proximè, quæque infra dicuntur: alij* cuius ſe fidei c.ſ.

Cap. 38. Notauimus facilius, vt quæ partibus ſimul vniuerſa conſpici poſſint.] *Diſtinguendum, & legendum puto ſic:* Notauimus, facilius vt è partibus ſimul vniuerſa conſpici poſſint. *& ſi vereor, ne quid deſit, quod cum verbo*, notauimus, *coniungatur, ſolum enim male conſiſtit. Alij,* Vt quæ facilius, quam partibus, ſimul vniuerſa conſpici poſſint.

Cap. 39. Gallias primum Domitio Fabio nepote Paulli, &c.] *Lege*, Gallias primum à Domitio, & Fabio nepote P.

Eod. Ignauum conferunt ſtipendium.] *Non diſplicet*, In æratium conferunt ſtipendium.

Eod. Ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit, viſa viciſſet poſt bellum Antiochinum Vulſo Manlius Gallogræciam.] *Mendoſa omnia. Ego totum hunc locum ita legerem, ex Epitome Liuij lib.* 93. Ex eodem tractu Ciliciam perdomuit Iſauricus, & poſt bellum Antiochinum Vulſo Manlius Gallogræciam. *Vel.* Ex eodem tractu P. Seruilius Ciliciam perdomuit: cum deſciuiſſet poſt bellum Antiochinum, Vulſo Manlius Gallogræciam.

Ca. 40. Cuius reditum fauorabilem opinio fecerat.] Reditum formidabilem, *quæ proxime ſequuntur verba legendum ſignificant.*

Eod. Præterquam à Paullo.] *Recte. male alij:* præterquam Capitolio.

Cap. 42. Cum idem enim Aſiam eam quam obtinebat.] *Ego quid hic plane ſcripſerit Velleius, aſſequi coniectura non facile poſſum: ſententia vero, non dubito, quin hæc fuerit:* Is enim Aſiam prouinciam obtinebat. *Alij:* Is enim Aſiam tum obtinebat.

Cap. 44. Ius ab his reſtitutum.] *Puteanus legendum putat*, Ius ciu. his reſtitutum. *Vt errori cauſſam dederit ſimilitudo ſcripturæ*, ci, *&* a; *&* migratio ℔ b, *in* v: *quo mendo nullum eſt frequentius in ſcriptis libris. Quod obſeruatum à nobis eſt in Scholiis ad Cæſarem.*

Cap. 45. Qui ciuem R. damnatum interemiſſet.] *M. Ciceronem præcipue lex Clodia notabat, qui coniuratos indicta cauſſa necauerat, quod cum omnes hiſtoriæ, tum ipſe Cicero in epiſtolis & orationibus commemorat. Itaque, reponendum*, indemnatum, *pro*, damnatum *omnes; opinor, aut videnda, aut ſi à videntibus doceantur, probabunt.*

Eod. Inter xx. viros diuidendo agro Campano.] *At Cicerone epiſt. 2. lib. 9. ad Att.* xx. viri, *vt hic, nominantur. item epiſt. 6. lib. 2. ad eundem: cum quo conſentit Dio lib.* 38. *Contra, de V viris, de prouinciis cons. & epiſt. 7: lib. 2. ad Att. Et in oratione in Piſonem, cum dixit*, Eorum honorum, quos cum proximis communicauit, me ſocium eſſe voluit: *videtur ſignificare* quinque *potius, quam* viginti viros. *quid enim honoris Pompeius, & Piſo conſulares, ac Cicero ipſe conſecutus eſſet, accepto inter viginti viros loco? Hæc igitur manifeſte inter ſe pugnantia, difficultatis afferunt plurimum in diuiudicanda veritate. Quamobrem relinquo, quod ij, qui iudicio, ingenioque præſtant, accuratius conſiderẽt: quibus aliquid afferentibus, quo videamur in alterutram partem impelli, libenter aſſentiemur.*

Eod. Intra biennium.] *Exilij menſe. Plutarchus.*

Eod. Sera Cn. Pompeij cura, verum & cupito interitu.] *Corruptum opinor*, & cupito interitu. *Probarem ſi ſcripti libri conſentient*, excupito reditu.

Eod. Quæſtor.] *Libentius legerem*, Quæſitor. *Cato enim multo antea quæſtor fuerat.*

Eod. Cuius integritatem laudari, nefas eſt.] *Hoc in Catonem conferri, credibile non eſt, cuius per omnem vitam laudata à bonis omnibus integritas. Addendum igitur puto*, non: *vt ſit* non laudari, nefas eſt.

Eod. Is egreſſus eſt.] *Lego*, Iis egreſſus eſt.

Cap. 48. Accepto centies H-S.] *Exiguum corrupti Curionis pretium, immani ære alieno oppreſſi. nam Centies H-S, ſcutatorum modo ſunt trecentæ millia.* Trecenties *igitur pro* centies *omnino legendum exiſtimo, adductus in hanc opinionem Appiani teſtimonio, quilib. 1. de Bel. ci. Paullum Æmilium conſulem emptum à Cæſare ait talentis D. Curionem aliquanto etiam maiore mercede, vt pote qui Cæſaris cauſſa vtilior, quàm Paullus, eſſe poſſet, quod res ipſa declarauit. nam Paullus, Marcello collega Cæſarem oppugnante, non reſtitit, ſed tantum tacuit. at Curio tribunus pleb. ne fieret S. C. de Galliarum ſucceſſione interceſſit.*

Cap. 49. Nihil relictum à Cæſare, *&c.*] *Vide, quàm diſſentiat Plutarchus in Antonio.*

Eod. Tantummodo contẽtus, *&c.*] *Hoc vſque ad verbum* decreuerat, *parentheſi ſeiungendum opinor à reliqua periodo, adhibita etiam correctione quadam alioqui tota comprehenſio ſatis apte non cohæret. quod vt iudicari commodius poſſit, verba ipſa, qua mihi probantur & diſtinctione, & correctione, recitabo:* Vt deinde, ſpretis omnibus, quæ Cęſar poſtulnuerat, (tantummodo enim contentus cum vna legione titulum retinere prouinciæ, priuatus in vrbem venire, & ſe in petitione conſulatus ſuffragiis P.R. committere decreuerat) ratus bellandum Cæſar cum exercitu Rubiconem tranſiit: Cn. Pompeius, Conſuleſque, & maior pars Senatus, relicta vrbe, ac deinde Italia tranſmiſere Dyrrhachium.

Cap. 51. Quibus non Hiſpaniæ ſuæ natus.] *Subobſcurum hoc videtur: quod ſi legas*, natus eſſet, *id eſt*, Conſuleret, *&* ſplendorem afferret, *ipſeque Cæſaris gratia potens & clarus non dico in Hiſpania ſua fieret, ſed homo Hiſpanus & pontificatum & conſulatum poſtea adipiſceretur: planius erit.*

Cap. 52. Effuſumq; alterum Romani imperij lumen.]

Effuſum lumen; *Latinæ linguæ ratio reſpuit*, exſtinctum, *probat, nec tamen affirmare de mendo auſim; qui, Velleium nõ optimum eſſe Latinitatis auctorem probe nouerim.*

Cap. 53. Quos victores darent comites ei fortuna aggregauerat.] *Hoc equidem vt nunc legitur tam intelligo, quàm ſi natus numquam eſſem. Quod ſi ſic:* Quos, victore Cæſare, comites ei fortuna aggregauerat: *nihil erit apertius. Audax coniectura: faueor: aliquanto tamen eorum audacior, qui illud,* victores darent, *delent.*

Cap. 54. Vbique Iubæ nomine.] *Vt ſagittario ſcopus, item nobis, vbi quid cupimus emendare, propoſita debet eſſe ſententia, operaque danda, vt eam ita attingamus, ne literæ corrigentes longius à corruptis, quas ob ſimilitudinem falſa quædam veritatis imago peperit, recepiſſe videantur, quod ego quantum licet, retinere inſtitutum decreui. nec tamen is ſum, qui, ſi quis à me diſſentiat, continuo ei, quod nonnulli ſolent, inimicitias indicam. Decet enim eos, qui ſeſe honeſtiſſimis liberalium doctrinarum ſtudiis dediderunt, multo magis de litterarum vtilitate, communique commodo, quàm de ſua laude, laborare. Itaque meas opiniones, vt olim ſuas tabulas Apelles, pateat omnibus volo: reprehendentibus & meliora oſtendentibus non modo aſſentiar, verum etiam gratiam habebo, eoque maiorem, quo magis id fieri non obtrectandi conſilio, ſed ſtudio excitandæ virtutis intelligam. Ego hic quàm recte, aliorum eſto iudicium; pro*, Iubæ, *reſtituo*, viuens, *vel* vigens. *Vt aliquid tamen aptius excogitari poſſe non diffitear.*

Cap. 55. Primo varia fortuna expugnauit via.] *Muto pauca, & meliorem, vt opinor, apertiorem certe ſententiam reſtituo, hoc modo:* Primo varia fortuna, mox pugna vicit.

Eod. Acies reſtitutæ, C. A. duce, quàm à milite, fortius.] *Sed diuinãdio locum habet, emendo.* ceterum à duce.

Cap. 56. Plus quinque menſium.] *Cicero ad Att. lib. x. ep. 7. dixit, eius Regnum vix ſemeſtre eſſe poſſe.*

Cap. 57. Cuius cum fortunam.] *Quo diligentius animaduerto, eo magis abundare*, cum, *intelligo Alij:* cuiuſcumque fort.

Cap. 59. Nepotem ſororis ſuæ Iuliæ.] *Filium ſororis falſò nominat Plutarchus in Antonio.*

Eod. Etiam ſi præuentis & pauca dicenda ſunt.] *Legerim*, etiam ſi præuentis tamen pauca dicenda ſunt.

Eod. Paratis bellis ciuilibus.] *Lego*: patratis. *Alij*, peractis.

Cap. 60. Inſertis falſis, ciuitatibuſque.] *Sic antiqua editio, non obſcuro mendo. Ego ſic:* Inſertis falſis, ſublatiſq. *nam illud*, corruptis *ad commentarijs, refero: vt ſit*, auctorum eiuſdem corruptis; commentarijs. *Corrupit autem Antonius duobus modis, quia falſa & inſeruit, &, quæ Cæſar proprijs ſcripſerat, ipſe ſuſtulit.*

Cap. 61. XIX. annum ingreſſus.] *Alij legunt.* XIIX. *male. Vide Tacitum lib.* XIII.

Cap. 62. Laudati, quicumque his ſe exercitus tradidiſſent.] *Non diſplicet. interdum tamen in mentem venit, ſcripſiſſe Velleium*: laudati, quicumque hiſce exercitus tradidiſſent.

Eod. Cæſarem laudandum, & tollendum cenſebat.] *Vide Ciceronem. Famil. epiſt. 20. lib.* XI. *& ad Attic. ep. 5. lib.* 15.

Cap. 63. Per auerſa caſtrorum proruto vallo militibus receptus eſt.] *Aut*, auerſa *ſimpliciter enunciatum*, auerſam *caſtrorum partem ſignificat, aut addendum*, partem, *legendumque*, per auerſam caſtrorum partem eruto vallo militibus receptus eſt.

Cap. 64. Tribunus Canutius.] *Tribunus pleb. fuit hoc anno. interdum tamen*, Tib. Canutius, (*id ei prænomen fuit.*) *legendum eſſe cogitaui. Quod quia nihil affert ad ſententiam, valde non laboro.*

Cap. 65. Annis DCCIX.] *Lege.* DCCXI.

Eod. Conſularem prætextam iungentem prætoria. *Cum enim prætor eſſet, conſul factus eſt. Vide Dionem lib.* XLVII. *& Faſtos.*

Cap. 66. Coactus eſt.] *Video te, Velleij ſeruire temporibus. Verius enim Suetonius, de Octauij crudelitate contra proſcriptos.*

Eod. Citiuſque in mundo genus hominum, quàm cadet.] *Mendoſum hoc eſſe, omnes fatentur. Alij alia addũt. Pater, nihil addendo, minima ferè mutatione, ita legit:* citiuſque in mundo genus hominum concide.

Cap. 68. Cum in modica quidem ſeruari poſſet.] *Alij aliter. Ego quoque ſi eſt indulgendum coniecturæ, legerem* Cum ne modica quidem reſeruari poſſet. *Nulla enim ei res erat, quod oſtendunt verba, quæ ſequuntur.*

Cap. 69. Imperatoribus, qui prælucidis, *&c.*] *Lege*, Imperatoribuſque prælucidis.

Eod. Laodicea expugnat.] *Lege*, expugnarat.

Eod. Vatinius nulli nomini non eſſet poſtferendus.] *Puteanus legit*, nulli minimo. *Aliquando putant legendum* nulli homini. *Poſſet & illud* nomini *deleri, tamquam gloſſema ad* nulli, *cum priùs gloſſema eſſet*, nemini, *ex quo factum ſit.* nomini.

Eod. Aqua ignique damnatis interdictum erat.] *Petrus Delbenius tollit*, damnatis.

Cap. 71. Iuliæ Auguſtæ pater.] Liuiæ, *reponendum puto, Vide pag.* 70. 72. 82.

Cap. 72. Corrupto animo eius in diem.] *Commodius, ſi legatur*, Corrupto animo eius vna die, *&c.*

Cap. 75. Quam tranſgreſſi ad eos ſacerdotem, ac filiam, *&c.*] *Veramque Liuiæ fortunam notat: Quæ bimum, inquit, filium ſinu geſtens, vno tantum comitante, deuijs itineribus, fugiebat iram Cæſaris, eam poſtea ipſius Cæſaris coniugem vidimus, quin etiam, poſtquam ad ſuperos migrauit, ſacerdotẽ pæne habuit, ac flaminẽ. Legi igitur, incolumi ſententia, poſſet:* Quin tranſgreſſa ad deos, ſacerdotem pæne habuit, ac flaminem. *Nam Tacitus, Suetonius, Dio, noluiſſe Tiberium cæleſti religione matrem honorari; nulla controuerſia tradiderunt. Quamtamen poſtea Claudius Imp. conſecrauit, Suetonio teſte.*

Eod. Cuius bimum.] *Alij*, vix bimum. *Non diſplicet.*

Cap. 76. Ac Tironis.] *Lege.* Tib. Neronis.

Eod. Comes eſſe non poſſ.] *Lego*, Cum com. eſſe non poſſ.

Cap. 82. Hoc M. Antonio acto, illis legionibus ſal. fuit.] *Legerem*, Hoc M. Antonij octo illis leg. ſal. fuit.

Cap. 83. Mox autem hunc mox auunc.] *Dele alterum* mox.

Cap. 84. Illam arcebant omnia.] *Lege.* In illã iacebant, *vel*, marcebant omnia.

Eod. Nauium hæc magnitudo, modica ne celeritate; *&c.*] *Lege*, Nauium hic magnitudo modica cum celeritate.

Cap. 85. Temperatiùs fuerat.] *Lege.* Temperatius fuerit.

Cap. 86. Ex quo in quem ſtatum peru. *&c.*] *Lege*, Ex eoque in q. ſt. p.

Eod. Ad ſolium alarunt, in priſca grauitate celeberrimi fides, mox diu clem. *&c.*] *Locus mendoſus. Quem ita emẽdandum opinabar:* At filium Meſſallæ in priſca grauitate celeberrimi, non diu clem. *&c. Petrus autem Delbenius aliter eum corrigit*: At Iulium Antonium, (*vel* At filium Antonii) in priſca grauitate creberrime inſiſtens, (*vel*, In priſca grauitate celeberrima fide) mox diu clem. *Hanc autem ſibi opinionem peperit alius Velleij locus c.* 98: 99. *Quod vero attinet ad genus loquendi*, celeberrima fide, *ſic locutus eſt idem Velleius, ſupra c.* 63. Plancus deinde, dubia, *id eſt, ſua fide*, diu quarum eſſet partium,

secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, & nunc adiutor D. Bruti, & mox eiusdem proditor.

Cap. 87. Vt dederat Trebonius] *Lege ex Ciceronis Philippicis, & ex Latini sermonis obseruatione*. Vt dederat primus Trebonius.

Cap. 88. Equestris, splendido genere natus.] *Lege*; Equestri, & splend. gen. nat.

Cap. 90. Et coram altero.] *Hæc si tollentur, constabit sēsus, si relinquuntur, sententiam perturbant*.

Cap. 94. Quo primo, vt prædiximus.] *Nemo non videt, legendum esse*, trimo: *ex loco superiore. pag*. 70. *v*. 10: *nam etsi bimum nominauit, tamen ab eo tempore ad nuptias annus fere intercessit*.

Eod. Mandato victrici.] Vitrici, *legendum esse, quæ sequuntur proxime, perspicue docent*.

Cap. 95. Neque ipsi honori, *&c*.] *Lege*. neq. ipsis ho.

Cap. 98. Mores eius vigore, ac lenitate, mixt.] *Puteanus legendum putat*, rigore.

Cap. 99. Vt omnes, qui procoss. legatique, in transmarinas profecti prouincias, visendi eius gratia, ad quem conuenientes, semper priuatos illa maiestas priuata numquam fuit.] *Totus hic locus si, quomodo sequitur, emendetur sententia elicietur satis commoda*: Vt omnes procoss. legatique, in transmarinas profecti prouincias visendi eius gratia ad eum conuenientes semper priuatum, etsi illa maiestas priuata nunqnam fuit, *&c* *Vel*, Si illa maiestas priuata vnquam fuit.

Cap. 101. Adsidendum obitis.] *Non displicet, quod alij reponunt*, Ad sedandum obitis.

Eod. Cum rege Parthorum iuuene excelsissimæ insulæ, *&c*.] *Probo eorum coniecturam, qui legunt*: Cum rege Parthorum iuuene excelsissimo, in insula, *&c*.

Eod. M. Vinicio.] *Legendum proculdubio*. M. Vinici. *nā pater eius Publius dicebatur. quod patet infra, pag*. 87. *v*. 28.

Cap. 102. Cum ante annum ferme quinquagesimum Cæsar, frater eius, Hispanias petens, Massiliæ decessisset.] *Lege*, Cum ante annum ferme L. Cæsar, *&c*. *Vt de Lucio Cæsare intelligamus Suetonius in Augusto*: Caium, *inquit*, & Lucium, in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos.

Cap. 103. Ælio Cato Sentio cos.] *Lege*, Sex. Ælio, C. Sentio cos.

Eod. DCCLIV.] *Lege*, DCCLVI.

Eod. Abhinc annis XXVII.] *Lege*, XXVI.

Cap. 105. Caninefates.] Cannenufates, *apud Pliniū, lib*. IV. *cap*. 15.

Cap. 106. Nostra quidem, inquit, furit iuuētus.] Fugit, *legit Petrus Delbenius*: *quod superius dixerit*, Sub omnem motum nostrarum nauiū protinus refugientium.

Cap. 110. Batonibus.] *Petrus Delbenius legit*, Baton *nam infra pag*. 96. *v*. 26. *meæ editionis* Batonem, & Pinetem, excelsissimos duces, *nominat. De eo vide & Suetonium in Augusto*.

Cap. 111. Et iam designatis tribunis pleb.] *Lego*, etiā designatus tribunus plebei.

Cap. 112. Magna Thracum manu.] *Verborum structura legendum docet*: magnam Thracum manum.

Cap. 117. Et causa persona moram exigit.] *Petrus Delbenius legendum putat*: sua caussa personæ moram exigit. *Ait enim, indulsisse in hoc fortunam Romanis, quod hoc bellum non accidit occupato duce, s. Cæsare quem proxime duxit imposuisse vltimam manum Dalmatico bello. Deinde, quia de Varro mentionem fecerat, ait, Caussam personæ moram exigere, ideoque digreditur in Vari moribus describendis, more suo*.

Cap. 119. L. Eggius.] *Alij*, Ægilius. *Ego*, Eggius. *retineo, quod hanc familiam ex inscriptione antiqui lapidis notam habeam. Cuius exemplum sequitur*.

In Opido D. Germani, ad Cathedralem Ecclesiam.

HERCVLI
SANCTO. SACR
D. POMPONIVS. NOE
TVS. VOTVM. SOL
AMICOS. ACC. BENE
. . . .
M. EGGIO. MARVLLO. ET
L D. D. D. K. IVL

Cap. 121. Quam erat ipsi, decreto complexus esset.] *Ineptum loquendi genus, nec vllo confirmatum exemplo*; Æquum ei ius, quam erat ipsi. *Hæc me ratio adducit, vt glossema fuisse putem. Non enim necesse est hoc addere, cum satis aperta sententia sit. nam ad* æquum ei ius, *subauditur*, cum Patre: *quod ideo non addidit Velleius, quia dixerat iam* postulante patre.

Cap. 126. Facere recte ciues suos, Princeps optimus faciendo docet.] *Cicero, Fam. lib*. 1. *epist*. 9. *pagina* 25. Quales in Repub principes essent, tales reliquos solere esse ciues. *Sumptum autem ex Platone, lib*. IV. *de Leg*. Μηδεὶς ὑμᾶς, πειθέτω, ὦ φίλοι, θᾶττον, καὶ ῥᾷον μεταβάλλειν ἄν ποτε πόλιν τοὺς νόμους, ἢ τῇ τῶν δυναστευόντων ἡγεμονίᾳ.

Cap. 129. Et caussas pressius audit.] *Dele particulam*, &c.

Cap. 131. Iupiter Capitoline, & auctor, ac stator Romani nominis, Gradiue Mars, *&c*.] *Puteanus legendum putat*; Iupp. Cap. & Stator, ac auctor R. n. G. M.

FVLVII VRSINI NOTÆ, AD VELLEII

LIB. I.

CAP. I. Penthelus, & Tisamenus.] *Scribendum est*, Penthilus: *sic enim habet Pausanias, & Græci scriptores. Pausaniæ verba ex Corinthiacis sunt hæc*: Τὸν δ' Ὀρέστου νόθον Πενθίλον Κιναίθων ἔγραψεν ἐν τοῖς ἔπεσιν Ἠριγόνην τὴν Αἰγίσθου τεκεῖν.

Cap. 2. Teminus, & Cresphontes.] *Ex eodem Pausania*, Timenus, *non* Teminus, *scribendum est, consentientibus etiam alijs Græcis scriptoribus. Pausaniæ verba sunt. hæc ex Corinthiacis item*: Τήμενος μὲν καὶ Κρεσφόντης Ἀριστομάχου, &c.

Eod. Immistusque castris hostium, de industria, imprudenter, rixam ciens, interemptus est.] *Ex historia videtur ita interpungendus hic locus, emendandusque*, Immistusque castris hostium de industria, ab imprudente, rixam ciens, interemptus est. *Historia peti potest ex Pausania, Appollodoro, & aliis*.

Cap. 4. Athenienses in euboea. Chalcida Erethriā colonis occupauere.] *Scribendum*: Athenienses in Euboea Chalcidem, & Eretriam colonis occupauere. *Potest etiam retineri* Chalcida, *ex Homeri versu in Catalago*: Χαλκίδ' Εἰρέτριάν τε, πολυστάφυλόν θ' Ἱστίαιαν.

Cap. 5. Non est mirandum, quod sæpe illud vsurpat.] *Desunt Græca verba Homeri*. οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν, *quæ referebat Velleius ex Iliadis lib*. V.

Cap. 6. Pharnaces Medus imperio, vitaque priuauit.] *Iustinus lib*. I. Arbacem *habet, non* Pharnacem. *Nos pro* Arbacem *emendamus*, Arsacem *ex nummis Græcis, & historia*.

Cap. 14. Sutrium deducta colonia est.) Satricum *ex Liuio & alijs legendum est. & paullo post scribendum*: P. Decio Mure quartum, *&c. non* Q. Decio, *&c. Item ex epitoma libri* XIX. Fregenæque, *non*, Fregellæque *scribendum*.

Cap. 15. Cassio autem Longino, & Sestio Caluino.) *Scribendum*: Sex. Caluino. *nam* Sextius *familiæ nomen est, non prænomen. Sex. autem Domitius Caluinus Consul fuit cū C. Cassio Longino. A. P. R. C.* DCXXX.

AD LIB. II. HISTOR.

CAp. I. Hæc vrbs nunquam decem plura, quàm propriæ virtutis armauit.] *Docti viri emendarunt*: Hæc vrbs nunquam plura, quàm decem millia propriæ virtutis armauit. *Sed vsitatior modus loquendi, & Velleio familiaris postulat vt legamus*: Hæc vrbs nunquam decem millibus plura propriæ virtutis armauit.

Cap. 4. Is victus à M. Perperna, ductusque in triumpho, sed M'. Aquillio.] *Dictio*, sed, *abundat, legendumque* Ductusque in triumpho à M'. Aquillio, capite pœnas dedit, *&c*.

Cap. 5. Præclara in Hispania militia A Bruti fuit.] *Omnino*, D. Bruti *legendum est, non* A. Bruti *nam A. Postumius Albinus Bruti filius, qui habetur in argenteo denario, non ad eum, de quo hic agit Velleius, sed ad D. Brutum, Cæsaris percussorem refertur, qui M. Bruti consanguineus fuit, & ab A. Postumio Albino Cos. vt videtur, adoptatus*, BRVTI F. *ex adoptionis formula dictus est*.

Cap. 6. Quem C. Gracchus in locum Tiberij fratris III. virum nominauerat, eumque socium regalis assumpserat potentiæ.] *Legendum*: Quem *&c*. III. virum nominauerat, & socium regalis assumpserat potentiæ.

Cap. 15. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, Silo Poppædius. Hirnus Asinius, T. Vettius Cato, C. Pontius Telesinus, Marius Egnatius, Papius Mutilus.] *Ita Appianus lib*. I. *Bell. Ciuil. profert hæc nomina, & fortasse aliquanto emendatiora, quàm nunc sunt in Velleij codicibus. Illud certe, quod est in libris vulgatis*, Insteius Cato, *penitus displicet, pro quo Cicero in Philippicis, & Appianus libro supra memorato habet*, T. Vettius Catto, *quod placet*.

Cap. 16. Vt per biennium continuum duo Romani Consules, Rutilius, ac deinde Cato Porcius ab hostibus occiderentur.] *Cum in antiqua editione sit*: Vt per biennium continuo, *&c. posset legi*: Vt per biennium continui, *&c. quod magis placeret. & paullo post, ex eadem antiqua editione legendum*: Caput imperii sui Corfinium legerant Italicani. Paullatim deinde, &c.

Cap. 19. Marius post sextum Consulatum, annoque LXX. nudus, *&c*.] *Placeret magis*: Marius post sextum Consulatum, annosque L X X. nudus, *&c. nam illud*, annosque, *ad dictionem* post, *quæ præcedit, referendum est*.

Cap. 22. M. Antonius, princeps ciuitatis, atque eloquentiæ, gladijs militum, quos ipsos facundia sua moratus erat, *&c. Non dubito, quin*, ipse, *scribendum sit non* ipsos. *Vt legatur*: Quos ipse facundia sua moratus erat, *&c. nam verbum*, ipse, *aliquanto* ἐμφατικώτερον *videtur*.

Cap. 24. Et cum collegæ eius, quibus diem dixerat, metu ad Sullam profugissent, *&c*.] *Cum in antiqua editione sit*, motu ad Sullam profugissent, *&c. videndum, an pro* motu *legendum sit* noctu. *De cuius tamen lectionis veritate historici consulendi sunt*.

Eod. Superaret, quod erat domesticum.] *Verbum series poscere videtur, vt legamus* superare: *quod verbum pendet ab eo, quod præcedit*; existimauitque, *&c*.

Cap. 25. Grates Dianæ, cuius numini regio illa sacrata est, soluit: aquas salubritate, medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit Deæ. Huius gratæ religionis memoriam, & inscriptio templi affixa posti, & hodieque tabula testatur ærea infra ædem Inde Consules, *&c*.] *Totus hic locus ita videtur legendus, partim ex vetere editione, partim ex coniectura doctorum virorum, quam nos aliqua ex parte de nostro etiam suppleuimus*.

Cap. 26. Vir animi magis, quàm æui paterni, qui multa, fortiterque molitus, *&c*.] *Ita legendus hic locus, cum in alijs editionibus desit illud*, qui.

Eod. Damasippus Prætor Domitium Scæuolam etiam, *&c*.] *Locus est mendosus, & aliqua ex parte mutilus. Nam post nomen* Domitij, *vel coniunctionis nota, vel saltem interpunctionis addenda est, legendumque* Domitium, Scæuolam etiam, *&c. Vt autem locus suæ integritati penitus restituatur; addendum item putamus* C. Carbonem, & P. Antistium. *de quibus ita scribit Eutropius* lib. V. Damasip-

pus Prætor incentore Mario Cos. Q. Scæuolam, C. Carbonem, L. Domitium, P. Antiſtium, in curiam quaſi ad conſulendum vocatos crudeliſſime occidit.

Cap. 28. Paullo antequam Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis prælijs partium eius viri hoſtium exercitum fuderant, duo Seruilij apud Cluſium, *&c.*] *Hæc Seruiliorum de Italicis victoria habetur in argenteo quodam argenteo apud me denario, in cuius vna parte pone caput Romæ, cui* ITALI *ſubſcriptum eſt ſignata eſt corona quædam victoriæ huius, vt videtur, index, quod ſignum in alijs etiam Seruiliæ gentis denarijs impreſſum eſt. in altera Caſtrorum equitantium auerſis equis, ſimulacra expreſſa ſunt, cum litteris Oſcis, quibus indicari nomen, prænomenque Seruilij putamus. Nam Oſcis etiam litteris ſignati ſunt hi denarij. In quibus Italica. hæc contra Romanos conſpiratio, & velut fœdus quoddam cæſa porca impreſſum eſt. Paullo ſupra ſcribendum apud Velleium,* O ſela Lucretius, *vnico L.*

Eod. Nec tamen in eos, qui contra arma tuleranr, ſed in multos inſontes ſæuitum, *&c.*) *Videndum. an ſcribi debeat:* Nec tamen in eos, *&c. vel,* Nec tantum in eos *&c. ob illud,* ſed, *quod ſequitur.*

Cap. 30. Hoc conſulatu Pompeius Tribuniciam poteſtatem reſtituit, cuius Sulla imaginem in iure reliquerat.) *Legerem parua mutatione,* cuius Sulla imaginẽ ſine re reliquerat, *&c. Nam verbum* imaginẽ, *quod præcedit, ita poſtulat, vt legatur, & Cæſar de hac ipſa re dixit lib.* I. *de Bello ciuil.* Sullam nudata omnibus rebus Tribunicia poteſtate, *&c.*

Cap 33. Qui ante ſeptem annos ex Conſulatu ſortitus eſt Aſiam. *) Licet hæc lectio non diſpliceat, magis tamen placeret, ſi ita legeretur:* Qui, ante ſeptem annos ex S. C. ſortitus eſt Aſiam, *&c. nam in antiqua editione eſt,* ex Cos. *quod videri poteſt factum ex,* S C. *quæ vſitata erat formula in decernendis prouincijs.*

Cap. 34. Ne ab huius quidem vſura gloriæ temperauit animum Cn. Pompeius.) *Ex epitome Liuiana poſſet ita legi:* Ab huius quidem vſura gloriæ vix temperauit animum Cn. Pompeius.

Cap. 36. Neque vllo in ſuſcepti operis ſui carminis minorem.) Catullum *pro* Catulum, *quod eſt in antiqua editione, docti viri repoſuerunt. Sed haud ſcio, quàm recte Nam &* Q. Catullus *numeratur inter nobiles eius ætatis poetas.*

Cap. 38. Cypro deuicta, nulli aſſignanda gloria eſt] *Non dubitamus quin legendum ſit:* Cypri deuictæ, nulli aſſignanda gloria eſt. *& ita ſcripſiſſe Velleium putamus. Et paullo poſt c.* 39. *ſcribendum:* Gallias primum Domitio, Fabioque nepote Paulli, *&c. nam ab antiqua editione, quoad fieri poteſt, diſcedendum non eſt.*

Cap. 39. Ab eodem facta.) *Locus eſt mutilus, & mendoſus. Cum autem de C. Cæſare hoc loco loquatur Velleius, poſſet ſic reſtitui:* Ab eodem Britannia fracta, *&c. nam præcedit verbum* infractæ, *in quo videtur Velleius lepide iocatus eſſe.*

Eod. Numidicus Ciliciam perdomuit, niſi viciſſet poſt bellum Antiochenum Vulſo Manlius Gallogræciam. *) Ita poteſt aliquo modo hic locus emendari, cum vox* viſa, *ſi retineatur pro* niſi, *penitus inepta ſit.*

Eod. At Ti. Cæſar, quàm certam Hiſpanis parendi confeſſionem extorſerat parem.) *Videtur vox* parem, *in* parens *mutanda eſſe, & totus locus ita legendus:* At Ti. Cæſar, quam certam Hiſpanis parendi confeſſionem extorſerat parens, Illyriis, Dalmatiſque extorſit, *&c. eleganter autem à Velleio verbum* extorſit *repetitum eſt, quod de C. Cæſare Ti. patre ſupra poſuerat.*

Cap. 40. T. Ampius.) L. Tãpius *ſcribendum eſt ex antiquo denario, & veteri item inſcriptione, vt in notis ad Cæſarem diximus. & totus hic locus ita legendus:* L. Tampius & T. Labienus Tribuni pleb. legem tulerunt, vt ludis Circenſibus corona aurea, *&c. namin antiqua editione eſt,* vt ſi ludis Circenſibus, *&c. ex quo alij fecerunt,* vt S. Ludis, *&c.*

Cap. 42 Quanto opere conata eius, qui obtinebat Aſiam magiſtratus P. R. motu ſuo deſtituerit.) *Cum in antiqua editione ſit* deſtituere, *videndum, an totus hic locus ita legi poſſit* : Quanto opere conata eius, qui obtinebant Aſiam magiſtratus P.R. motu ſuo deſtituere.

Cap. 44. Et ius his reſtitutum, *&c.*) *Placet doctorum virorum emendatio, qui legunt:* & ius ciuitatis reſtitutum *&c. Nam ſupra lib.* I. *cap.* 14. *de Campanis item Velleius dixit:* Abhinc annos autem CCCL. SP. Poſtumio, Veturio Caluino Cos. Campanis data eſt ciuitas, partique Samnitium ſine ſuffragio.

Cap. 45. Sera Cn. pompeii cura, verum & capito in teritu, *&c. Locus eſt ſine dubio mendoſus, qui poſſet ita reſtitui:* Sera Cn. Pompeii cura, &, vt cœpit interrita, &c.

Cap. 46. Inuictum par Conſulum.) *Cum in* V *C. ſit:* Victus pars Conſulum, *&c. poſſet legi:* Vetus par Conſulum, &c. *& paullo poſt ſcribendum:* Cæſarilege quam Pompeius ad populum tulit, *&c.*

Cap. 47. Exemplo inutili, facto ſalutari Reipub.) *In antiqua editione eſt:* Exemplo inutiliter facto, *&c. Vt de legendum putamus:* Exemplo inutili, ſed facto ſalutari Reipub. *&c.*

Cap. 48. Perfectis muneribus theatri, & aliorum operum, quæ ei circumdedit.) *Vox* muneribus *mihi ſuſpecta eſt, atque eo magis, quod homo doctiſſimus Bernardinus Rutilius pro ea,* meribus, *in ſuo codice ſubſtituerit. quod quid ſit, mihi non liquet, niſi forte* mœnijs *ſcribere voluerit quod verbum pro ædificiis, vt Feſtus dicit, antiqui ponebant.* Munera *tamen pro ædificiis Velleius poſuit infra vt ſuo loco dicemus itaque nihil mutandum reor.*

Cap. 49. Et ſe in petitione conſulatus ſuffragiis P.R. committere decreuerat.) *Verba, quæ præcedunt, & ipſa ſententia poſtulat, vt legatur,* committeret, decreuere? ratus bellandum, *&c.*

Cap. 53. Quid aliud, quàm nimium occupatos dixerim, quos in ætate, & tanti, & pæne noſtri ſæculi, principis viri fefellit quinquennium?) *Ita ſupplendus hic locus, cum in vulgatis editionibus deſit verbum* principis, *quod ad ſententiam neceſſario requiritur.*

Cap. 54. Cum ſummum ei à militibus deferretur imperium.) *Cum in antiqua editione ſit:* Cum ſummum ei ambitus deferretur imperium, *&c. poſſet legi:* Cum ſummum ei ab illis deferretur imperium, *&c.*

Cap. 59. De cuius origine, etiamſi præuentis, & pauca dicenda ſunt.) *In antiqua editione eſt:* De cuius origine, etiam ſi præuenit, & pauca, *&c. Sed fortaſſe legendũ:* De cuius origine, etiam ſi perueteri & pauca, *&c.*

Eod. Appellatuſque in ea Imperator.) *Legendum:* Appellatuſque ex ea Imperator, &c. *Nam de hoc ipſo Octauio extat vetus inſcriptio, in qua eſt:* IMP. APPELLATVS EX PROVINCIA MACEDONIA.

Cap. 60. Semetipſum videri indignum.) *Legendum videtur:* Sibimetipſum videri indignum, *&c. nam præcedit :* Quo nomine Cæſari dignus eſſet viſus, *&c. Paullo poſt legendum:* Inſertis falſis ciuitatibus, corruptiſque Commentariis, *&c. Atque hæc lectio non diſcedit ab antiqua ſcriptura. quam alij mutantes, emendarunt ita:* Inſertis falſis, indubitateque corruptis Commentariis *In iis vero, quæ ſtatim ſequuntur:* Atque omnia pretio temperata, *&c. videndum, an pro* temperata *legendum ſit* temptata.

Cap. 61. Eum Senatus, honoratum equeſtri ſtatua, *&c.*) *De hoc equeſtris ſtatuæ honore à Senatu C. Cæſari decretæ extat mentio apud alios etiam ſcriptores. At non à Senatu,*

ſed à Populo Romano decretum eum honorem fuiſſe, apparet ex argenteo denario, in quo adiecta eſt inſcriptio, POPVLI IVSSV: *Quamuis in alio etiam ſimili denario, S. C. inſcriptio poſita ſit. Vt videri poſſit duas C. Cæſari adoleſcenti equeſtres ſtatuas decretas fuiſſe, vnam à Senatu, alteram à populo Romano De ea, quam decreuit Senatus præter denarium, in quo eſt, S. C. meminit hoc loco Velleius, & Cicero etiam in epiſtola ad Brutum.* 15. *& ad Q. Fratrem lib.* 3. *De ea re vo quã populus Romanus poſuit, argenteus ité Auguſti denarius extat, in quo diximus inſcriptum eſſe,* POPVLI IVSSV.

Eod. Ab eo annum centeſimum, fortiſſime circa Mutinam adminiſtratum eſt.] *Legendum:* Id ab eo annum agente, *&c. nam præcedit vox* bellum.

Cap. 62. Dum Reſpub. conſtaret concordia.] *Videtur neceſſario legendum:* Dum Reipub. conſtaret concordia. *aliter ſententia vix conſtat.*

Cap. 63. Per auerſa caſtrorum proruto vallo militib. receptus eſt.] *Hæc lectio nobis valde placet : nam* auerſa caſtrorum, *Velleius dixit Græca forma, qua multa alia à Latinis prolata eſſe conſtat. Poſſet etiam legi:* Per auerſam caſtrorum portam proruto vallo, *&c. nam* auerſam *habet antiqua editio, & verbum* portam, *poteſt videri omiſſum à librario, qui deceptus ſit ex ſimilitudine ſequentis vocis,* proruto.

Cap. 65. Quàm ſe amici vltione debere.] Vltioni *legendum eſſe, non* vltione, *nemo non videt. & paullo poſt cap.* 68. *locus mendoſiſſimus ita ſanari poſſet, ſi coniectura longius diſcedere liceret:* Cum ne à diis quidem ſeruari poſſet, *&c. pro eo, quod in vulgatis eſt mendoſe:* Cum ne in modica quidem ſeruari poſſet, *&c.*

Cap. 69. Acceptis à Statio Murco, & Criſpo Marito Prætoriis viris imperatoribus, præualidis legionibus, *&c.*] *Ita legendus hic locus, deleta voce* qui *ante verbum* præualidis, *Statius aut Murcus in argenteo etiam denario* IMP. *dicitur. Et paullo poſt ſcribendum:* Vatinioque circa Dyrrhachium volenti legiones extorſerat, *&c. non, vt eſt in vulgatis editionibus,* volentes.

Eod. Ac male multatum.] *Placeret magis:* Ac male mulcatum, *&c, Cicero tamen,* male multare, *dixit libro de Claris Oratoribus.*

Cap. 72. Statius Murcus.] *Legendum* (*vt ſupra diximus*) Statius Murcus, *& ſic infra. De hoc autem Murco videndus liber noſter de Familijs.*

Cap. 73. Is tum, vt prædiximus, occupata Sicilia.] *In antiqua editione eſt* Iſtum, *&c. pro quo legi poſſet* iſte: *ſed recens quoque lectio* is tum *æque placet.*

Cap. 75. Quam tranſgreſſi ad deos ſacerdotem, ac filiam.] *Vox* filiam *hoc loco prorſus inepta eſt, totamque ſententiam perturbat. Placeret magis, ſi* Iliam *pro* filiam *legeremus: Vt Velleius dicat Liuiam, relato in numerum deorũ Auguſto, ſacerdotem eius, & quaſi Iliam quandam, quæ ſacerdotio Veſtæ, & Martis coniugio, licet furtiuo dignata eſt, à Tiberio filio conſtitutam eſſe: Vt de Antonia Claudij matre legimus, quæ in argenteo denario apud me,* SACERDOS DIVI AVGVSTI *dicitur. Ex digamma autem, Æolico. F. error fieri potuit, vt* Filiam *pro* Iliam, *librarius ſcripſerit.*

Cap. 76. Ex equeſtri ordine Cos. creatus eſſe.] *Placeret magis,* creatum eſſe. *nam illud* creatus *ex verbo proximo, quod præceſſit, factum eſt.*

Cap. 77. Et Arruntium Actium.] *Reponenda vetus lectio, quæ eſt in antiqua editione:* Et Arruntium, ac Titium *&c. & poſtea legendum:* Statium autem Murcum, *&c. vt ſupra diximus.*

Cap. 82. Hoc M. Antonio acto.] *Videndum, an legi poſſit:* Hoc M. Antonius acto, illis legionibus ſaluti fuit, *&c. Paullo poſt legendum putamus :* Ne quid oneri deeſſet, *&c. non* honori. *quod verbum videtur ſubſtitutum ab eo, qui non animaduerterit, Velleium iocari voluiſſe in voce* aureis, *quod conſtet, aurum ceteris metallis grauius eſſe.*

Cap. 84. Nauium hæc magnitudo, modicaue celeritate, aduerſa illa ſpecie terribili o r.] *Videndum, an hic locus, qui manifeſte mendoſus eſt, ita corrigi poſſit:* Nauium hinc magnitudo modica; ſed celeritate, aduerſa illa ſpecie terribilior, *&c. Et paullo poſt pro iis, quæ in vulgatis editionibus mendoſe item ſunt:* Nam de illis exemplis vitæ natura Dolabella ad Cæſarem virque clariſſimus, &c; *an poſſit aptiore ſententia legi:* Inde illius exemplo vir audax Dolabella, virque clariſſimus, *&c. nam verba,* ad Cæſarem, *ex inferiore loco irepſerunt.*

Cap. 85. Dextrum nauium Iulianarum cornu M. Lario commiſſum:] *Legendum putamus,* M. Lurio, *non* M. Lario. *& gentilis fortaſſe eius eſt, qui in æreis Auguſti numiſmatibus dicitur* P. LVRIVS. AGRIPPA III. VIR A. A. A. F. F.

Cap. 87. At Cleopatra fruſtratis cuſtodibus, illata aſpide, morſu ſane eius.] *Verba ſunt partim luxata, partim corrupta, quæ ita reſtituenda putamus:* At Cleopatra fruſtratis cuſtodibus, illata aſpide ſinui, morſu eius expers muliebris metus, ſpiritum, reddidit.

Cap. 88. Auguſti clauſi pæne contentus.] *Placeret magis:* Auguſto clauo pæne contentus, *&c. & paullo poſt.* Æquatur prædictæ iam Calpurniæ Antiſtij Seruilia, *&c. ita enim eſt in antiqua editione.*

Cap. 91. Quæ Craſſo oppreſſo Orodes, quæ Antonio pulſo filius eius Phraates ceperant.] *Dio & ceteri ſcriptores Orodis filium Pacorum, non Phraatem edunt, vt fortaſſe hic quoque* Pacorus *reponendum ſit.*

Cap. 94. Hoc tractu temporum Tib. Claudius Nero, quo primo, *&c. licet,* quo trimo, *vt alij emendarunt ex loco ſuperiore, placeat magis. Sed paullo poſt, quod de eodem Tiberio ſubiungit Velleius:* Viſuſque prætulerit principem *&c. id videturita emendãdum:* Viſuque prætulerat principem, *&c. nam præcedit,* ſperari potuerat, *&c. Sententia vero reſpicit Euripidium illud,*

εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

Cap. 96. Præpoſitis Caii & Lucii nominibus.] *Videtur legendum,* prænominibus, *non* nominibus: *& paullo poſt,* rigore, *non* vigore, *&c. ita poſtulante ſententia, quæ his verbis concipitur à Velleio:* Eſſe mores eius rigore, ac lenitate mixtiſſimos, *&c.*

Cap. 99. Viſendi eius gratia, ad quem conuenientes, ſemper priuatos, illa maieſtas priuata numquam fuit; faſces, *&c.*] *Videtur hic locus ita legendus :* Viſendi eius gratia, ad eum conuenientes, (ſemper priuatus ille, maieſtas priuata nunquam fuit) faſces, *&c. Poteſt etiã retineri* illa, *dummodo parentheſi includantur verba* (ſemper priuatus, illa maieſtas priuata nunquam fuit,) faſces, *&c. Sed* ille *magis placet.*

Cap. 104. Adoptatus eadem die etiam M. Agrippa, *&c.*] *Prænomen* M. *videtur abundare.*

Cap. 110. Inſolens longe pacis bonis, & adulta viribus Dalmatia.] *Placet magis:* Et adiuta viribus Delmatia, *&c. & paullo poſt legerem* : Pars petere Italiam iũcta ſibi, *&c. vt verbum* iuncta *referatur ad præcedentem vocem* pars. *Sic infra Velleius locutus eſt, cum dixit:* Magna Thracum manu victus prædictus Rhœmetalces, *&c. Deinde, pro* pars in Macedoniam eruperat, *&c. Deinde pro* pars in Macedoniam eruperat, *&c. legerem:* Pars ſe in Macedoniã effuderat : *nam antiqua editio habet,* effugerat. *Item legerem:* Proxima duobus Batoni, ac Pinneti ducibus auctoritas erat, *&c. nam infra habetur:* Batonemque & Piunetem excelſiſſimos duces, *&c.* Batonibus *autem manifeſtum mendum.*

Eod. Quia tantus etiam huius belli metus fuit.] *Placet magis:* Quin tantus etiam huius, *&c. & paullo poſt pro*

viribus hoſtis elangueſceret? *&c. legerem:* Virus hoſtis elangueſceret?

Cap. 112. Mœtalces Thraciæ rex.] *In antiqua editione eſt,* Rhomo & Alces, *ſed mendoſiſſime ſcribendum* Rhœmetalces, *ex antiquo apud me namiſmate æreo, in cuius vna parte ſignata eſt imago Auguſti cũ inſcriptione,* ΣΕΒΑCΤΟC. ΚΑΙCΑΡ, *&c. in altera, effigies Rhœmetalcis regis huius cui adſcriptum eſt,* ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. ΒΑCΙΛΕΩC.

Cap. 116. Et A Licinius Nerua Selianus, *&c.* præreptus immature & fructu ampliſſimæ principis amicitiæ, & conſummatione euectæ in altiſſimum, paternumque faſtigium imaginis, *&c.*] *Videtur legendum ex antiqua editione:* præferens immatura, & fructu ampliſſima principis amicitiæ, conſummatione euectæ in altiſſimum, paternumque faſtigium imaginis, *&c. Huius autem Neruæ extat argenteus denarius cum inſcriptione. A. LICINIVS. NERVA. III. VIR. & æreus item ita inſcriptus: A. LICINIVS. NERVA. SILIAN.* III. *VIR. A. A. A. P. F.*

Cap. 117. Tantum quod vltimam impoſuerat.] Tantum quod, *videtur poſitum pro* Tantum non. *quod Græci dicunt* μονονχὶ. *niſi* tantum non *Velleius quoque ſcripſit.*

Cap. 118. Quippe ita ſe res habet, vt plerunque, qui fortunam mutaturus eſt, conſilia corrumpant, *&c.*] *Ex antiquæ lectionis veſtigiis videtur ſcribendum:* Quippe ita ſe res habet, vt plerunque fortunam mutaturus deus, conſilia corrumpat, *&c.*

Cap. 119. At Volumnius, legatus Vari, *&c.*] *Cum in manuſcripto Vellei codice ſcriptum fuiſſet,* Valnumonius. *ex eo alij fecerunt* Valumnius. *alij, quod ea familia non reperiretur inter Romanas, emendarunt* Volumnius. *Sed vtrũque mendoſum eſt: ſcribendumque* Vala Numonius, *cognomine.* Vala, *poſito ante nomen* Neumonius. *nam ſæpe ſolet Velleius cognomina præponere nominibus, vt cum dicit,* Mãcinus Hoſtilius, Carbo Papirius, Lepidus Æmilius, *& cetera id genus. Huius autem* Valæ *extat denarius argenteus, cum inſcriptione C. NVMONIVS. VALA, de quo cognomine abunde ſcripſimus in libro de familijs Romanis. Putamus autem eum eſſe, ad quem Horatius ſcripſit epiſtolam* 15. *lib.* 1. *cuius initium eſt.*

Quæ ſit hiems Veliæ, quod Cælum Vala Salerni.

Nam in libris manuſcriptis, qui ſunt apud me epiſtola inſcribitur, AD NVMONIVM VALAM Denarium vero, cuius ſupra meminimus, Traianus Imp. vt multos alios reſtituit, vt apparet ex titulo, qui ei adiectus eſt: IMP. CÆS. TRAIAN. AVG. GER. DAC. PP. REST. *nam reliqua, quæ ſignata in eo ſunt, repræſentant ea plane, quæ ab ipſo Numonio, vel ab aliquo eius familiæ, in antiquiore denario cuſa ſunt.*

Cap. 129. Qua ille prudentia Rhaſcupolim, interemptorem fratris ſui filij Cotys, conſortiſque eiuſdem imperij formam euocauit?] *Ita legitur hic locus, in antiqua editione. Sed verbum,* formam, *ſententiam perturbare cum videretur, omiſſum eſt à doctis viris. Nos tamen illud retinemus, & formam mutamus in* Romam *hiſtoria præſertim conſentiente.*

Cap. 130. Quanta ſua, ſuorumque nomine extruxit opera;] *Videtur legendum ſine dubio:* Quanta ſuo, ſuorumque, nomine, *&c.*

Eod. Quàm magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeij, munera abſumpta igni reſtituit. *?*] Munera *videtur hoc loco poſuiſſe Velleius pro ipſis ædificiis vt ſupra, cum dixit de Pompeio item:* Perfectis muneribus Theatri, *&c. Itaque nihil mutandum puto: vel ſi* mœnibus *ibi pro* muneribus *reponendum eſt: hic quoque* mœnia *pro* munera *ſcribendum cenſeo.*

Eod. Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, apud aures deorum de his queri, *&c.*] *Ita hunc locum emendarunt docti viri, cum in antiqua editione eſſet:* Auro deo cùm de his queri. *&c. Vel vt alij ex coniectura poſtea fecerunt:* Auribus deorum de his queri, *&c. Nos putamus, commodiorem ſenſum ex ijs verbis elici poſſe, ſi ita legantur:* Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, de deo cum deis queri.

Cap. 131. Iupiter Capitoline: & auctor, ac ſtator Romani nominis, Gradiue: Mars, *&c.*] *Placet coniectura doctorum virorum, qui legunt:* Iupiter Capitoline: ac ſtator, & auctor Romani nominis Gradiue Mars, *&c. nam illud* ſtator *ad* Iouem *tantum referri poteſt, non item ad* Martem. *Nobis tamen non diſpliceret, ſi parua mutatione ſcriberetur* ſator *pro* ſtator, *legereturque:* Iuppiter Capitoline: & auctor, & ſator Romani nominis Gradiue Mars, *&c.*

IVSTI LIPSII AD C. VELLEIVM PATERCVLVM ANIMADVERSIONES.

VELLEII NOMINA, GENVS, Vita, Scripta.

PAVCA *de Velleio eiuſque ſcriptis prædicenda ſunt: ſed pauca, quia latet in turba illa ſcriptorum priſci ævi. Quis veterum eum nominat? præter Priſcianum, & ſi forte Tacitum. qui* P. Velleium *agnoſcit* Præfidem exercitus, *vt opinor, in Macedonia. Sed ibi tamen* Publius *eſt, qui hic* Caius: *nec argumentum ſatis firmum, quod ſit hic ipſe. At Priſciano* Marcus *eſt. qui ex libro eius primo hoc adfert:* Nec minus clarus ea tempeſtate fuit Miltiadis filius Conon. *In Agellio etiam* Cn. Velleium *legas: ſed corruptè. Nam in libris ibi melioribus* Vellius *eſt: & tu ſcito* Gellium *reponendum, probum notumque hiſtoricum priſci ævi. Noſter hic natus equeſtri loco, vt videtur maieſque eius è Campania. De auo paterno ita indicat:* C. Velleius honoratiſſimo inter illos CCCLX. iudices loco à Cn. Pompeio lectus, eiuſdem, Marcique Bruti ac Ti. Neronis præfectus fabrum, vir nulli ſecundus in Campania *Genus à matre, etiam indidem.* Multum, *inquit,* Minatij Magij auiai mei Aſculanenſis tribuendum eſt memoriæ: qui nepos Decij Magij Campanorum principis, celeberrimi & fideliſſimi viri. *Quæ ſanè decora ſtirps & vetus, ab nobili illo Decio Magio: in quam iterum adoptione, niſi fallor, inſitus Velleij frater. Nam nominat eum* Magium Celerem Velleianum, Legatum Tib. Cæſaris *Delmatico bello. Ipſe Velleius* Tribunus militum in Thracia & Macedonia: *paullo poſt* Præfectus equitum in Germania, ſucceſſor officij patris ſui. *Deinde* finita equeſtri militia, deſignatus Quæſtor: *in Quæſtura,* remiſſa ſorte prouinciæ, Legatus *Tiberij bello Pannonico, cuius etiam triumphantis currum* ipſi fratrique eius, inter præcipuos, præcipuiſque donis adornatos viros, comitari contigit. *Poſtremum* ipſe frater eque eius deſtinati prætores, *primo Tiberiani imperij anno. An quos alios honores geſſerit, haut ſcio: ſuſpicor tamen de Conſulatu, quia apud Tiberium & Seianum magnus: & in Priſciani dicto loco, Liber Veterum ſcribit:* M. Velleius Conſul. *Annæ* Conſularem *voluit? Et ſanè ſi is eſt, qui apud Tacitum exercitui præfedit, probabile Conſularem fuiſſe, quia Legati exercituum plerique tales. Plura de vita non repperi: minus de morte. quam animus mihi dictat obiiſſe eum in ſtrage illa amicorum Seiani. Quidni ita credam, hominem tam amicum Seiano, & in hoc ipſo libello publicum eius laudatorem, inter amicos fautoreſque Seiani interfectum? profectò Tacitus & Dio auctores, rarum aliquem ex ijs Tiberiana ſæuitiæ ſuperfuiſſe. Scripta an alia reliqueris, ignoro. Iactat quidem & promittit non vno loco* Iuſtę Hiſtoriæ *volumina: ſed an ediderit ſcripſerit ve, quis dicet? Nam quod Geſnerus in Bibliotheca adnotat, VVolfgangum Lazium habuiſſe* De bello in Sueuos, *nugas arbitramur: ſicut & Georgij Merulæ, qui de integro apud ſe Velleio ſparſit, vanitatem ridemus ambitioſam.*

DE INDICE, ET MATERIE, ET NVMERO HORVM LIBRORVM.

EXSTANT libelli hi duo, nec toti: probi & fidi, donec ad Cæſarum res venias, vbi haud vſquequaque veri. Per adulationem enim multa celat, aut velat: imò & palam aliter narrat. Diſerti tamen vbique, & eloquentia quadam facili ac profluente. Titulus in ijs hodie eſt: HISTORIAE ROMANAE AD M. VINICIVM COS. nec credo hunc probum eſſe, aut à Velleio. An hæc Hiſtoria? imo nec compendium proprie aut breuiarium hiſtoriæ, ſed ſerie accurata temporum Chronicæ quædam Notæ: ſic tamen, vt præcipua rerum, hominum, vrbium, miſceat atque excerpat. An etiam Romana tantum? mihi non videtur: & totum adeo priorem librum videor occupari fere in rebus Græcanicis atq; externis. Quod magis diceremus, ſi integer ille exſtaret. Itaq; de Titulo ambigo: & damnare tamen magis gaudeo, quàm immutare. Materiem videamus. Rhenanus, qui primus auctorem hunc è Bibliotheca Murbacenſi bono publico protulit, cenſet *Velleium ab vrbis primordio Romanam hiſtoriam omnem, admirabili compendio, duobus his voluminibus fuiſſe complexum.* Miror virum doctum ſic ſcribere. An ab vrbis exordio ille cœpit, qui palam & ex profeſſo multa ſæcula recenſet, ante eam cogitatam? qui alieniſſima miſcet à Romanis rebus? Librum hũc primorẽ videto, & aliquis mihi negato. Quid ergo eſt? ergo in ſententia quã retigi hæreo, Velleio propoſitũ fuiſſe compendio & annorum ordine complecti res notarum gentium & noti æui. Cœpiſſe eum à Troianis tẽporibus, aut circa, & pertexuiſſe vno filo ad Conſulatum hunc M. Vinicij: id eſt annum vrbis DCCLXXXII. Tiberiani autem imperij XVI. Clarum argumentum ex primordio ipſo quod nunc eſt libelli: vbi caſus & res eorum qui à Troia redierunt. Sed plura interciderunt cum hic tantum Græcorum caſus: non etiam Troianorum, atque adeo nec ipſius Æneæ: quem omittere certe non potuit, auctorem & caput Romanæ ſtirpis. Sed hæc talia, quæ & vbi deeſſe videantur, in locis ſuis adnotabo. Nunc de Numero quid cenſemus? Libelli duo ſunt, ex Rhenani, aut codicis eius, diuiſione. ſed diuiſione. hercle parum ſcita aut æquabili, ſiquis copiam molemq. rerum videat, quæ perierunt. An in vnum & priorem librum incluſeris, quæ à capite omnia deſunt de Græcis à Troia redeuntibus & varie ſparſis: quæ poſtea de Antenore, aut Æneã? quæ de Latii & Albæ regibus: quæ de ipſis regibus Romanorum? imo quæ de Conſulibus aut Tribunis militum, vſque ad bellum Numantinum? Nam hæc omnia (vt illa quidem partitio eſt) neceſſario habuerit liber vnus primus. Non poteſt ô Lector: & profecto pluresin priore libro libri, ſi ſerio examinas & attendis. Quod ipſum vt in Notis meis facias, quas adtextam, te rogo.

AD LIB. I.

CAP. Tempestate distractus à duce suo Nestore.] *Quid Græci Troia redeuntes paßi sint aut fecerint narratio fuit: quæ opida condiderint, aut vbi fixerint sedes De quo tamen proprie hoc initium; Credo de Epio: quo trahit me Iustinus libro* XXI. Metapontini in templo Mineruæ ferramenta, quibus Epius, à quo conditi sunt, equum Troianum fabricauit, ostentant. Et facit Aristoteles in Admirandis: Ἐγγὺς Μεταποντίου Ἀθηνᾶς ἱερὸν εἶναι φασίν, ἔνθα τὰ τοῦ Ἐπειοῦ λέγουσιν ὄργανα ἀνακεῖσθαι, [fort. οἷς τὸν] ἃ εἰς τὸν Δούρειον ἵππον ἐποίησεν. *Strabo simpliciter tamen dixit,* Pylios Metapontum condidisse: *Stephanus alijque* Metabum *nominarunt. de quo ipso quin hæc capere posis, nō nego.*

Eod. Cyprum appulsus, cognomine (*scribo* cognominem) patriæ suæ Salamina constituit.] *Apud Græcos Latinosque paßim hæc historia. Illud nota non indignum tempore Isocratis, Teucri genus adhuc fuisse in Cypri regno. In Euagora:* Τεῦκρος δὲ, ἐπειδὴ Τροίαν συνεξεῖλεν, ἀφικόμενος εἰς Κύπρον, Σαλαμῖνά τε κατῴκισεν ὁμώνυμον ποιήσας τῆς πρότερον αὐτῷ πατρίδος οὔσης, καὶ τὸ γένος τὸ νῦν βασιλεῦον κατέλιπε, Teucer vero, postquam vna cum aliis Troiam cepisset, veniens Cyprum, Salamina ibi condidit, cognominem veteri suæ patriæ, & genus quod nunc ibi regni potitur, reliquit.

Eod. Philippus Ephyram.] *Imo* Phidippus, *ex Homero: quod Aldus obseruauit. Corruptum idem nomen video in Diodori quinto Bibliotheces, & Strabonis extremo nono. cuius (Strabonis dico) locum totum sic lego:* Τοὺς δὲ ἀπὸ Ἐφύρας τῆς Θεσπρωτίδος, ἀπογόνους Ἀντίφου καὶ Φειδίππου υἱῶν Θεσσαλοῦ τοῦ Ἡρακλέους, ἐπελθόντας, ἀπὸ Θεσσαλοῦ τοῦ ἑαυτῶν προγόνου τὴν χώραν ὀνομάσαι. *Quæ, corrupta aut mutila vsque adhuc lecta.*

Eod. Tres ibi vrbes statuit, à patriæ nomine vnam, à victoriæ memoria Mycenas, Tegeam, Pergamum.] *In primogenia Rhenani editione (ea purisima, & sæpe nobis dux ad meliora) vocula addita legas:* statuit, duas à patriæ nomine. *Vulgata sane manca est. Sed quid hæc igitur sibi vult? Duplicem patriam fuisse Agamemnonis? de Mycenis fateor, & clarum est: de Tegea. quæ in Arcadia, quid ea ad Agamemnonem, nondum legi. Nam* Pergamum, *siue, vt Plutarchus in Lycurgo appellat.* (Περγαμίαν) *certum est à victo Pergamo dictam.*

Eod. Regni potitur Ægysthus per annos VII.] *Homerus de hoc ipso, Odyss.* V.

Ἑπτάετες δ' ἤνασσε πολυχρύσοιο Μυκήνης.

Eod. Regnauit. LXX.] *Valde dissentit Eusebianum Chronicon:* Mycenis post mortem Ægysthi Orestes regnauit annis XV. *Credo fuisse* LXV.

Cap. 2. Anno octogesimo post Troiam captam.] *Nota, firmandæ sententiæ nostræ [in præmisis ad Lectorem] de capite & exordio scripti huius Velleiani. Nam manifesto computat à Troia capta. Sed in numero annorum Strabo differt: qui libro* XIII. *scribit*, Penthilum in Thraciam venisse ἑξήκοντα ἔτη τῶν Τρωϊκῶν ὕστερον, ὑπ' αὐτὴν τὴν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπόννησον κάθοδον, sexaginta annis post Troïca tempora, sub ipsum Heraclidarum reditum in Peloponesum. *Itaque diserte ille vult, à Troia capta ad hunc reditum annos esse inter tantum sexaginta. A Velleio tamen cum alij Chronologi, tum vetus ille & industrius Christianorum Tatianus stat: qui notat,* Homerum vixisse περὶ τὴν Ἡρακλειδῶν κάθοδον, μετὰ τὰ Τρωϊκὰ ἐνδοτέρω τῶν ὀγδοήκοντα ἐτῶν, ante Herculidarum reditum, post Troianas res paullo minus annis octoginta. *Idem numerus in Plutarchi, De Homero, An igitur non scriptum Strabonis corrigendum sit, tu amice noster Causabone, qui serius illi medicus, vide.*

Eod. Pelopis progenies ab Herculis progenie expellitur.] *Hoc illud celebre tempus, quod crebro in antiquis Chronicis quasi nota & character temporum signatur* Reditus Heraclidarum. *Atque ab eo initium plerique faciunt historiæ veræ. Diodorus libro.* IV. Ἔφορος ὁ Κυμαῖος, Ἰσοκράτους ὢν μαθητής, ὑποστησάμενος γράφειν τὰς κοινὰς πράξεις, τὰς μὲν παλαιὰς μυθολογίας ὑπερέβη, τὰ δὲ ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου πραχθέντα συνταξάμενος, ταύτην ἀρχὴν ἐποιήσατο τῆς ἱστορίας. ὁμοίως δὲ τούτῳ Καλλισθένης καὶ Θεόπομπος, κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν γεγονότες, ἀπέστησαν τῶν παλαιῶν μύθων, Ephorus Cumanus, Isocratis discipulus, cum res publice gestas scribere instituisset, veteres, quidem fabulationes omisit: illa vero, quæ ab Heraclidarum reditu facta, colligens, hoc initium fecit historiæ suæ. Callisthenes & Theopompus, qui eodem æuo vixerunt, pariter, vt ipse abstinuerunt à priscis fabulis. *Varo paullo aliter tamen tēpora in hunc finem discernit apud Censorinum, cap.* XXI. Varro, *inquit*, tria discrimina temporum esse tradit. Primum, ab hominum principio vsque ad Cataclysmum priorem: quod propter ignorantiam vocatur Adelon. Secundum, à Cataclysmo priore ad Olympiadem primam quod, quia in eo multa fabulosa referuntur, Mythicon nominatur. Tertium, à prima Olympiade ad nos, quod dicitur Historicum: quia res in eo gestæ veris historiis continentur.

Eod. Temenus.] *Quia hic maximus natu, & princeps recensetur: factum vt ipsi tota res tribuatur, aut eius posteris, Tertullianus de Pallio, cap.* II. Sic & Herculea posteritas qui Temeno pariter Peloponnesum occupando producunt. *Id est, vna cum Temeno simulque. Idem corrigendus, De Anima,* cap. XXX. Gloriosi quique occupant terras, vt Scythæ Parthicas, vt Menidæ Peloponnesum, *Legendum,* vt Temenidæ.

Eod. Aristodemus.] *Ergone ipse Aristodemus inter duces? Ita velle Velleium apparet: etsi in dissensu obstinato aliorum scriptorum. His traditum, Aristodemum dum apparatur reditus, fulmine tactum perijsse. in eius locum liberos venisse, Eurysthenem & Proclem. Apollodorus talium rerum diligens* II. *Biblioth.* Ἐκεῖ δὲ ὄντος τοῦ στρατεύματος, Ἀριστόδημος κεραυνωθεὶς ἀπέθανε, παῖδας καταλιπὼν διδύμους, Εὐρυσθένη καὶ Προκλέα, Ibi cum exercitus Herculidarum esset, (*Naupacti scilicet*) Aristodemus fulminatus occidit, filios geminos relinquens, Eurysthenem & Proclem. *Eadem aut similia Pausanias in Corinthiacis, atque alij. Quis à Velleio? damnabam: sed manum calculumque tenuit Herodotus. qui Spartanos ipsos docet, fuisse in eadem hac cum Velleio mente, etsi contra scriptorum vulgus. Ille libro* VI. Λακεδαιμόνιοι γάρ, ὁμολογέοντες οὐδενὶ ποιητῇ, λέγουσι αὐτὸν Ἀριστόδημον τὸν Ἀριστομάχου, τοῦ Κλεοδαίου, τοῦ Ὕλλου βασιλεύοντα ἀγαγεῖν σφέας ἐς ταύτην χώρην, τὴν νῦν ἐκτέαται, ἀλλ' οὐ τοὺς Ἀριστοδήμου παῖδας, Lacedemonij nemini poetarum assentientes, tradunt ipsum Aristodemum, qui Aristomachi, qui Clæodæi qui fuit Hylli, regnantem eos reduxisse in hanc regionem quā nunc obtinent: non autem ipsos Aristodemi liberos. *Ergo bene & ex recondita sententia Velleius.*

Eod. Quorum atauus fuerat.] *Distinctio interponenda:* Aristodemus, quorum. *Nam quem ait fuisse atauum? ipsum Herculem. Stemma tale. Hercules Hyllum genuit, hic Cleodæum, hic Aristomachum, hic Temenum; Cresphontem, Aristodemum. Ex Herodoto supra, aliisque.*

Eod. Imprudenter rixam ciens interemptus est.] *Ille imprudenter? imo dedita opera & studiose rixam ciuit. Sed tu verba interpunge, sententiam & te expedies:* Imprudenter rixam ciens interempus est. *Vult interemptum imprudenter. & ab hostibus ignaris eum esse regem. Quod verum est.*

Eod. Insulam circumfusam Oceano, perexiguo freto diuisam, Gades condidit.] *Hæc vero mira, si Tyria claßis insulam condere potuit: quod nos scimus vnius esse à quo omnia condita. Atqui sententia ea necessario in his verbis: Rescribo:* insula circumfusa & *pariter* diuisa. *Nam ista mens. opidum Gades conditum in insula Oceano circumfusa.*

Eod. Ab iisdem post paucos annos in Africa Vtica condita.] *Iustinus libro* XVIII. Tyrij, missa in Africam iuuente, Vticam condidere. *Mela.* Vtica & Carthago ambæ inclytæ. ambæ à Phœnicibus conditæ.

Eod. Sedem cepere circa Lesbum insulam.] *Obhæreo Ambigua & ἀόριστος ista scriptio, Capere locum circa Lesbum. Vbi? in ipso mari? aut quin igitur nominas & designas An à stili acumine subsidium, & rescribimus?* sedem cepere circa Lesbū insulas? *Insulas inquā, multitudinis numero: & sunt sane plurimæ illic, etiam eæ quas Ἑκατοννήσους appellarunt, etsi vicenas numero, aut, vt alij, quadragenas. Tentabam etiam:* sedem cepere Lesbum insulam. *eiecta vocula, & id valde volebam: sed renuunt scriptores, quorū nemo mihi auctor de occupata ab Orestis liberis Lesbo. Etiam Pausanias de locis circa Lesbum renuit. qui vult in Corinthiacis,* Tisamenum cum suis copiis in partem Græciæ deuenisse, quæ nunc Achaia dicitur. *Imo idem libro* VII. *initio, perisse eum in Achaia narrat, prælio cum Ionibus, & in Helice sepultum. Itaque & nepotes Orestis in eadem Achaia collocat, eodem libro* VII.

Cap. 3. Pelasgi Athenas commigrauere.] *Dionysius* I. *Antiquit. accurate casus & sedes Pelasgorum exsequitur, sed alia omni parte quàm in Attica eos ponit. Etiam Strabō, libro* V. *nisi quod idem (pro Velleij mente) addit:* Historiæ Atticæ scriptores ita Pelasgorum meminisse, vt qui etiam Athenis fuerint, & eos quia vagi fuerint, auium modo πελάργους dictos. *Pausanias pariter lib.* I. *Athenis eos inhabitasse vult ipsam arcem.*

Eod. Aletes sextus ab Hercule.] *Sine circumductione vt loquar, falsum hoc est: nisi alij scriptores falsi. Pausanias lib.* II. Ἀλήτης Ἱππότου τοῦ Φύλαντος τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Ἡρακλέους. *Apollodorus totidem pæne verbis:* Ἱππότης τοῦ Φύλαντος τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Ἡρακλέους. *Quid dicemus?* quintum *reponi debere, sicui tamen tanta sunt* λεπτολογήματα *hæc Græcorum.*

Cap. 4. Athenienses in Eubæa Chalcida, Eretriam, colonis occupauere.] *Strabo conditionem earum vetustiorem facit, libro.* X. Ἀμφότεραι, *inquit*, πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ὑπ' Ἀθηναίων ἐκτίσθαι λέγονται: Vtraque (*Chalcis, & Eretria*) ab Atheniensibus ante Troiana tempora condita perhibetur.

Eod. Cumas in Italia condiderunt.] *Quod ad Chalcidenses solos Velleius refert, alij etiam cum Eretriensibus communicant. Dionysius lib.* VII. *& Solinus. Strabo pro Eretriensibus substituit Cumanos. Sed hanc varietatem in re casca & tenebris æui obsita non miror: miror quid ita Eusebij Chronicon prodat:* Mycena condita in Italia, quæ nunc Cumæ. *An* Misenum *reponimus? sed diuersum id à Cumis. Hæreo, & porrigo herbam.*

Eod. Nocturno æris sono, qualis Cerealibus cieri solet.] *Non quia æs pulsum in Cerealibus tantum sacris. id falsū & ecce.*

Cymbala Thebano concrepuere Deo. *Item.*
Nocte sonat Rhodope tinnitibus æris acuti:

Vt omittam Isidis & Ægyptiaca sacra cum suis sistris. Arnobius etiam vniuerse: Vos æris tinnitibus & tibiarum sonis persuasum habetis deos delectari & affici. *Cur ergo Cerealia eximiè nominat? quia de* nocturno æris sono *sermo est. & sacra illa noctu: idque cum clamore & clangore. Iustinus lib.* II. Iussis matronis solito clamore ac strepitu etiam in accessu hostium, sacra (*hæc Cerealia*) celebrare.

Eod. Neapolim condidit.] *Imo Palæpolim prius. Liuius lib.* VIII. Palæpolis erat haud procul inde, vbi nunc Neapolis est. Duabus vrbibus idem populus habitabat. Cumis erant oriundi.

Eod. Iones, duce Ione, profecti Athenis.] *Satin' in hæc narratiuncula, ô Vellei,* φρένες *tibi* ἔμπεδοι? *nō videntur. Ionem ducem tu coloniæ huius facis: atqui Auctoritas te oppugnat, & Ratio ipsa. Auctoritas, magnorum ecce testium: qui à Nileo, Androclo, & Cedri filiis coloniam hanc constanter asserunt deductam Strabo libro* VIII. Μετὰ τῶν Κοδριδῶν ἔστειλαν τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν εἰς τὴν Ἀσίαν. Vna cum Codri filiis miserunt Ionicam in Asiam. *Pausanias lib.* VII. Νηλεὺς καὶ οἱ λοιποὶ τῶν Κόδρου παίδων ἐς ἀποικίαν ἀπεστάλησαν. Nileus & reliqui Codri filij in coloniam dimissi. *& plura vterque ille scriptor de tota re distincte. Inter Latinos etiam Tertullianus, de pallio:* Iones Nilei comites Asiam nouis vrbibus instruunt. *Et Ammianus:* Milesij inter Ionas alios in Asia per Nileum multo ante locati, Codri illius filium, qui se pro patria bello fertur Dorico deuouisse. *Quin & Plutarchus Nileum in hac deductione nominat libello de exsilio. Iam ratio in te, à tempore: Verus ille & vetus Ioas Xuthi filius, ducentis pæne annis maior hac deductione quia vixit Danai atque Eumolpi æuo. Quomodo nunc igitur coloniæ dux? Agnoscimus vel hinc Velleij* τὸ παράλογον, *pro quo nullus mihi quidem color.*

Cap. 5. Homeri illuxit ingenium sine exemplo maximum.] *Vel quia nemo poeta ante eum, vel quia nemo postea ad eum. id est, quia sine comparatione maximus, & cui neminem adæques. In aere volat hic Pegasus. ceteri pedibus pulsant terram.*

Eod. Qui magnitudine operum, & fulgore carminum, solus appellari Poeta meruit.] *Amo, amo te Vellei, ob hæc iudicia. Ille vero non summus solum poetarum, sed solus. Nam quis aliorum non peccat? at iste* μόνος τῶν ποιητῶν οὐκ ἀγνοεῖ ὃ δεῖ ποιεῖν αὐτόν: solus poetarum non ignorat quid factu scriptuque decorum sit. *Ita magnus Aristoteles censuit. quem Iulius Scaliger cum vbique audiat, cur hic spreuit? Ille Aristotelem quasi Deum habuit, at hic Homerum. Alibi inquit:* Θεσπέσιος Ὅμηρος παρὰ τοὺς ἄλλους, dinus Homerus preter ceteros. *Iterum:* Λέξει καὶ διανοίᾳ πάντας ὑπερβέβληκε: Dictione & sententia cunctos supergressus est. *Atque hæc ille vir, qui laudum & benignioris iudicij valde parcus. Quid Plato? ille ipse qui ciuitate eiecit, cælo ostendit dignum.* Ὅμηρος, *inquit*, ἄριστος καὶ θειότατος τῶν ποιητῶν: Homerus optimus & diuinissimus poetarum *& paßim talia præconia in eius scriptis. Alios quid cumulem? nemo tam consentienti iudicio sapientum omnis æui laudatus est: & id ab iis maxime, qui ipsi laudatißimi. Abi igitur Imperitia aut Liuor. tu carpere, tu capere non potes* immortalem hanc cælestemque naturam.

Eod. Quod neque ante illum, quem ille imitaretur: neque post illum, qui eum imitari posset, inuentus est.] *Vtrumque verum est. Nam & Homerus* primus doctrinarum & antiquitatis parens. *nec post eum natus, qui germanitus exprimeret aut referret. Non ergo ipse Virgilius? non, Velleio quidem iudice: atque etiam acri illo Fabio: cuius hæc verba.* In verbis, sententiis, figuris, humani ingenij modum excedit: vt magni viri sit virtutes eius non æmulatione quod fieri non potest, sed intellectu sequi. *Et profecto ita est, Omnium rerum, omnium artium, omnis non prudentiæ solum, sed sapientiæ, vestigia, aut expressa aut recondita sunt in illo. Quem haud temere Themistius dixit,* πρεσβύτερον καὶ ἀρχέγονον τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους λόγων, primum parentem auctoremque Platonis & Aristotelis sermonum. *Et Dionysius:* Κορυφὴν ἁπάντων καὶ σκοπόν, ἐξ οὗ προρρέουσι ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρῆναι, verticem omnium & quasi scopum ex quo cuncta flumina cuncta maria, cuncti fontes. *Sed diffundor in laudes viri, quem fateor me non æstimare, sed venerari; nec venerari, sed penè dicam adorare.*

Eod. Hic longius à temporibus belli quod composuit, Troici, quàm quidam rentur, abfuit.] *Omnia in hoc homine sunt (fas sit dicere) Genio obscura: Parentes, Patria,*

Ætas ipsa. Sed de Ætate, certum antiquissimum esse: & Iosephus contra Appionem asserit, Nullum omnino apud Græcos, de quo constet, scriptum exstare, quod sit Homeri carminibus antiquius. Crates & alij LXXX. circiter annis à bello Troiano remouent. Aristoteles CXL. tempore nempe deductæ Ionum coloniæ. Herodotus CLXXIII. At Velleius noster inferiorem multo facit: & ex eius computatione (tu si voles, numera: facile est) anni ad Homerum à Troiâ sint nullo plus CCLX. Quæ ipsa Latinorum plurium opinio est: pressa etiam in Agellio, sed nunc corrupta. Ille libro XVII. in diuite illo Chronico: Homerū ante Romam cōditam vixisse Siluiis Albæ regnantibus: annis post bellū Troianum, vt Cassius in primo Annalium scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta; ante Romam autem conditam, vt Corn. Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centū & sexaginta. Tu emenda: Annis post bellum Troianum plus ducentis atque sexaginta. Nunquam aliter scripsit Cassius: & euincit ipsa Agellii insequēs scriptio. Nam ponit eum vixisse ante Romam conditam annis circiter centum atque sexaginta. Atqui si prior ille numerus verus: ergo à Troiâ captâ ad Romam natam fuerint modò anni CCCXX. Palam id falsum: & Chronologi consensu statuūt supra annos CCCCXXX. alii plures. Eusebianum etiam Chronicon hic fœdatum: facile emendatu ex hisipsis.

Cap. VI. Imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis ∞. LXX. trans latum est ad Medos] De numero ambigo. Largior ille certè in aliis: vt Iustino, qui mille trecentos annos Syriaco imperio tribuit. Vt Diodoro Siculo, qui mille quadringentos. nec longè ab eo Georgius Monachus qui ∞, CCCLX Eusebius etiam, ∞. CCXL. His adducor, vt in Velleio quoque scribam ∞. CCXXX. qui est Orosianus ferè numerus, lib. II. cap. III.

Eod. Abhinc annos fermè DCCLXX.] Ergone hoc gestum post Romam conditam? non, ex ipso Velleio & temporum textu. Adde omnino centenariam notam, & scribe DCCCLXX.

Eod. Tertio & tricesimo loco ab Nino] Diodoro Siculo est, Tricesimo loco saltem: at Eusebio, Tricesimo sexto. Quid miremur varietatē hāc in re locis tēporibusque remotā? Sane res Syriaticæ parū perspectè cognitæ Græcis Latinisque.

Eod. Vir generis regii] Ita. nam ab Aristodemi filio Procle originem duxit, qui rex & posteri eius Spartæ. Suidam corrige: Λυκοῦργος Σπαρτιάτης Παβοκλέους ἀπόγονος. imò Προκλέους. Idem error in Plutarchi Lycurgo, vbi stirpem hanc inquirit: Ἀλλὰ Πατροκλέους μὲν τοῦ Ἀριστοδήμου γενέσθαι Σόον. iterum Προκλέους. Sed & in Platone hoc mendum III. de Legib. Καὶ βασιλεὺς μὲν Ἄργους Τήμενος ἐγίγνετο. Λακεδαίμονος δὲ Πατροκλῆς καὶ Εὐρυσθένης. Tolle, tolle. Nam certum ex Apollodoro, Pausaniâ, Scholiaste Pindari, aliisque Proclem ei fuisse verum nomen. Æmilius Probus in Agesilao: Mos est Lacedemoniis traditus, vt duos semper reges haberent ex duabus familiis Proclis & Eurysthenis, qui Principes ex progenie Herculis Spartæ reges fuere. Cur autē duo simul, caussa siue occasio à Panegyrico scriptore promitur, ad Maximianum: Sic fit vt tantū vobis imperium commune sit, & planè, vt gemini illi reges Lacedæmone Heraclidæ, remp. pari sorte teneatis. quanquam hoc vos meliores & iustiores, quod illos mater astu coegit, cum nemini fateretur, quem prius edidisset in lucem, pari ætatis auctoritate regnare: vos hoc sponte facitis.

Eod. Seuerissimarum iustissimarumque legum auctor, & disciplinæ conuenientissimæ vir.] Conantur emendare: continentissimæ. sed conantur. Nos scribimus, conuenientissimæ viris. De Lycurgo sermo est, quem auctorem ait seuerissimarum legum & simul disciplinæ aptissimæ viris. Nonne ita est? Spartana illa disciplina & institutio, adstricta, rigida, & quæ verè faceret viros.

Eod. Caranus vir generis regii.] Iterumne hoc commātion, vir generis regii? Atqui paullo antè præiuit de Lycurgo. Censeo hic ineptè insitum. deletor. Quid si nec è regibus Caranus? non legi: sed hoc tantum. Κάρανος εἷς τῶν ἡρακλειδῶν: Caranus vnus ex Herculis posteris. Ita Suidas. Vide & Solinum cap. XV. & Pausaniam lib. IX. extremo: & diffusè Iustinum libro VII.

Eod. A quo magnus Alexander cum fuerit septimus decimus] Vide iterū varietatem, & ride. Duodecimus est Iustino: vigesimus quartus Eusebio. Iam in tota summa quā differunt? Iustinus triginta modo reges ad Persea Philippi F. numerat: Eusebius quadraginta: Liuius non nisi viginti. Ideo malè curiosi illi, qui hic ex Iustino Velleium corrigunt.

Eod. Materni generis Achille auctore] Nam Alexander per Olympiam genus ad Neoptolemum referebat: auctor Plutarchus. Hoc aspectu sequentes quoque Macedonum reges Achillæum genus iactarunt: vt Philippus ille pater Persis, cui bellum Romani fecere, Silius:

Hic gente egregius, veterisque ab origine regni
Æacidum sceptris, proauoque tumebat Achille.

Et ita interpretandi Propertiani isti versus:

Et Persen proaui simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proauus fregit Achille domos.

Interpretandi? imo & corrigendi. Nam in vett. scriptisque libris reperio, stimulantem. bene si amplius etiam emendes, proauo & Achille. Ordo & sententia verborū hæc est: Testor Persen, qui stimulabat excitabatq. se ad magna, proauo Achille; siue memoria rebusque gestis Achillis. Omnino hæc sententia. Vulgata friuola aut falsa. Quomodo Perses simulauerit pectus magnanimi herois, qui ipse palam timidissimus & ignauissimus hominum? Res gestæ atque exitus eius leguntor.

Eod. Æmilius Sura de annis populi Romani.] Sintne hæc integra & sine hiatu; imo sintne Velleiana, addubito. Nō solet inserere aut aduocare verba auctorum, nec in compendio isto valdè decet. Tamen sunto. Quis iste Æmilius Sura? non repperi. Hoc tantum, in Plinii Indicibus aliquoties laudari Manilium Surā. An illū teneas, an hūc substituas, tu vide.

Cap. VII. Inter hoc tempus, & initium Nini regis, intersunt anni ∞. DCCCCXCV.] Caute lege. Quod hoc tempus? an Velleianum, vti solet numerare? minimè. sed hoc, quo summa rerum, victis Macedonibus & Antiocho, peruenit ad Romanos. Ab eo inquam tempore sursum computando ad Ninum, tot sunt anni. Nisi obseruas, numeri nimis falsi.

Eod. Huius temporis æqualis Hesiodus fuit.] Cuius item temporis: non iam dicti, sed retrorsum flecte oculos ad Catanum, Cùm ille ad regnum venit, hic ad Musarum fontes. Ista ipsa coniunctio temporum suggerit, totum illud Æmilianum insiticium esse, & ab alio quam Velleio adtextum.

Eod. Circa CXX. annos distinctus ab Homeri ætate.] Scio quid iam olim, quid hodie, surper hac rescriptum: tamen venia mihi vnius liberioris iudicii esto. Arbitror & imbibi Hesiodū vetustiorē Homero esse. Quin alter ab altero versus & hemistichia pluscula sumpserit, negari non potest: sed meis auribus atque animo maior simplicitas, &, vt sic dicam rudior antiquitas in Hesiodo comparet. atque ille præiuerit magnus vates maximo vatum.

Eod. Patriamque & parentes testatus est, sed patriā, quia mulctatus ab ea erat, contumeliosissime] Exstant hodieque ii versus male amici in natale solum:

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ.

Eod. Aiunt à Tuscis Capuam Nolamque conditam] De Capua condita variæ sententiæ, & alibi promptæ: nec libet exsequi. De Nola, ab Iapygibus conditam eam Iustinus ait: at Solinus cap. VIII. à Tyriis. Quod Solinianum iure miratus sum. nam quæ alia opida, in Italiæ eo tractu, Tyrii condiderunt? nos non legimus, & fidenter rescribimus, à Tyr-

rhenis: vt consentiat cum Velleiana traditione. aut si forte, Thuriis, Sane & Polybius Tyrrhenos habitasse ait Phlegræos campos, qui circa Capuam & Nolam sunt.

Cap. 8. Certamen Olympiorum initium habuit, auctore Iphito Elio.] Varia super origine nobilium ludorum dicta scriptaque sunt: sed nemo tamen initium ad Iphitum hunc retulit, dumtaxat instaurationem. Atque adeo à primo initio ad huius tempus sunt anni circiter CDXXX. Non ergo putamus Velleium παραλόγως ita sensisse siue scripsisse in Primogenia editione est: auctorem Iphitum Elium. Hinc lego Certamen Ollimpiorum initum, habuit auctorem Iphitum Elium. Tunc nouiter, inquit, initum longo scilicet post institutionem interuallo. Ipse certe statim adiungit, & fatetur ab Atreo eos primitus institutos.

Eod. Is eos ludos mercatumque instituit.] An potius restituit? Tamen fero etiam Instituit; nempe perpetuos istos & certa quadam lege. Potest & institutio ad Mercatum referri, quasi non is antea Sic autem appellat, quod Græci πανήγυριν. Strabo de templo Olympiæ, lib. VIII. Τὴν αὔξησιν ἔλαβε διὰ τὴν πανήγυριν, καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν Ὀλυμπικόν.

Eod. Ante annos quàm tu M. Vinici consulatum inires DCCCCIV.] Atqui prima Olympias Iphithæa præcedit dumtaxat natalem vrbis (ex Velleij mox sententia) annis XXII. Sunt autem ab illo ad consulatum Vinicij anni DCCLXXXII. Itaque clarū est, scribi debere: DCCCIV. detracta centenaria nota.

Eod. Abhinc annos ferme ∞. CCL.] Ergo aliter paullo, & laxius quam alij, Velleius putat. Nam Clemens Alexādrinus à ludis primis ad Iphithæos spatium facit CDXXVII. annorum: Eusebius, Bedas, alij, CDXXX. Atqui ex hac Velleiana summa necessum est fuisse CDXLVI. Malim certe hic scribere, ∞. CCXL. vt minus paullo exorbitet.

Eod. Atreus cum Pelopi patri funebres ludos faceret.] Rara aut noua hæc sententia, vt multa nobis in Velleio. Nam plerique alij, non ad Atreum, sed ad Herculem gloriā hanc referunt: quia, vt ille inquit, quidquid vbique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus. Atqui Velleius vult Herculem dumtaxat hic certasse, nec ἀγωνοθέτην fuisse, sed ἀγωνιστήν. Illud etiam alibi reperio, ludos hos factos in honorem Pelopis defuncti, & fuisse funebres. Clemens Ad Gentes: Pisa autem vobis, ô Græci, est sepulchrum aurigæ Phrygis & Pelopis inferiæ. Ipse Apollodorus, qui Herculem auctorem facit, tamen Pelopis aram exstructam hic agnoscit, grande argumentum pro sententia Velleiana. A quo enim iustius tales ludi aut honos, quam à filio? Verba Apollodori: Ἔθηκε δὲ καὶ τὸν Ὀλυμπικὸν ἀγῶνα, Πέλοπός τε βωμὸν ἱδρύσατο. Instituit & Olympicum certamen, & Pelopi aram posuit. Opinio autem quæ Herculem auctorem fecit, originem habuit ab Homero: qui de quattuor equis certatoribus & victoribus meminit, interceptis ab Augea Eliensium rege. Vide, si voles, locum ipsum Iliados λ. [Vers. 6.7.] Itaque passim Grammatici & Historici transeunt in hanc partem: imo & Pindarus disertis verbis Olymp. Eid. 6. Ὀλυμπιάδα δ' ἔστασεν ἡρακλέης ἀκροθίνια πολέμου. Non dissentit tamen solum, sed refutat Strabo libro VIII. & docet Homericis versibus non hanc esse mentem.

Eod. Quo in ludicro omnis generis certaminum Hercules victor fuit.] Videtur dicere Herculem victorem fuisse in omni genere certaminum. At damnat reiicitque valde Pausanias: qui abunde & accurate de his talibus libro V. Ille igitur tradit, primis ludis Iolaum curru; Iasium equo singulari, Castorem cursu, Pollucem cestibus vicisse: ipsum Herculem, fama ferri, lucta & pancratio. Itaque malim verba hæc sic distingui & accipi, vt sit: Quo in ludicro Hercules victor fuit, ludicro inquam omnis generis certaminum.

Eod. Tum Athenis perpetui Archontes esse desierunt.] Quando? & quo refers hoc Tum? an ad Olympiadem primam? Videtur ex sorte sermonis. Tamen ratio aut certe auctoritas dissuadet: alijque volunt, Archontes istos desiisse demum Olympiadis septimæ anno primo. Ita clare Eusebius, & Dionysius Halicarnassæus. [Lib. I. Antiquit.] vbi de conditu vrbis Romæ. Aut benigne igitur laxeque interpretare, Tum, id est annis aliquot post: aut potius mecum cense hiatum defectumque hic esse, & periisse quæ interseruit à prima Olympiade ad sextam.

Eod Vltimus Eryx.] In Eusebio est Erixias.

Eod. Sexta Olympiade.] Omnino. nec aliter potest, ex ratiocinatione quam adiungit. Nam scribit, post viginti duos annos à prima, Romam conditam. Id necessario est Sextæ Olympiadis anno tertio. quæ ipsa Varronis sententia, Plutarchi, Eutropij & aliorum est. Dissentiunt alij: non miror. Hoc valde, virum magnum, vbi argumentum hoc ex professo tractat, scripsisse, Velleium sentire conditam Romam Septimæ Olympiadis anno secundo.

Eod. Romulus vltus iniurias aui.] Dehinc ad res Romanas iam delabitur. Vbi ergo Latini Albanique reges, & omnis illa stirps Æneæ? An credibile est eum initia ipsa rerum Romanarum omisisse, qui tam curiose exsecutus sit externa? non potest. & hic quoque aut ante alibi lacuna grandis.

Eod. Id actum post Troiam captam annis CDXXXVII.] Qui largissime cōputant, efficiunt tantum CDXXXII. plerique alij pauciores. Et hercules à Troia capta ad primā Olympiadem Africanus annos interponit. CCCCVIII. Tatianus CCCCVII. è Latinis pleriq. & Eusebij Chronicon; CCCCVI. aut CCCCV. Quibus si addas Velleij istos XXII. medios ad natam Romam, non explebis vulgatam summam Ego igitur recidendam Septenariam notam censeam, siue mauis Denariam. Vtrouis modo accommodes ad aliquam è sententiis prædictis.

Eod. Adiutus legionibus Latini aui sui.] Obsecro, an Latino nomen fuit auo Romuli? quem testatissimum est Numitorem fuisse. Nisi tamen sententiæ rarioris adfectator Velleius quam in Dionysio quoque habes: natum Romulum ex Electra Latini filia. Sed vix opiner, & potius litterulæ adtextu scribam, Latinis Vult legiones fuisse è Latio.

Cap. 9. * quàm timuerat hostis, expetit.] Defectus clarus, & alijs iam notatus. Scito autem deesse Romanos omnes reges; Romanos omnes consules Tribunosue militum: vsque ad annum DLXXXII. id est, plus dimidia parte scripti Velleiani. Et aliquis credet coniecta hæc omnia in libellum vnum priorem fuisse? non qui attendet. Sed in hisipsis verbis, quid narratum, aut quæ sententia? de Perse rege Macedonum fuit: quem ait grauiorem multo hostem fuisse, quàm expectassent. Itaque legam, exstitit, non expetit: quasi fuisset, grauior quam timuerat, hostis exstitit. Timuerat autem, nempe Populus Romanus.

Eod. Biennio adeo varia fortuna rem gessit.] Biennio tantum? at quadriennium tenuit hoc bellum. Sed recte tamen Biennium: quia priores duo anni saltem in fortuna varia, reliqui magis prosperi Romanis.

Eod. L. Æmilium Paullum, qui & Prætor & consul triumphauerat.] Ab Antiquariis nostris (Sigonio & Manutio) erroris damnatur Velleius, aut exscriptor: nec vnquam in Prætura triumphasse Paullum. Ergo corrigunt: Paullum qui & priore consulatu triumphauerat, sed ipsi corrigendi. Ego recte & vere aio à Velleio ita scriptum Lapis Romæ:

L. ÆMILIVS L. F. PAVLLVS
COSS. II. CENS. AVGVR
TRIVMPHAVIT. TER.

Si ter triumphauit Paullus, quando primum nisi in Prætura? Nam duo alij triumphi manifesto in consulatu vtroque interuenerunt: prior de Liguribus, hic de Perse: triumphasse autem in Prætura etiam Plutarchus satis argumento est: qui ait, missum Paullum adhuc priorem in Hispaniam Proconsulari imperio, cum fascibus duodecim, ibi cecidisse ad

xxx. ∞. hostium. *in Liuio* XVIII. millia *legas, libro* XXXVI. *sed nempe de solis Lusitanis. Si autem tot millia cæsa, nonne debitus triumphus? Imo & delatus, quod ex Liuio ibidem colligas, qui mox addit* decretam supplicationem, ob res ab Æmilio in Hispania gestas: *at ea semper fere dux triumphi Sed idem Liuius: de triumpho indicat in Epitoma.* XLVI. *Triumphauit ergo, & marmori ac Velleio hoc credamus. Adde & Suidam in* Λεύκιος.

Eod. Ratione magis, quàm vi persuasit.] *Velim,* oratione magis.

Eod. Assidua eminentis fortunæ comes inuidia. *Atque etiam (ætas omnis vidit) famæ eminentis. Liuius in hac ipsa redixerat?* Intacta inuidia media sunt, ad summa fere tendit.

Eod. Bis millies centies H-S.] *Variant in summa Liuius ait,* Summam omnis captiui auri argentique fuisse H-S. millies ducenties: *nimis infra Velleianum calculum nisi emendas (ego ita optem)* bis millies. *Nam in Plinio quoque* intulisse Æmilius Paullus: legitur, Prædam pōdo trium millium: *siue, vt manu scripti*: sestertium ter millies. *Itaque hoc quoque fecerit augendo numero Liuiano, quoniam grandius quam vel illud Velleij.*

Cap. 10. M. Popillius Lænas.] *Plinius erat, qui hunc* C. Octauium *appellat, & historiam siue facta duplicia miscet ac confundit. Qui nuper Plinium recensuit & adnotauit, frustra est in viro defendendo. Tu, si voles, fontem ipsum erroris eius reperies in Ciceronis Philippica Nona.*

Eod. Sic cogitationem regiam Romana disiecit constantia.] *Non negabis aptius esse:* contationem regiam. *Tardabat enim respondere, & deliberaturum se dixerat.*

Eod. Fuluij Censoris frater, & quidem consors.] *Placebat legere,* concors, *sed desino, cum in Liuio quoque legam libro* XLI. Frater germanus, &, vt Valerius Antias tradit, censoris etiam consors erat. *Consortem autem hic interpretor, cum Glossis priscis* κοινόβιον, *eiusdem mensæ eiusdemque tecti.*

Cap. 11. Cui ex virtute Macedonici nomen inditū.] *Probe, non tamen pure. Nam in primogenia editione est*: inditum erat. *Scribo*: inditum hæret.

Eod. Duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octauiæ porticibus ambiuntur.] *Plinius de hisdē* Neque Sauron & Batrachum oblitterari conuenit, qui fecere templa Octauiæ porticibus inclusa. *Sed an Ædes ea sine inscriptione; asserit Velleius: negat idem Plinius qui sic lib.* XXXVI. *cap.* V. Intra Octauiæ porticus in Iunonis æde, Æsculapius ac Diana. *Et eodem capite sub finem, alterum templum inscribit* Ioui. *Quid nos dicimus? Velleium de alia inscriptione sensisse: non numinis, sed hominis eiusque qui dedicauit.*

Eod. Hanc turmam statuarum equestrium.] *An de ista Plinius capiendus libro* XXXIV? Alexandrum amicorumque eius imagines summa omnium similitudine Lysippus expressit. Has Metellus, Macedonia subacta, transtulit Romam. *Apparet. turbat tamen quod Amicos appellat, qui aliis non nisi milites sunt, atque adeo Arriano sociales. Ipse ita libro* I. Μακεδόνων δὲ τῶν μὲν ἑταίρων ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι καὶ πέντε τῇ πρώτῃ προσβολῇ ἀπέθανον, καὶ τούτων χαλκαῖ εἰκόνες ἐν Δίῳ ἑστᾶσιν, Ἀλεξάνδρου κελεύσαντος Λύσιππον ποιῆσαι: E Macedonibus circiter viginti quinque prima aggressione ceciderunt, eorumque æneæ imagines in Dio opido positæ, Alexandro iubente à Lysippo eas fieri. *Similia in Alexandro Plutarchus. Sed Plinius in opinione fuisse, qua Velleius, videtur: qui scribit hos* equites ex ipsius (*Alexandri*) turma apud Granicum cecidisse. *Si è turma regia: profecto assidui apud eum, alijs digniores, & quasi amici. Quod autem Arrianus notat Statuas eas in Dio positas* *alij* Iouis templum *verterunt. nec valde repugnem, nisi quod de Dio opido magis signate & probabiliter ceperis, quoniam Liuius (Lib.* XLIII.) *prodidit hanc* vrbem exornatam publicis locis & multitudine statuarum. *Est in Macedonia, regione Pieria.*

Eod. Hic primus omnium Romæ ædem ex marmore molitus.] *Quid intelligis? Vtrumne marmoream ædem primitus à Metello in vrbe Roma structam? an potius, vrbis ipsius Romæ templum? Nam cultam eam vt Diuam, ac templa arasque passim positas alibi (In Com. ad Tacit.) à nobis doctum. Si hæc mens, (vt puto:) notabile sane principium adorationis huius siue adulationis. Quod Smyrnæi apud Tacitum* III. *Annal. gloriantur* se primos templum vrbis Romæ statuisse: *à sententia nos non demouet, quoniam de primis prouincialium hoc capiendum est. At si prior sententia cuiquam placeat, illi expediendum est quæ sit ista Ædes, & cui Deo? cur non nominet? Nam de priuata ipsius Metelli (vt omittam, quod* Ædes, *eo sensu magis scripsisset) non potes capere: quia marmor serius adhibitum ad ædificia priuatorum. Plinium vide. qui tamen originem primam marmoris quæsiuit magis, quàm inuenit. Eo magis Velleij hæc notanda.*

Eod. Nam præter excellentes triumphos] *Pluries ergo Metellus hic triumphauit? non inuenio imo semel, & de Macedonia tantum. Itaque Valerius de hac ipsa eius felicitate, libro* VII. Speciosissimi triumphi prætextam largita est. *Vnum ecce agnoscit. Rescribi velim*: præter excellentem triumphum.

Cap. 12. Magis inuidia imperij, quàm vllius temporis noxiæ.] *Editio prima*: quàm vllius eius temporis. *Hinc fecerim*: quàm vllis eius temporis noxis. *Non enim vult nunquam eos peccasse aut nocuisse, sed non illo tempore cum decretum. idque verum est.*

Eod. Ante annos CCXCVI.] *Iusta computatio,* CCXCII. *Paullo ante etiam.* CLXXIV.

Eod. Neque se Roma securam sperauit fore, si nomen vsquam stantis maneret Carthaginis, adeo odiū certaminibus ortum, vltra metum durat, & ne in victis quidem deponitur: neque ante inuisum esse desinit quā esse desiit.] *Pluscula verba adscripsi, quia cōfusio & corruptio sparsa per circūductionis huius corpus. Implexa omnia aut inepta: tu sic expedies.* si nomen vsquam stantis maneret Carthaginis: (adeo odium certaminibus ortum vltra metum durat, & ne in victos quidem deponitur.) neque ante inuisa esse desiit, quàm esse desiit. *Egregiam acutamque sententiam sic efficimus. obserua. Primum parenthesi includenda Gnome est, quam opportune narratiunculæ huic miscet: in qua* victos *legimus, non* victis *hac mente: vt velit odium diutina æmulatione aut contentione firmatum radices ita agere, vt nec in victos subiectosque deponatur, & certent non de honore, sed de vita. Tum deinde cōtinuāda iterū oratio: & narratio legendumq.* Inuisa, *non* Inuisum, *vt ad Carthaginem ipsam referatur: itemque* Desiit: *non* Desinit. *Atque ita lucem fecerimus, nisi fallor, sententiæ vniuersæ.*

Cap. 13. Omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit.] *Nimia pro Scipione laus, fuisse doctrinæ omnis auctorem. Scribo.* fautor: *& id Principi ac militari viro conuenit.*

Cap. 14. Statui priorem huius voluminis posterioremque partem non inutili rerum notitia in arctum contracta distinguere.] *Obserua. Ergone in priore libelli huius parte catalogus similis? ipse palam dicit. Sed qua fuerit huius voluminis prior pars, id vero non liquet. An cœpit ab vrbe condita? an potius ab ea capta? Hoc ego crediderim, ratiocinatione facta ex mole & congerie rerum. Ibi igitur opportune Colonias recensuit, sed eas dumtaxat quæ deductæ à nata vrbe ad eandem à Gallis captam. Fuerunt autem numero septemdecim, notæ omnes & pleræque inclitæ. Fauet nostræ coniecturæ hoc: quod, nisi illic recensuisset, cur hic omitteret? cur de industria & testato ordiretur,* post septem annos, quàm Galli vrbem ceperunt? *Sane omissio illa aliter prætexi aut excusari non potest.*

Eod. Per idem tempus ciuitates propagatas.] *Quas ciuitates? logi & flocci, Scribe:* ciuitatem propagatam. *singulari numero: & accipe de Romana. Ego, inquit, colonias recensebo: & eadem opera, communicatam cum finitimis ciuitatem. Vtrumque enim ad ampliationem imperij spectat: siue cum missi in exteros è ciuibus coloni, siue cum exteri admissi in ciues. Clarum hoc ex ipso contextu Velleij. cui passim inseritur,* Aricini in ciuitatem recepti. *item:* Aceranis ciuitas data. *& plura tu vide.*

Eod. Campanis data ciuitas.] *Imo ante data. si Liuio fides, lib.* 8. Campanis equitibus, honoris caussa, quia rebellare cum Latinis noluissent, sine suffragio ciuitas data. *Id ipse refert in Consules L. Furium, C. Mænium: essetque quadriennium ante Velleij notam. Sed enim Liuius ibi signate de equitibus tantum commemorat, noster de Campanis vniuersis. Illi ergo beneficio hoc priores affecti.*

Eod. Eo ipso anno quo Alexandria condita.] *Idem Patauinus conditam vult C. Poetilio, L. Papirio Cursore* Coss. *& Solinus cum eo, cap.* 35. *itemque Cassiodorus hoc esset quadriennio serius, quam pro Velleij calculo.*

Eod. Luceria.] *Decennio toto Liuius dissentit. Quid ista fastidiose colligam? Commentarius proprius huic rei instituendus sit: quam tamen satis industrie libarunt Sigonius & Onuffrius boni vindices rerum Romanarum.*

Cap. 15. Quamquam apud quosdam ambigitur.] *Ita. Nam Liuius ecce lib.* 34. *deductos Puteolos vult anno* DLX. *quod esset ante Bononiam, Potentiam, & omnes iam dictas.*

Eod. Cui in demoliendo eximia ciuitatis seueritas.] *Sententia clamat legend.* emoliendo. *Cœperat moliri theatrum: emoliri non potuit, ciuitate & Scipione resistente.*

Eod. Consul Cæpio.] Scipio *scribendum, idque certum est: sed an tunc* Consul? *Consularem eum fuisse, & iam abiisse honore illo, Epitoma Liuij & Fasti euincunt. Nam de Scipione Nasica sermo est, qui Consul secundum fuit, biennio ante Valerium Messallam & Cassium Longinum Censores. Quomodo ergo Consul id impedierit? Tamen haut temere in Velleio mutem, qui tempore fortassis Censuræ huius aliter digessit. præsertim cum Appianus pro eo* I. *Ciuil.* Τῷ δ᾽ αὐτῷ χρόνῳ, *inquit,* Σκιπίων ὕπατος καθεῖλε τὸ θέατρον ὃ Λεύκιος Κάσσιος ἤρχετο. Eodem tempore Scipio Consul diruit theatrum, quod cœperat Lucius Cassius.

Eod. Neque facile memoriæ mandauerim, quæ nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.] *Videtur ergo duo genera Coloniarum facere, Ciuilem & Militarem. Illam dicere, quæ ex ciuibus togatis & miscellis deducta: hanc, quæ è legionibus cohortibusve cum militia scilicet defunctæ collocabantur in opidis & agris, & id quasi premium habebant sanguinis pro rep. fusi Sed tamen Velleius, quidquid excuset, ne Togatas quidem illas cum cura satis enumerauit. Video omissas in hoc recensu colonias ad* XIX. *& quasdam ex iis vel maxime illustres. E Liuio disces.*

Cap. 16. In eam formam, & in idem artari temporis congruens spatium.] *Congrua magis lectio:* in eandem formam. *itemque:* congruant. *Velim etiam interrogatione clausulam attolli.*

Eod. In vnum quoque corpus congregantur.] *Scribe,* quæque: *& paullo ante:* aliove.

Eod. Nouam comicam Menandrus.] *Vox* comicam *redundat, & ascititia est Statim,* imitandam, *pro* imitanda *scribe.*

Eod. Philosophorum ingenia omnium, quos paullo ante enumerauimus.] *Vbi enumerasti? nusquam in iis quæ nunc sunt. Periit ea quoque pars, & doleo.*

Eod. Adeo quidem artatum angustiis temporum.] *Lubet legere:* adeoque iidem artati.

Cap. 17. Per Cęcilium, Terentiumque, & Afranium.] *Ergo Plautum inter laudabiles Comicos omittis? quo tibi mens, quæ ante recta? Sed indicio hoc factum, non neglectu aut contemptu: quia Plautus paullum istis maior, nec fecerit ad Velleianæ opinionis firmamentum.*

Eod. Sub pari ætate.] *Corrige,* suppari.

Eod. Et in studium par & in emolumentum.] *Inspicienti legendum mecum videbitur,* emolumentum. *Nam hoc ait, Ingenia congregari à quoque sæculo & in idem studium, & in parem fere effectum. Volunt idem, & idem fere emoliuntur. Tamen & vulgatum fero, ac capio.*

Eod. Sequiturque vt frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit.] *Resisto. Perfecti patratique operis quomodo aliquod impedimentum esse potest nec dij quidem, vt vetus verbum habuit, reuocauerint aut impedierint facta. Vide num legend.* indicamentum sit. *Velleij mens ita suadet, qui iam ante dixit* difficilem in perfecto moram esse: *& ingenia nouæ laudis stimulo aliorsum trahi, & quærere illibatam materiam. Itaq; nunc addit: maximum hoc esse perfecti operis indicium, transiri vulgo ad aliud opus.*

Cap. 18. Ad conditionem temporum & ad vrbium.] *Legendum docuimus,* ab conditione temporum. *Quod notatum quoque video Iac. Sceghio eximiæ spei iuueni, si manet in via recta. Nam immodestia multorum cogit me adolescentiam timide laudare.*

Eod. Pluribus annis eloquentia, quàm vniuersa Græcia, operibusque floruit.] *Scribebam:* eloquentiæ, quam v. G. operibus effloruit. *Vel magis:* eloquentia quàm v. G. vberiusque floruit. *Duo celebrat in celebribus illis Athenis. quod & diutius illic eloquentia & quod copiosius prouenerit.*

Eod. Quæ vrbes, & multæ alię.] *Tria hæc postrema verba ab aliena manu esse arbitramur: eoque inducenda.*

AD LIBRVM II.

CAP. 1. Tum Scipio Nasica in Capitolio porticus.] *Quando an euersa Carthagine? minime, sed remoto tamen eius metu. Cum iaceret Carthago, insurgere luxus apud Romanos cœpit: & structa hæc, quæ dicit. Scipio quidem porticus has fecit Censor, vt ipse paullo post adnotat: hoc fuit decem circiter ante versam Carthaginem annis. Simile de Metello, & de Octauio.* Tum *igitur, benigne interpretabere: & quasi dixisset, sub id tempus.*

Eod. Numquam X. plura quam propriæ iuuentutis armauit.] *Transposita videntur, ordinandaque:* numquam plura quam X. propriæ.

Cap. 2. Promulgatis agrariis legibus, omnibus statum concupiscentibus.] *Nobis hæc impura. Quid est* concupiscere statum? *aut quis sic è prisco Latio? Quid hoc etiam ad Gracchi leges? Emendo:* omnium statum concutientibus. *Et profecto verum est. Leges istæ Tiberij, inquit, omnium fortunas & statum concutiebant. Quomodo? quia agros iamdiu possessos alienatos, venditos, in dotem datos, iterum vindicabant in publicum, & auferebant dominis priscis. Itaque omnes in metu, & fortunæ plurium incertæ. Appianus & Plutarchus pulchre hoc diducunt: ille primo Ciuilium hic in Gracchis. Tu vide Quod ad phrasim, imo quod ad mentem, pariter Velleius infra de Caij legibus:* Nihil immotum, nihil tranquillum, nihil denique in eodem statu sinebat.

Eod. Agris diuidendis coloniisque deducendis.] *Colonias ergo deduxit Tiberius? Caue credas. Litterula ne te induxerit, quin magis tolle. Nam scripsit Velleius,* colonisque. *Intellegit autem hos quib. agri adsignati, quiq; in eos deducēdi futuri coloni eorum siue cultores.* γεωργοὺς, *inquam,* οὐκ ἀποίκους.

Cap. 4. Post duos consulatus, duosque triumphos.] *Cur omittis Censuram & Auguratum? quæ vtraque in prisco lapide:*

P. CORNELIVS PAVLI F. SCIPIO
AFRICANVS COS. II. CENS.
AVGVR. TRIVMPHAVIT. II.

Eod. Decessit anno ferme LVI.] *Metæ temporum, quas Velleius mox ponit, euincunt scripsisse eum LIV.*

Cap. 6. Longe maiora & acriora repetens.] *Acutius verius que:* & acrior repetens. *Ipse, inquit, Caius maiora molitus est quàm frater, & eodem illo acrior. Ita est. vis ingenij & oris apud Caium multo maior.*

Cap. 7. Viua adhuc matre Cornelia, vitæ mortisque habuere exitum.] *Non omittatur ob raritatem, exemplum feminei roboris. Seneca De Consol. ad Martiam.* Ex vna tibi familia duas Cornelias dabo. Primam Scipionis filiam, Gracchorum matrem: duodecim illa partus totidem funeribus recognouit. Et de ceteris facile est, quos nec editos nec amissos ciuitas sensit: Tiberium Gracchum & Caium, quos etiam qui bonos viros negauerit, magnos fatebitur, & occisos vidit & insepultos. Consolantibus tamen miseramque dicentibus, Numquam, inquit, non felicem me dicam, quę Gracchos peperi.

Eod. Rei tantæ parum ad notitiam pertinens interponatur.] *Melius fuerit,* Rei tantæ parua.

Eod. Factum Opimij, quod inimicitiarum quæsita erat vltio, minor secuta auctoritas: & visa vltio priuato odio magis, quàm publicæ vindictæ data.] *Vox* vltio *inconcinnè repetitur: me arbitro, delenda. faciendumq́;* & visum priuato odio m. q. p. vindictæ datum. *Quid* visum? *factum nempe Opimij.*

Cap. 8. Cum lis eius IIII æstimaretur.] *Non grandis omnino hæc mulcta iudiciaria, vti series & scopus indicat Velleiani sermonis. Tamen Franc. Hotomano visa iusto minor, rescribitque:* quadringentis millibus. *Non assentior. Quid Cicero duobus locis an pari fiducia corrigetur, qui minoris summæ auctor? Ille sic III. in Verrem:* Qua in ciuitate C. Carboni clarissimo homini H-SS XVIII. ∞. lis ęstimata sit. *Iterum* IV. *in eundem:* Quo damnato *(Catone)* tum cum seuera iudicia fiebant, H-SS. XVIII. millibus, lis æstimata est. *Siquid ergo hic mutandum (& certe opinor) Ciceronis numeri obtineant, & reponuntor.*

Cap. 9. Namque Mucius iuris scientia, quàm propriæ eloquentiæ nomine.] *Lego:* Nam Q. Mucius. *&*, proprie, *vt sit ἐπίρρημα.*

Cap. 10. Vti ante hunc nobilissimæ simplicitatis iuuenem.] *Locus quem haud temere transeam, à verbis corruptum ab historia inuolutum. Quid illud* Vti? *corrigunt* VII. *& receptum id iam in libros, quasi certum. Ego miror. Nam ad vestigia scripturæ haud improbum hoc fateor: quid tamen ad Velleij mentem, aut historicam fidem? Ecce Velleius ait,* peculiarem quemdam & artatam numero felicitatem Domitiæ familiæ se notare. *Vbi ea hic? quodne septem in ea consules? nam illuc referunt. Ridiculum. ego triginta gentes Romanas dabo, in qua longe plures: dabo vnam Claudiam, in qua vigintiocto. Denique quomodo fides constabit, de septem triumphis? nam hoc additur,* omnes pæne ad triumphi insignia peruenisse. *Atqui volue reuolue Annales, duos modo triumphos in Domitia gente reperies, quod Suetonius notat diligens & fidus obseruator talium rerum. Hæc incommoda in ista correctione sunt. Nos ergo legimus:* IV. ante hūc, *id est, quattuor, ista mente. In vna familia fuisse quattuor singulis parētibus genitos, ipsosque singulos (nam hoc illud rarum quod intellegit, ex vnicis vnicos semper natos,) & eos omnes ad consulatum peruenisse, ad triumphum pæne omnes. Velim igitur etiam scribi,* singuli parentibus geniti, *clarius ad hanc sententiam exprimendam, non,* singulis. *Quod tamen si retines, eodem trahe. Ab hac nostra correctione Velleij verba sunt,* artata numero felicitas: *& de paucis ostendit se loqui. Etiam Suetonij Domitianum stemma, quod initio Neronis legis. Ibi enumerat ab Domitio Allobrogico, quattuor parentibus suis vnicos, ad Domitium vsque patrem Neronis: qui est isteipse Velleianus* nobilissimæ simplicitatis iuuenis. *Hæc ergo liquent: & omnes isti consules. Sed de triumpho quid? vbi quattuor? Nego esse debere, nam dixit Velleius (cuius verba iure pensito)* pæne omnes. *Ergo peruenerint vno minus. Sed hos ipsos tres quomodo expedio? Ex eodem Velleio: qui dixit non* Triumphos, *sed* Triumphi insignia. *Ergo sunto duo triumphi, alter Domitij Allobrogici notus; alter Domitij Caluini de Hispanis, anno* DCCXXI. *Tertius autem Domitius, auus Neronis, donatus est sub Augusto* ornamentis triumphalibus, ex Germanico bello *Suetonius auctor. Iamne tenebrosæ notulæ lux facta? mihi videtur.*

Cap. 11. C. Marius natus equestri loco.] *Alij originem viliorem Mario tribuunt. vt auctor de viris illustribus: qui ait,* humili loco natum. *Vt Plutarchus qui scribit* γινόμενον γονέων παντάπασιν ἀδόξων, αὐτουργῶν δ' ἢ πενήτων. natum parentibus plane ignotis, & operariis atque pauperibus. *Et Iuuenalis:*

—Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro.

Eod. Metelli triumphus fuit clarissimus & meritum, virtutique cognomen Numidici inditum.] *Mauelim:* & meritum virtutibus cognomen.

Eod. Quippe intra XII. ferme annos huius temporis, Consules fuere Metelli aut Censores, aut triumpharunt amplius XII.] *Iterum in obseruatiuncula ista hæremus. Si verba, vti posita scriptaque, accipis: falsa sunt. Non enim profecto intra tot annos,* amplius XII. *Consules aut Censores aut Triumphales fuere. Quid si notulas detrahas, scribasque,* amplius X. *Id certe verum sit: et reperio ab anno* DCXXXIII. *ad annum* DCLVI. *(qui sunt anni* XII.*) reperio inquam in gente Cæcilia Consules quinque, Censores duos, Triumphales quattuor. Ergo* vndecim, *nisi quid in vestigando me fugit. Corrige me, non corripe, si ita est.*

Cap. 12. Iam tunc vt præcauentibus fatis.] *Tentabam:* patriæ cauentibus fatis: *quasi compendio scriptum verbum fuisset. nec nunc pænitet. Hæc autem referenda ad necessitudinem, quæ more prisco inter consulem & Quæstorem est, qualis inter patrem filiumque. Cicero non vno loco.*

Eod. Amplius CL. hostium, priore ac postero die, ab eo trucidatis.] *Bene* postero die: *& tunc iterum pugnatum. Plutarchus aliique consensu tradiderunt. Orosio quid visum dissentire, sic scribēti?* Quarto die rursus productę vtrimque in campum acies, vsque ad meridiem pæne pari pugnauere discrimine. *Non potest, vt hæc res fuit, de quarto die. Audacter emendo:* Orto die.

Eod. Cæsa aut capta amplius C. M. hominum.] *Vt alij summas cæsorum captorum ve concipiunt, videatur geminanda centenaria hic nota,* CC. M. hominum.

Cap. 13. Quàm eius optime ab ipso cogitata.] *Voces,* ab ipso, *superfluere censeo.*

Cap. 14. Immensa illa & incognita multitudine cinctus.] *Possis etiam* incondita.

Eod. Immunis ab omnibus hominibus.] *Prima editio optime,* ab omnibus arbitris. *Arbitri sunt inspectores, censores, quique facta tua aut verba arbitrentur. Plautus,*

—Potare, amare vult, nequi sciat
Néve arbiter sit.

Iterum,

Secede huc nunc iam si videtur procul,
Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant.

Cap. 15. Seruium Prætorem.] *Etiam Orosius* C. Seruium Pretorem *appellat: At Liuij Epitoma* Q. Seruilium Proconsulem, *vti & Appianus.*

Eod. Per omnes annos atque omnia bella duplici se numero militum equitumque fungi.] *Frustra vexatur hic locus, qui valet. Tamen legendum aliquis censet* duplici munere: *ab imperitia aut certe incogitantia moris prisci. qui fuit, vt socij duplum militum fere darent præ Romanis Liuius sæpe ingerit. vt lib. 36.* Decretum vt nouorum militum tria millia duceret, & trecentos equites: ita vt in iis duæ partes socium Latini nominis, tertia ciuium Romanorum esset. *Lib. 35.* Imperatum L. Quinctio, vti duas legiones ciuium nouas scriberet, & socium ac Latini nominis viginti millia peditum, & equites octingentos. *En, manifesto numero duplici: quoniam legiones tunc nondum sex millium factæ. Exempla plura obseruitabis: atque ego alibi distinctius, cum deo, dicam.*

Eod. Militum equitumque.] *Ergo equites seiunctiā militibus? Ita, genere quodam loquendi. Nam Pedites, quia plurima & præcipua militiæ pars ἐξοχῇ quadam veniunt sæpe soli in Militum nomen. Cæsar* III. *de Bello ciuili,* Cum ipsi numero militum equitumque præstarent. *Hirtius in bello Africo,* Aduectis militum equitumque copiis. *Et alibi quoque in iis libris.*

Eod. Amplius CCC. M. iuuentutis Italicæ abstulit.] *Non dubito pro cladibus & cædibus quas paßim lego. In Eutropio tamen minor multo numerus: qui de bello Sociali & Ciuili simul, lib. 5. scribit,* Consumpserunt vltra CL. M. hominum, viros consulares XXIV. Prætorios VII. Ædilitios LX. Senatores fere CCC. *Sed ego profecto ibi scribam adauctis notis,* D. M. hominum. *nec minus fuit in vtroque illo bello.*

Cap. 16. Ipsum viritim ciuitate donando.] *Id valet: solum & seorsum ciuem faciendo, non vna cum aliis & in turba. Quod certe ad honorem eius facit, & amorem simul indicat Romanorum. Volui aliquando scribere,* Ipsum Quiritium ciuitate donando. *nunc desisto.*

Cap. 17. Eum honorem vndequinquagesimo anno ætatis assecutus.] *Plutarchus,* quinquagesimo. Ὕπατος μ̄, *inquit,* ἀποδείκνυται πεντήκοντα ἔτη γεγονώς.

Cap. 18. Aliquando fortuna, semper animo maximus.] *Malim,* aliquamdiu. *Sed de magnitudine animi huius regis, emendetur Sallustianum fragmentum (apud Fabium, si memini,* Mithridates corpore ingenti, perinde & armatus. *Facito,* perinde & animatus.

Cap. 19. Iussu II. viri.] *An potius* II. virum? *Duo enim certe in coloniis.*

Eod. Marius aspiciens Carthaginem, illa Marium intuens, alter alteri posset esse solatio.] *Egregie exprimit & subiicit lubricum istud & incertum rerum humanarum. Placuit Lucano, & mutuatus est,*

—Solatia fati
Carthago Mariusque tulit, pariterque iacentes
Ignouere deis.

Cap. 21. Sub ipsis mœnibus, sociisque vrbis Romanę pugnantibus spectantibusque.] *Displicent, nec germana sunt.* Socij Romanæ vrbis, *duriter dicuntur: iidem* pugnasse & spectasse, *falso. Nam ciues quoque parte vna pugnarunt, nec socij sane spectatores vlli, sed actores. Denique copula in voce* sociisque, *non pro sermonis texta. Nos credimus fuisse,* sub ipsis mœnibus oclisque *(siue* oculisque*)* vrbis Romanæ, pugnantibus spectantibusque quàm fuerit exitiabilis. *Hæc pugna, inquit, commissa, non vt alia procul à patria, sed apud Ianiculum, sub ore atque oculis Romanæ vrbis, quàm tristis funestaque fuerit & pugnantibus & spectantibus, ægre dici potest. Sic mihi videtur, & rogo nequis ἄπειρος τῶν κριτικῶν κριτὴς ἔστω.*

Cap. 23. Loco nuper calce arenaque perpolito.] *Verius fuerit,* perlito.

Cap. 24. Sex. Lucilium qui priore anno Tribunus plebis fuerat, saxo Tarpeio deiecit.] *Plutarchus in Mario, ipsum Marium auctorem huius facti edit: sed in eo legas,* Σέξτον Λουκῖνον. Sextum Lucinum. *Nostrum, an illum rescribis?*

Eod. Magi ex notis corporis respondissent cælestem eius vitam & memoriam futuram.] *Suspecta mihi vocula. Nam cur Sulla* vita cælestis? *imo scelesta reuera, & facinorum plena. Si ad famam & nomen respicit prædictio: cur non* immortalem, *aut, quod ego velim censeamque nunc substitui,* celebrem *dicat? Celebrem, inquam, lego: & in Plutarcho magorum hoc præsagium breuiter sic concipitur,* μέγιστον γενέσθαι.

Cap. 25. Dum vincit, iustissimo lenior.] Iusto lenior, *magis ferrem. Quid si etiam* mitissimo lenior.

Eod. Nam & Consul, vt prædiximus, exarmatum Q. Sertorium.] *Vbi hoc, sodes, prædixisti Velleij? ne potuisti quidem. nam profecto nihil harum rerum Sulla gesßit Consul, sed Proconsul. Clarum id est. Correctiuncula igitur nos expedimus,* Nam & Consulem, vt prædiximus, exarmatumque Sertorium. *Ita sane est. Sulla clementiam lenitatemque exhibuit & in Consule: quo illo? Scipione, quem ante dictum, cum exercitum ipsumque in potestatem redegisset, dimissum sine noxa, & in Sertorio, qui Suessam frustra occuparat, atque in Hispaniam aufugit. Appianum vide.*

Eod. Gratus Dianæ, cuius numini regio illa sacrata est, soluit.] Grates *legendum, res & alij dixerunt. Sed de templo hoc Dianæ apud Pausaniam legi non omittendum. Ille lib. 5. vbi disputat de elephantum dentibus siue cornibus, ait, se vidisse* ἐν γῇ τῇ Καμπανῶν κρανίον ἐλέφαντος ἐν Ἀρτέμιδος ἱερῷ. *& addit,* σταδίοις δ' ὡς τριάκοντα ἀπέχει μάλιστα Καπύης τὸ ἱερόν· in terra Campanorum, caluam elephantis, in templo Dianæ. quod abest maxime à Capua triginta stadiis. *Certe hoc ipsum est in quod Sulla tam munificus.*

Eod. Aquas salubritate in medendisque corporibus nobiles.] *Totam hanc periodum sic, me arbitro, rescribas.* Aquas salubritate medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit deæ. Huius gratæ religionis memoriam inscriptio templi affixa posti, hodieque tabula testatur ærea intra ædem. Inde Consules Carbo. *Præiuit nobis prima editio, tum alibi ingenium, quo fas in his talibus modice modesteque vti.*

Cap. 26. Nequid vnquam malis publicis deesset.] *Malim,* vsquam.

Eod. Nunc virtute eminet, patria latet.] *Corruptum hoc esse dicam, & dicam tantum. Non enim medeor. Certe patria eius non latet, & Romanam fuisse nomen genusque euincunt,* Calpurnia Bestiæ filia.

Cap. 27. Vir domi bellique fortissimus.] *Prima editione,* animi bellique. *Nec reiicio, cum simile sit illi Corneliano,* Ingens animi.

Eod. Contractis circiter XL. millibus.] *Pæne duplicant numerum Appianus, Orosius, Eutropius scribuntque* millia LXXX. *An non hic saltem* LX.

Eod. Abhinc annos XL. Kal. Nouembribus.] *Aldus reposuit,* annos CXI. *Recte. sed de Kalendis Nouemb. etiamne rectum? ambigo. Nam paullo infra scribit,* Felicitatem eius diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum Circensium honorauit memoria, quibus sine nomine Sullanæ victoriæ celebrantur. *Atqui profecto perpetui ij ludi in Kalendario Romano sunt notati, non Kalendis nouembribus (tunc enim nulli) sed* VII. Kal. Nou. *atque ibi sculptum,* LVD. VICT. *sicut & sequenti quatriduo,* LVDI. *Nisi fallor, istiipsi sunt, & ad hunc numerum Velleiana lectio reformanda.*

Cap. 28. Magnificis prœliis.] *Non muto. etiam paullo post,* magnificentissimas res gerere *inuenies.*

Eod. Videbantur finita belli ciuilis mala, cum Sullæ crudelitate aucta sunt.] *Suspicor scripsisse Velleium,* nata sunt. *Haud paullo argutior sic sentētia, & ἀντιθέσει ornata.*

Eod. Quippe dictator creatus (cuius honoris vsurpatio per annos cxx. intermissa. nam proximus post annum quàm Hannibal Italia excesserat: vt appareat populum Rom. vsum Dictatoris non tam desiderasse, quàm timuisse potestatem imperij; quo priores ad vindicandam maximis periculis remp. vsi fuerant) immodicæ crudelitatis licentia vsus est.] *Parum hæc inter se apta. Distingui scribique mauelim,* non tam desiderasse, quàm timuisse) potestate imperij, quo priores ad vindicandam m.p.r. vsi fuerant, immodicæ crudelitatis licentia abusus est. *Ex hac distinctione, & trāsposita nota parentheseos, longe alia clariorque sententia, quàm quæ vulgatur. maxime si mecum* potestate, *pro* potestatem *scribas, itemque* abusus, *non* vsus.

Eod. Iudicium histrioni exoleto redditur.] *Alibi [in Epistolic.] tentauimus hunc locum etiamque alij. Nunc placeat,* iudicium in histrionem ex albo. *Nam id verum est. & legibus* XII. *animaduersi actores aut histriones, qui carmen actitassent quod infamiam flagitiumve faceret alteri. In bona omni Rep. ita solitum: hodierna licentia quam effrænis solutaque es!*

Cap. 29. Sed ex dignitate constantiaque in illam conueniens amplitudinem, fortunam quoque eius ad vltimum vitæ comitata est diem.] *Arbitror hæc legenda,* ex dignitate constanti, quæ in i. c. amplitudinem fortunamque, eum ad v.v.c.e. diem. *Considera, & mecum facies. De graui autem hac & ἀξιωματικῇ Pompeij formâ ex Silio aliquid capies lib.* XIIII.

Ille hirtâ cui subrigitur coma fronte, decorum.
Et gratum terris Magnus caput.

Eod. In reconcilianda gratia fidelissimus.] *Imo* reconciliatâ. *Nam ibi fides locum habet, vti facilitas in reconciliandâ.*

Eod. Pæne omnium votorum expers] *Nimium est pro Pompeio. & quis vel Socrates ad hunc sapientiæ gradum venit, nil vouere? Aldus igitur* vitiorum *fecit, haud male. Poßis &,* notarum: *acconsequenter,* inter maximas. *Vt velit nihil esse culpandum notandumque in Pompeio, præter nimiam æstimationem sui & studium excellendi.*

Cap. 30. M. Crassum, mox Romanorum omnium principem.] *Non sane* omnium: *nec Cæsar aut Pompeius concesserint. Quid si,* opibus? *id verum sit. nec displiceat etiam omitti vocem,* omnium, *atque induci.*

Eod. Interdum persona, vt exemplo nocet, ita inuidiam auget aut leuat.] *Quid noxa exemplorum hic ad rem? Examina, videbis frigidum hoc totum esse aut ineptum. Censeo legendum,* Interdum persona, vt exempla docent, aut inuidiam auget. *Hoc scilicet per occasionem, sententiæ modo, addit, Sæpe in eadem re aut culpa inuidiam maiorem minoremve esse, & voces attolli aut minui, aspectu personæ magis quàm meriti. idque exempla testari. Supra hoc ipsum dixerat,* Familiare esse hominibus inuidiam rerum non ad causam, sed ad voluntatem personasque dirigere.

Cap. 32. Æqualiter inter vtrumque ordinem partitus est.] *Aliter hoc se habere certum est, nec inter duos ordines, sed tres diuisum à Cotta iudicandi munus. Nesciuit, aut neglexit Velleius? vix credam. magis de vitio: scribamque,* inter ordines partitus est. *Statim etiam malo cum Aldo,* loca constituit: *aut,* instituit. *Nam certe Otho rei eius primus auctor.*

Eod. Prædonesque per multa prœlia multis locis victos.] *Primæ editioni abest vox* prœlia. *Addita explendæ sententiæ videtur. & fortean fuit,* per multos, multis locis. *Per multos, legatos nempe Pompeij & duces.*

Eod. Sunt qui hunc carpant.] *Scribo,* hoc carpant.

Cap. 33. Et bello pæne inuictus, pecuniæ expellebatur cupidine.] *Vnde* expellebatur? *aut qua conuenit hoc verbi? Lego,* debellabatur. *Vir, inquit, ab hoste inuictus, à pecunia vincebatur.*

Eod. Cum Pompeius Lucullo infamiam pecuniæ, Lucullus Pompeio interminatam cupiditatem obiiceret imperij.] *Puto rectius,* infamem: *& refero ad cupiditatem.*

Eod. Neuterque ab eo quod arguebatur mentitus argui posset.] *Vide num verius, certe clarius,* neuterque adeo, quod arguebat, mentitus argui posset. *Neuter falsus conuinci arguique in eo posset, quod arguebat. Vterque vtrique veram culpam obiiciebat.*

Eod. Neque Pompeius quemquam animo parem tulit.] *Animorum ergo inspector & arbiter Pompeius? non opinor. nec hoc illi ægre, siquis animo æquaretur, sed si re & specie externa. Fortasse,* omnino. *pro* animo *legendum. Quid si etiam vox alia inclusa in simili priore? vt sit* quemquam æquo animo parem.

Eod. In quibus rebus primus esse debebat.] *Diuino,* esse hauebat.

Eod. Vt qui eos vt libentissime iniret, ita finiret æquo animo, & quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret.] *Lego,* & qui eos. *item,* sumeret. *Hæc ipsa autem Cato de Pompeio iam mortuo apud Lucanum in* IX.

—inuasit ferrum. sed ponere norat.
Prætulit arma togæ, sed pacem armatus amauit;
Iuuit sumpta ducem, iuuit dimissa potestas.

Eod. Magnus Pompeius Xerxem Togatum vocare assueuerat.] *In Plutarcho leges, cognomen hoc iocosum Lucullo inditum à Q. Ælio Tuberone.*

Cap. 34. Coniurationem singulari virtute, constantia, vigilia, curaque eripuit.] *Inepte,* eripuit, *Repone,* eruit. *Nam hoc Cicero ipse vbique in laude sua ponit, quod coniurationem retexerit, in lucem produxerit, vindicandam comprimendamque Senatui præbuerit. Etiam Florus:* Industria rem patefecit.

Cap. 35. Principe illo familiæ Portiæ.] *Nota Familiam pro Gente: nisi si dictio* Porciæ *aliena sit, & à glossula. Tamen infrà quoque Cæsarem* genitum nobilissima Iuliorum familia *dixit.*

Cap. 36. Catilina non segnius nota obiit.] *Alij aliter. Puto,* mota obiit. *Id est, non minus animose semel à se mota peragere voluit, quàm mouere ea cœperat. Vtrobique audax, in ordiendo, in exsequendo. Probe etiam,* vota obiit: *ea quæ vouerat destinaueratque.*

Eod. Supplicio reddidit.] *Imo* prœlio. *atque ita iam aliis correctum. Velleius infrà,* Ceionius auctor deditionis, supplicio quàm prœlio mori maluit.

Eod. Saneque Crassum, Catonem, Sulpicium.] *Lego,* vnaque Crassum. *Hac ipsa ætate, inquit, floruerunt pariter in eloquentia Crassus, Cato Crassum autem illum Diuitem intelligit, quem & Cicero eo nomine laudat, & Plutarchus inter Romanos fuisse eloquentissimum ait. Est qui femnemque Crassum legat, & de illo Lucio, qui cum Antonio vixit floruitque, intelligat. Valde errat. palam hic Velleius de iis oratoribus, qui M. Tullio compares, aut suppares, certe fuerunt. Nam Catonem, intelligit Vticensem, Sulpicium, Seruium illum eloquio & iuris scientia laudatum. Denique de altero illo Crasso iam ante à Velleio & suo loco dictum.*

Eod. In suspecti operis sui carmine.] *Cur non* suscepit? *nec enim aliud vult, quàm Catullum nullo minorem in opere & materia quam elegit. In magnis alij magni, hic nihil iis minor, sed in paruis.*

Eod. Princeps carminum Virgilius, Rabiriusque.] *Vetus editio communicat hunc Principatum cum Rabirio, scribitque,* Principes. *Credimusne tam magnifice sensisse de poeta hodie vix noto Velleium? fortasse per amicitiam, aut alia de caussa. Ouidius quoque laudat,*

—magnique Rabirius oris.

Et Seneca VI. *de benefic.* Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poetam exclamare.

Hoc habui quodcumque dedi.—*vbi legendum,* habeo.

Fabius contra tenuiter de eo sentit, Rabirius & Pedo non indigni cognitione, si vacet.

Eod. Et consecutus Sallustium Liuius.] *Viro docto atque optime (rem dico) de Velleio merito transposita hæc verba videntur: & iis quæ supra subiungenda.* Æmulumque Thucydidis Sallustium. *Cur enim, inquit, poetis admisceatur historiarum scriptor Liuius? Ratio aliqua est, sed hic vana: quia non studiorum similitudinem in iungendo, sed temporum Velleius spectat. Liuius autem illis prioribus inferior, & tantum non æui Velleiani. Obiit enim (Eusebio sic traditum) quarto Tiberiani imperij anno.*

Cap. 37. Tigranemque socerum petit.] *Omnes tradunt* generum *fuisse. Vacillauit memoria Velleij? potuit. Sed hoc quoque potest, error inscripto esse: & forte vetus germanumque* socer eius petit. *Ipse socer generum suum petit.*

Eod. Quæ omnis, sicuti Pompeio moris erat, redacta in quæstoris potestatem.] *Nonne idem mos aliis? & nonne semper pecunia publica appensa Quæstori? Ita, sed non pari fide Luculli, Crasßi, & eiusmodi repones, partem plurimam in se deriuabant. Significat igitur & laudat integritatem Pompeij, qui publicæ pecuniæ abstinentißimus fuit. Tamen Cato apud Lucanum, libere, & vt Cato, profert, aliquid eum quoque delibasse.*

Immodicas possedit opes, sed plura retentis
Intulit.

Cap. 38. Quæ cuiusque ductu gens redacta in formulam prouinciæ stipendia pacta sit.] *Quasi pacisci gentes victæ cum hac victrice de stipendiis soleant. Raro aut non hoc factum, ipsa superbe imponebat. Mea voluntate scribas,* stipendiaria facta sit.

Eod. Notauimus facilius, vt quæ partibus simul vniuersa conspici possint.] *Scribendum,* Notabimus, vt facilius, quam partibus, simul vniuersa conspici possint. *Hac mente. Ego simul & vt in tabula proponam, vt lector ea magis vno obtutu capere & simul animo infigere, quàm varie diducta, poßit.*

Eod. Sed post CCIV. annos P. Scipio.] *Nisi omnis calculatoria me fugit, superest hic cētenaria nota. Nam ecce Africa intrata anno* CCCCXCVIII. *Carthago deleta,* DCVII. *quid amplius quàm iusti intersunt anni* CV. *Tolle ergo grande hoc ἀντιχρόνισμα. Etiam minutum hoc quod sequitur.*

Eod. Abhinc annos CLXXXII.] *Nam συλλογιστικὴ euincit,* CLXXV. *Facile colligere ex anno Carthaginis deletæ iam dicto.*

Eod. Mox ab Attalis possessam regibus.] *Siue placet,* Attalicis. *Ita enim pergami reges dicti, quia aliquot Attali nomine. Strabo lib.* 13. Πέργαμον ἐπιφανὴς πόλις, καὶ πολὺν συνευτυχήσασα χρόνον τοῖς Ἀτταλικοῖς βασιλεῦσι, Pergamum, illustris ciuitas, & diu felix sub regibus Attalicis. *Ibi quoque origo eorum, & stemma.*

Eod. Cypro deuicta.] *Melius,* Cypri deuictæ.

Eod. Quippe SCto.] *Certum est Plebis hoc scitum non Senatus fuisse: eoque summo virorum Cuiacio visum hic reponi,* PSto.

Cap. 39. Pæne idem quod totus terrarum orbis.] *Quæ mens? an tantum fere stipendij conferre diuites illas Gallias, quantum reliquum orbem? tumidum & vanum est. An discrimen aliquod tributi Gallicani à reliquis prouinciis indicat? nugæ. nec hic locus. Verbulum hoc turbans ego traiicio, & lego,* idem quod pæne totus. *Probe & caute veritati nempe consultum it Velleius; & quia illa abnuit de toto orbe stipendiario, addidit* pæne totum.

Eod. Ignauum conferunt stipendium.] *Alij volunt,* in ærarium conferunt. *Quid opus mutatione? Reuera* ignauum stipendium, *& eius pensio parum virilis. Tamen si quid opus, legam: in annos.*

Eod. Quarum titulis forum eius pænitet.] *An hic ergo* Index *ille* rerum Augusti *tangitur? de quo Suetonius scripsit, & qui hodieque lacer visitur Ancyræ Galatiæ vrbe. Sunt qui censent: non ego. Nam ille quidem ante* Mausolæū *Augusti* statutus in æneis tabulis: *at hi tituli in foro. Loca igitur discrepant: sed nec res eadem. Nam in illo breuiarium, quidquid belli aut domi Augustus geßit: hic saltem gentes ab eo, siue auspiciis eius, victæ, & tituli ducum triumphales. Denique tangit Velleius hoc, quod Suetonius cap.* 31. *in Aug.* Proximum à diis immortalibus honorem memoriæ ducum præstitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque & opera cuiusque manentibus titulis restituit, & statuas omnium triumphali effigie in vtraque Fori sui porticu dedicauit.

Eod. At Tib. Cæsar, quam certam Hispanis parendi confessionem extorserat, parem Illuriis Dalmatisque extorserat.] *Historiæ & fidei interest hoc corrigi. Nunquid enim Tiberius Hispanos subegit, & domuit? nusquam factum, aut scriptum. Imo Augustus ipse, atque ita antea traditum, hoc ipso Indice,* Hispania vniuersa ductu Augusti facta stipendiaria est. *Huic sensui emendo,* confessionem extorserat parens, Illuriis Dalmatisque extorsit. *Tam certam, inquit, Tiberius Dalmatis & Illuriis patientiam extorsit, quam parens eius (Augustus) Hispanis.*

Ca. 40. Cuius reditum fauorabilem opinio fecerat.] *Certum est, hoc esse contra mentem scriptumque Velleij. An hoc fauorem Pompeio fecit, quod cum exercitu rediret, & oppressurus libertatem crederetur? imo odium prorsus. Aldus igitur legit,* formidabilem. *Ego,* infauorabilem: *nouo, sed apposito verbo. Quidni istud, vt* Defauere *&* Defautio, *quæ in Tertulliano scio mihi lecta?*

Eod. Longeque maiorem omni ante se illata pecunia, præterquam à Paullo, ex manubiis intulit.] *Plus ergo Paullus intulit, quam Pompeius? Supra de Paullina summa vidimus: at hic Plutarchus auctor,* Pompeium tulisse, εἰς τὸ δημόσιον ταμεῖον ἐν νομίσματι καὶ κατασκευαῖς ἀργυρέοις καὶ χρυσοῦ δισμύρια τάλαντα, παρὲξ τῶν εἰς τοὺς στρατιώτας δεδομένων· in publicum ærarium in pecunia & apparatibus argenti atque auri viginti millia talentum, præter ea, quæ in millies dilargitus erat. *Confer cum illo* bis millies Paulli: *altero tanto vincit. Ergo iure hic & ingeniose rescriptum,* præterquam Capitolio intulit. *Ad quem sensum etiam fac,* maiore, *non* maiorem.

Eod. Vt ludis circensibus corona aurea, & omni cultu triumphantium vteretur.] *Parum periti rerum morumque Romanorum, qui auream coronam hic locarunt. Non fuit ea triumphantibus, sed è lauru. Et hæc ipsa Pompeij* Laurea, *ex Dionis claris verbis, lib.* 37. Δαφνηφορεῖν τε αὐτὸν διὰ πάσης τὰς πανηγύρεις, καὶ τὴν στολὴν τὴν μὲν ἀρχικὴν ἐν πάσαις μὲν αὐταῖς, τὴν δὲ ἐπινίκιον ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐνδύνειν, Ipsum autem Laurum ferre (*in capite*) per omnes ludos, & Togam prætextam; Triumphalem autem, per ludos Circenses. *Sunt hæc ipsa decreta, quæ Velleius dicit, & tu corrige.*

Cap. 41. Nobilissima Iuliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus.] *Vide ne fuerit,* & quod inter omnes constabat, antiquissima. *Nobilissima, inquit, gente natus; certe, omnium consensu, antiquißima. Nam potest, ritu Romano, vetustas esse in familia, non tamen imagines multæ, & nobilitas.*

Eod. Animo super humanam naturam & fidem euectus.] *Probum est, sed de animo tamen, quia iam nunc præiuit, odiose repetitum. Fortasse,* omnino super.

Eod. C. Mario sanguine coniunctissimus.] *Istone pa-*

tricius huic plebeio? Hoc saltem in Plutarcho lego, Iuliam Cæsaris amitam nuptam C. Mario fuisse, ex qua minor Marius natus. *Ergo seniori Mario adfinis; iunioris cognatus fuit.*

Cap. 42. Motu suo destituerit.] *Legendum*, metu. *Est etiam in prima editione* destituere: *quod retineo*, *&* *paullo ante*, qui obtinebant Asiam magistratus, *multitudinis numero lego.*

Eod. Cum idem enim Asiam eam quam obtinebat.] *Verba implexa. Schegkius vocibus eiectis edidit*: tum idem enim Asiam obtinebat. *Manutius putat fuisse*, Is enim Asiam tum obtinebat. *Scriptura vetus mihi prait*, Tum idem enim Asiam, eamque obtinebat. *Hoc sensu. Tum, & illa atate, vnus idemque proconsul Asiæ & Bithiniæ erat: aliter scilicet quàm nostro æuo. Hæc plane pro Velleij sermone & mente videntur: an pro vero? Nam ecce Bithinia illo tempore non Prouincia, sed Regnum. Et nonne Cæsar ipse tunc desedit apud Nicomedem eius regem? Ita est. sed suspicari oporteat partem aliquam regionis auulsam, & adtributam Asiæ fuisse. Romani sæpe sic soliti incidere pennas regum. Sed hæc quia suspicio; valeat, si visum, sententia aliorum.*

Eod. Venditurumque captiuos dixisset.] *Mallem*, vindicaturumque. *Illud atrox responsum, hoc pro re. quia reuera captiui Proconsulis erant, in eius prouincia & administratione capti. Minatur ergo se vindicaturum eos & asserturum.*

Cap. 43. Quippe absens Pontifex factus erat, cum in Cottæ consularis locum pæne puer à Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus id sacerdotium amisisset.] *Valde hic sudant, & vt culpæ manifestus vapulat Velleius. Bis, inquiunt, errat. quod & Cottam Flaminem Dialem facit, & Cæsarem ei dat successorem. Nam Tacitus clare scribit*, duobus & septuaginta annis post Cornelij Merulæ cædem neminem suffectum. *Dio pariter lib.* 54. *Sub Augusto* primum post Merulam Flaminem Dialem creatum. *Quomodo igitur aut Cotta Flamen, aut Cæsar? De Cæsare facile est. creatum dicit, non dicit iniuisse aut gessisse. De Cotta, vocula vna, traiecta soluet nodum. Scribe*, absens Pontifex factus erat in Cottæ Consularis locum, cum pæne puer à Mario, &c. *Ipsa res est. Pontifex, inquit, factus (non sane Maximus: postea adeptus) in locum demortui Cottæ Pontificis: cum antea Flamen quidem designatus esset, sed Sullæ violentia honor ille ei ademptus. Hæc ita esse cum res clamat. tum iuuat nonnihil (vnicum & sollenne hic nobis auxilium) Editio prisca: in qua prius illud* cum *nusquam comparet. Ego autem suo loco reposui, aut potius repperi & eduxi, cum latitaret in verbo* locum.

Cap. 44. Hoc igitur consule, inter eum & Cn. Pompeium, & M. Crassum inita potentiæ societas.] *Imo non illo* Consule, *sed Consule designato. Suetonius ita narrat, cap.* 19. *& Liuij epitoma*, C. Cæsar Lusitanos subegit, eoque consulatus candidato, & captante rempub. inuadere, conspiratio inter tres Principes ciuitatis facta, Cn. Pompeium, M. Crassum, & C. Cæsarem. *Idem Appianus. & addit Varronis librum in hanc conspirationem fuisse, cui titulus* Τρικάρανος.

Eod. Et ius ab his restitutum post annos circiter CLII. quam Capua in formam præfecturæ redacta erat.] *Cl. Puteanus inter lumina Galliæ (heu quam tenebrosæ nunc & adflictæ!) leg. censebat*: Ius Ciu. his restitutum, *id est*, ciuitatis. *Certe rem tangit, & liquet hanc esse Velleij mentem. De verbo tamen ambigo, & quid si fuit*, ius his restitutum, *deleta voce quæ imperite irrepserat? Ratio & historia non abnuit. Nam ius apud eos nullum aut iurisdictio: sed petebant Romæ. Liuius*: Ceterum habitari tantum, tanquam vrbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum ciuitatis, nec Senatum, nec plebis concilium, nec magistratus esse. Præfectum ad iura reddenda ab Roma quotannis missuros. *Tamen à Puteano nondum abeo, & viri & rei caussa.*

Cap. 45. Intra biennium.] *Satis laxe scriptum. Omnino intra biennium, atque adeo abfuit tantum Cicero menses ipsos quattuordecim. Pulsus enim anno* DCXCV. *circiter Kal. Apriles: rediit anno insequenti, Mense Sextili. Plutarchus tamen menses* XVI. *computauit, parum exacte.*

Eod. Legem tulit vt is Quæstor cum iure Prætorio.] *Atqui diu ante Cato Quæstor, quod notum est. Medetur Aldus, & legit*: Quæsitor. *ego felicius*: Quæstorius.

Eod. Cuius integritatem laudari nefas est.] *Aldum hic culpat Rob. Titius, qui immissa negatione legit (profecto male)* non laudari. *Sed Titius ipse an extra culpam? Lectionem retinet, in sensu parum videt. Nam sic explicat.* adeo præstabilem esse Catonis integritatem, vt quasi polluatur, si laudibus eum quis prosequi velit. *Et dat auctorem eius interpretamenti Aristotelem, qui primo ad Nicomachum ait*: ὅτι τῶν ἀρίστων οὐκ ἔστιν ἔπαινος; quod optimarum rerum non sit laudatio. Itaque & deos felices beatosque prædicamus, & virorum eos qui diis proximi: non autem laudamus. *Sed nos Titi tam libere à te discedimus, quàm tu à recto sæpe & à vero. Nihil minus Velleius voluit. Quid ergo? hoc argute saltem dixit, Nefas esse laudari in Catone integritatem & à pecunia abstinentiam, cum aliæ sint eius magis eximiæ, magis raræ virtutes. Integritas in alium aliquem etiam è vulgo cadat: in Catone laudetur, quidquid in alio haud temere extet. Ita Claudianus in laudatione Mallij*:

> Nam spretas quis opes, intactaque pectora lucro
> Commemoret? fuerint aliis hæc forte decora,
> Nulla potest laus esse tibi quæ crimina purget.

Plane ad hanc sententiam est: etiam illud Taciti de Agricola: Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, iniuria virtutum fuerit.

Cap. 46. Inuictum par Consulum Cn. Pompeius, M. Crassus.] *Age, Pompeius* inuictus *esto (etsi Cæsar aliter docuit:) quid? etiamne Crassus? Inconueniens plane verbum. Scribo*, inclutum par.

Eod. Vtile Imperatoris damnum saluo exercitu fuisset reipub.] *Nec crede tam maligne de Crasso sensisse aut scripsisse Velleium, vt censeat vtilem patriæ fuisse eius mortem. Honestius veriusque*: vile Imperatoris damnum. *id est, exigua, nec in magno, iactura.*

Cap. 47. Amplius CCCC. hostium à C. Cæsare cæsa sunt. plura capta.] *Valde atterit Cæsarianam laudem (si modo laus è cædibus:) atterit inquam præ aliis & libat. Nam ecce Plinius scribit*, Præter ciuiles victorias, vndecies centena & nonaginta duo millia hominum occisa ab eo prœlijs. *Et Appianus in Celticis*: Μυριάσι τῶν γὰρ ἀνδρῶν ἀγρίων, ἐν τοῖς δέκα ἔτεσιν ἐν οἷς ἐστρατήγησεν, ἐς χεῖρας ἦλθον, εἴ τις ὑφ' ἓν τὰ μέρη συναγάγοι, τετρακοσίων πλείοσι. Καὶ τούτων ἑκατὸν μὲν ἐξώγρησε, ἑκατὸν δὲ ἐν αὐτῷ πόνῳ κατέθανον, Quadragies centena millia ferocium hostium (si quis partes in vnum & in summam redigat) decem illis annis, quibus *Galliæ* præfuit, manus cum eo conseruere. è quibus decies centena millia capta fuere, decies altera in ipso certamine periere: *reliquis scilicet elapsis. Nec aliter Plutarchus per occasionem enumerat, in Pompeio. Quis ergo ambiget hic rescribere* DCCC. *id est*, octingenta millia hostium? *Etiam si quis amplius volet, per me liceto.*

Eod. Pugnatum sæpe directa acie, sæpe in agminibus.] *Malim ad Liuianum exemplum*, sæpe agminibus. *Ille* XXI. Magis agmine, quàm acie, in via concurrerunt. *Agminibus concurrere est, non explicatis ordinibus distinctaque acie.*

Eod. Septimo ferme anno Cęsar morabatur in Galliis.] Septimum fere annum, *ego.*

Eod. Cum medium iam ex inuidia Pompeij male cohærentis inter Cn. Pompeium & C. Cæsarem concordiæ pignus Iulia.] *Displicet suspectumque est in primore loco nomen* Pompeij. *Si rectum, quid ita statim* Pompeium *repetit? cur non potius scribit*, inter eum & C. Cæsarem? *series & mos stili sic postulabat. Cur etiam solum Pompeium caussam facit infidæ huius concordiæ? peccauit enim non minus Cæsar. Denique primogenia lectio nulla habet Pompeij nomen. Illa sic*: ex inuidia Ponti ac Camilie. *Profecto legendum*: ex inuidia potentiæ male. *Nam fuit compendio scriptum*, põntiæ. *Bona præ vulgata veraxque hæc sententia. Obiit, ait, Iulia vnicum pignus siue vinclum concordiæ male iam hærentis, quia alter alterius potentia inuidebant: hic illius crescenti, ille huius adultæ. Lucanus ad Iuliam.*

> Morte tua discussa fides, bellumque mouere.
> Permissum ducibus. stimulos dedit æmula virtus.

Æmulationem mutuam expreßit, vti & hic Velleius.

Eod. In coercitionem ambitus exercuit.] *Potius*, exeruit.

Cap. 48. Cuius animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes vlle, neque cupiditates sufficere possent.] *Polylogia displicet. Malim*, cuius animi voluntatibus. *Primum enim quasi honestius loquitur de Curione, & animi voluntates varias appellat: mox se corrigens*, libidines. *Sed* Cupiditates, *quod sequitur, quomodo rectum? An cupidines, cupidines expleant? Vide num*, ciuitates, *hoc sensu. Eius libidines tam auidæ, tam capaces, vt non suffecerint iis explendis satiandisque aut opes aut ciuitates. Da aurum, da opida tota, Curio hiat.*

Eod. An accepto centies HS.] *Iure in summa ambigit Aldus, & spernit vt minutam. Mallet*, trecenties. *Ego alterum addo, & scribo* sexcenties. *Caussam habeo: quod Dio Caßius auctor lib.* 40. omni ære alieno, quo ingenti erat obstrictus, Curionem à Cæsare liberatum. *atqui* forum nostrum, *ait Valerius lib.* 9. *cap.* 1. Curionis filij sexcenties sestertium æris alieni aspexit. *Caussam etiam alteram, quod Plutarchus & Appianus consentiunt*, Paullum consulem emptum à Cæsare mille quingentis talẽtis: Curionem autem maiore etiam summa. *Si ita est, cum tot ista talenta, paullo minus quadringenties* HS. *efficiant: quidni Valerium audiamus in maiore summa?*

Cap. 49. Quieta aut certe non præcipitata.] *Clarius inserta dictione quæ delituit*, quieta ea, aut. *vti ad rempub. referas.*

Eod. Et anno LXXIIX. quàm tu M. Vinici.] *Scribo*, & ante septuaginta octo.

Eod. Consules Senatusque caussæ, non Pompeio, summam imperij detulerunt.] *Ego vero hæc non capio. Quid est* caussæ deferre summam imperij? *Illa igitur imperauit? exercitus duxit, instruxit? nugæ. Nos arbitramur fuisse*: caussa nominis, Pompeio. *Illud sane constat, regimen & imperium in hoc bello delatum ad Pompeium, idque (vt Velleius per me nunc dicit) caussa famæ & nominis Pompeiani. Ille enim triumphis victoriisque celeber, & in ore omnium Magnus. Lentulus ipse Consul, qui more maiorum alioqui dux, apud Lucanum auctor huius sententiæ*,

> Consulite in medium Patres, Magnumque iubete
> Esse ducem. Læto nomen clamore Senatus
> Excipit, & Magno fatum patriæque suumque
> Imposuit.

Cæsar III. *Ciuil. in oratione Bibuli*, Potestatem se eius rei nullam habere: propterea quod de Consilij sententia summam belli rerumque omnium Pompeio permiserint.

Cap. 50. Legionibusque Corfinij, quæ cum Domitio fuerant, potitus.] *Cæsar in hac re legiones nominat, sed cohortes* XXXIII. *quæ nondum fuisse videntur sub legionum suarum signis. Sunt autem illæ ipsæ cohortes, quæ, in iudicio*

Milonis, præsidium iudicibus & Pompeio. Lucanus ad Domitium,

> —tua classica seruat
> Oppositus quondam polluto tiro Miloni.

Vbi mirum nisi scribendum, Pullato. *id est, sordidato & reo. Talis enim, Romano ritu, eorum vestis. Pollutum autem cur appellet? quia ne pollutum illum & fœdum interemit?*

Cap. 51. Tum Cornelius Balbus ingressus castra hostium, sæpiusque cum Lentulo collocutus Consule.] *Obseruate Politici: mira & audax hæc corruptio, sed sine qua perierat Cæsar. Talia firmiter & pertinaciter tentanti vix deest successus. Idoneum autem instrumentum hic Balbus, quia amicus, & ab interiore nota, Lentulo. Ipse ad Ciceronem (inter Epistolas ad Atticum lib.* 8. *epist.* 15. Quod Lentulum Consulem meum voluisti hic remanere, Cæsari gratum, mihi vero gratissimum medius fidius fecisti. Nam illum tanti facio, qui non Cæsarem magis diligam. *Et plura, quæ addit.*

Eod. Illis incrementis fecit viam, quibus non Hispaniæ suæ natus, sed Hispanus in triumphum & Pontificatum assurgeret.] *Obscurum ait Aldus: vere. Sed quantula lux, quam ipse affert? Legit*, natus esset. *id est, inquit*, Consuleret & splẽdorem afferret. *Sed sic quoque locus parum splendet: quem in clarorem fortasse magis dabit noster Phœbus. Ille suadet*, quibus non Hispaniensis, sed Hispanus. *Affirmo ita se rem habere. Hac audacia, ait Velleius, effectum, vt Balbus ille, non dicam ciuis è Latio aut incola Hispaniæ saltem, sed vere Hispanus & externus, Romæ perueniret ad sacerdotium & triumphum. Certe hoc nouum. Nam plene ciuibus, hoc ius magistratuum & imperiorum tantum. Plinius clare ab hac sententia, de Africa & Garamantibus lib.* 5. *cap.* 5. Omnia armis Romanis superata, & à Cornelio Balbo triumphata, vnius omnium externo curru & Quiritium iure donato. Quippe Gadibus nato ciuitas Romana, cum Balbo maiore patruo, data est. *Atque idem de Balbo maiore, lib.* 7. *cap.* 43. Fuit & Balbus maior, *inquit*, Consul primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum vsus illo honore, quem maiores Latio quoque negauerunt. *Videsne exteros non admissos ad magistratus, etsi in ciuitatem admissos? In vtroque igitur Balbo hoc nouum. in altero, quod Consul primus exterorum; in altero, quod Pontifex & Triumphalis. Sed de vocum quoque discrimine (proprie enim & signate Velleius scripsit) addam. Sosipater*: Cum dicimus Hispanus, nomen nationis ostendimus; cum autem Hispaniensis, cognomen eorum qui prouinciam Hispaniam incolunt, etsi non Hispani. *Martialis*, Ne Romam, si ire decreueris, non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum. *Idem discrimen paßim apud scriptores in Siculo, & Siciliensi; Græco, Græciensi; Germano, Germaniciano, & talibus. Vide Festum in* Corinthienses.

Cap. 52. Neque antiquius quidquam habuit, quàm in omnes partes (vt militari verbo & consuetudine vtar) dimitteret.] *De clementia Iuliana sermo est: sed quid ad eam dimißio hæc in partes? Scribe*, vt omnes partes. *Mens. Nihil prius Cæsar habuit, quàm vt omnes aduersarios suos incolumes dimitteret, gladiis & militari sæuitiæ subduceret. Hos autem tales vocat* Partes, *idq; militari verbo, inquit: quia durum videbatur in ciuili dissensu dicere* Hostes. *Vsum huius vocis crebrum alibi notauimus; tu hic originem vides, & nondum tritum id satis fuisse hoc significatu. Cur enim alias excuset? Quod quidam* Patres *legunt, sperno. Nec enim militiæ aut castrorum, sed Curiæ hoc verbum. Vide etiam an non aptius*, militari verbo ex consuetudine vtar. Ex, *inquam, pro* &, *copula. Quæ enim hic consuetudo proprie? quinimo hoc dictum voluit, Vti se verbo militari; idque ex consuetudine, & quia diu miles.*

Cap. 53. Tam facilis esset annorum digestio.] *Probum*

eſt. tamen editio vetus: tam felix: *An fuit*, tam non fallax?

Cap. 54. Vtrique ſummo Imperatorum; alteri ſuperſtiti meritas pœnas luere ſuppliciis.] *Suſpicetur aliquis membrum deeſſe*, alteri mortuo: *cui recte ſubiunctum*, alteri ſuperſtiti. *Etiam*, meritis, *melius quàm* meritas.

Eod. Nuſquam erat Pompeius corpore, adhuc vbique Iubæ nomine.] *Titius legit*, vbique ibat nomine. *Merito reiicit is, qui eum confecit Tuo: atque ipſe vult deleri vt ſuperuacuum* Iubæ *nomen. Aſſentior. etſi haud male reſcripſeris*, vbique viuebat nomine.

Eod. Ante biennium quàm exſtingueretur.] *Profecto* Triennium *eſt, ſi quidem duxit eam in tertio ſuo Conſulatu, Plutarcho notatum. Nec tamen muto. Solennes eiuſmodi diſſenſus.*

Cap. 55. Ibi primo varia Fortunam expugnauit via.] *Ferent hoc puræ & Latiares aures? ſpernũt meæ. Lego firmiter:* primo varia fortuna, mox pugnauit ſua. *Acute. Initia, inquit, belli ambigua, lætus exitus & à fortuna plane Cæſariana. Riſit enim ſemper illi viro, & in bellis vtique viſus eam habere in mancipio & poteſtate. Ipſe gloriatur apud poetam, quem ſenſuum & honeſti acuminis cauſſa amo,*

—quem numina numquam
Deſtituunt, de quo male tunc Fortuna meretur
Cum poſt vota venit.

Cap. 56. Pecunia ex manubiis lata paullo amplius ſexies millies HS.] *Haud muto, & videtur hæc ipſa pecunia eſſe, quæ depoſita poſtea ad Opis, quam* ſepties millies *fuiſſe Cicero non ſemel indicat, & poſtea Velleius. Iuriſconſulto celebri an adſentiat* ſexagies millies *reponenti? opido enim* tenuis, *inquit*, eſt hæc ſumma. *Miror. Nam* ſexies millies, *faciunt æſtimatione Budæana (quam haud temere quis mihi carpat)* centies quinquagies centena millia aureorum. *Et an Paullus Æmilius tantum intulit? an ipſe Pompeius? longe infra. Illud tamen fateor, paullo maiorem ſummam in Appiano me repperiſſe: qui tuliſſe in triumpho Cæſarem dicit*, Μυριάδας ἓξ καὶ ἥμισυ ταλάντων· ſexagintaquinque millia talentum. *Ea eſſent quaſi* decies ſexies millies HS, *computatione Romana: haud dubie ſupra Velleianum numerum, ſed longe infra immanem illum correctoris. Nam* ſexagies millies, *fecerit* centum quinquaginta aureorum *(cum vulgo loquar)* milliones.

Eod. Adiectis etiam conſilariis cædis.] *Tentabam*, conſciis aliis cædis.

Cap. 57. Cuius cum fortunam mutare conſtituit.] *Primo editi*, cuius quem. *Facito*, cuiuſcumque.

Cap. 59. Hiſpanienſis militiæ aſſecutum ſe poſtea comitem habuit.] *Scribo*, Hiſpanienſi militia. *Suetonius cap. 8. Aug.* Profectum mox auunculum in Hiſpaniam aduerſus Pompeij liberos, per infeſtas hoſtibus vias ſubſecutus, magno opere demeruit.

Cap. 60. HS ſepties millies depoſitum à C. Cæſare ad ædem Opis.] *Delemus τὸ* ædem. *Idque paullo verius, quàm Batauiæ lumen alterum Had. Iunius τὸ* ſepties. *Nam inductus à Plutarcho, qui in Antonio* quattuor *modo* millia talentum *in hac re numerat, vult hic fuiſſe* HS. millies: *quod reſpondet Græcanicæ illi ſummæ. Sed vere inductus. Cicero nonne aliquoties cum Velleio? vt Philipp.* II. Vbi eſt ſepties millies, quod eſt in tabulis, quæ ſunt ad Opis? *Iterum*, Septies millies falſis proſcriptionibus donationibuſque auertit. *Atque alibi vocat* pecuniam maximam: *&*, pecuniam innumerabilem.

Eod. Inſertis falſis, ciuitatibuſque corruptis commentariis.] *Video ab aliis edi*, indubitateque corruptis: *anne à coniectura? Fas & nobis ea vti*, commutatiſque & corruptis.

Cap. 62. Et D. Bruto, quod alieno beneficio viueret, decretus triumphus.] *Inepte, quaſi illa cauſſa aut præſcriptio triumphi. Lege*, qui alieno.

Cap. 63. Primo per colloquia repulſus à Lepido.] *Minime. ſed probo, quod in editione prima eſt*, primo ſpe colloquij repulſus. *Id eſt, deiectus etiam à ſpe colloquij: quia Lepidus nec miſcere ſermones cum eo ſub initia volebat. Dio clare lib. 46. aliique.*

Cap. 64. Tribuni ſanguine commiſſa proſcriptio, Ciceronis vel ſatiato Antonio pœna finita.] *Aptius atque apertius:* velut ſatiato. *Cremutius Codrus:* Quibus viſis (*capite & dextra Ciceronis*) lætus Antonius, cum peractam proſcriptionem ſuam dixiſſet, eſſetque non ſatiatus modo cædendis ciuibus, ſed defectus (*corr.* defeſſus) quoque, prô roſtris exponit.

Cap. 66. Citiuſque in mundo genus hominum, quàm cadet.] *Paullo Manutio placuit:* genus hominum concidet. *Nos explemus*, quàm ea cadet. Ea, *nempe laus Ciceronis, de qua prædictum. Vide textum. Vniuerſus autem hic locus expreſſus ab Arellio Fuſco:* Quoad humanum genus incolume manſerit, quamdiu vſus litteris, honor ſummæ eloquentiæ pretium erit, quamdiu rerum naturæ aut fortuna ſteterit, aut memoria durauerit, admirabile poſteris vigebis ingenium, & vno proſcriptus ſæculo proſcribes Antonium omnibus. *Vbi* παρέργως *legi velim*, honor ſcientiæ, eloquentię pretium erit, *elegantius magiſque membratim. atque etiam verius, quia non honos tantum eloquentiæ pretium, ſed opes & fructus. Scribo item*, rerum naturæ aut forma ſteterit: *non* fortuna.

Cap. 67. Nec deflere quidem quiſquam ſatis digne potuit, adeo nemo exprimere verbis poteſt.] *Abeſt vet. editioni illud* potuit. *recte.*

Eod. Nequid vlli ſanctum relinqueretur.] *Scribo, vllibi.*

Cap. 68. Neque enim perſona vmbram actæ rei capit.] *Vmbroſum hoc ſane, quid ſi & mendoſum? Arbitror, & emendem:* vmbram ac tenebras capit. *Non eſt ille Cælius, inquit, homo genere ingenioque nobilis, qui latere in vmbra ſilentij ac tenebris debeat. Extraham etiamnunc, etſi alieno loco & tarde.*

Eod. Dum in acie Pharſalica Africaque de ſumma rerum Cæſar dimicat.] *Conſidera, falſum reperies hunc contextum. Tempus ſeditionis Cælianæ indicare voluit; an hoc igitur, cum Cæſar in Pharſalia & Africa dimicat? De Pharſalia, verum eſt: ſed de Africa, certe diu poſt Cælij motum & mortem illud bellum. Quin præceſſit Ægyptium ſiue Alexandrinum, alterumque cum Pharnace. Denique Cæſar etiam interea in vrbe. Omnino falſa hæc ſignatio: per Velleianamne incuriam, an ſcriptoris? Hunc culpari mitius eſt, &* εὐστόχως *fortaſſe emendem*, dum in acie Pharſalica circaque. *Nihil pronius, quàm* Africam *ex eo feciſſe, ſi littera finalis adhæſit, vt ſolet, capiti ſequentis. Interpreter autem: Dum Cæſar in Pharſalia pugnat & circa, nempe ad Dyrrhachium viciniſque locis oppoſitus Pompeio. Pugnas autem & ibi aliquot fuiſſe, notum. Quod tueri vulgatam aliquis conetur, quaſi de Africano bello Curionis in Iubam & Varum ſentiat: fruſtra ſit. Nam nec* Ceſar *ibi* dimicauit: *nec certe* de ſumma rerum. *quod vtrumque hic ſcriptum.*

Eod. Auctoritate Coſs. deterreri.] *Hoc valet*, Conſulum. *Atqui, ne iuuentus erret*, Cos. *ſiue* Conſulis *ſcribendum eſt. quia vnus Seruilius tunc in vrbe, cui Cæſar collega, ſed abſens & in bello.*

Eod. In vrbe ſeditionem magis, occulte autem bellicum tumultum mouens.] *Argutabar:* in agris occulte. *Nam ita res fuit, Romæ ſeditionem, in agris bellum mouebat per Milonem. Cæſar lib. 3.* Clam nuntiis ad Milonem miſſis, euocatoque in Italiam: eum in Thurinum ad ſolicitandos paſtores præmiſit.

Eod. Compſam in Hirpinis oppugnans.] *Cæſar ad* Coſam *ſcribit interfectũ in* agro Thurino. *Etiam Euſebius, ſed à nobis corrigendus*, M. Cælius Prætor, & T. Annius Milo exſul oppreſſit, res nouas in Tiriano Brixioque agro molientes. *Scribendum*, in Thurino Brutioque.

Eod. Vltra fortem temerarius.] *Imo vero* ſortem. *Magis audax ſcilicet, quàm pro conditione exſulis, cuius eſt iacere fere, nec attolli.*

Cap. 69. Dolabella in Aſia C. Trebonium conſularem, cui ſuccedebat.] *Succedebat non à ſenatu, ſed à ſe & ſcelere ſuo miſſus. Nam prouincia illi Syria erat, atque in eam ibat.*

Eod. Capito patruus meus vir ordinis Senatorij.] *An Atteius Capio Iuriſconſultus ille nobilis? Factum ſit non abhorrens ab ingenio viri, qui adulator, &* cuius obſequium dominantibus probabatur, *ait Tacitus. Sed vereor, vt tunc non tam grandi & Senatoria ætate fuerit. quippe qui obiit demum nono Tiberiani imperij anno. Vide Tacit.* III. *Ann. extremo.*

Cap. 70. In Macedoniam & apud vrbem Philippos.] *Sic eſt. Philippi iſti in Macedonia extrema Ptolomæo locantur, aliis in Thracia prima. Sunt ad Strymonem fluuium, & ſubiacet planicies aptiſſima pugnæ. Victus in ea Caſſius & Brutus. Diuerſi omnino ab iſtis Philippi ſunt in Theſſalia, vbi Pompeius victus, ad Peneum flumen. Ergo iure miror, quid poetis aliquot in mentem venerit confundere hæc loca & vrbes, quaſi ſi vtrumque ciuile bellum in iiſdem campis depugnatum. Lucanus innuit.*

Romanas acies iterum videre Philippi.

quem tamen excuſes, quaſi Philippi iterum viderint, ſed non iidem. Manlio quid facias? qui ſic lib. I.

—ducibus iurata cruentis
Arma Philippæos implerunt agmine campos.
Vix etiam ſicca miles Romanus arena
Oſſa virum laceroſque prius ſuperaſtitit artus.
Perque patris pater Auguſtus veſtigia vicit.

Nam vult in iiſdem campis atque adeo veſtigiis pugnaſſe Auguſtum, quibus patrem, & miles ſuperſtitiſſe cadauera & oſſa. Quid poetas culpo? Florus hiſtoricus idem peccat, Brutus & Caſſius, comparatis ingentibus copiis, eandem illam quæ fatalis Cn. Pompeio fuit, arenam inſederât. *Hoc autem tam verum eſt, vt centum aliquot milliaria ſint interiecta. Vide Dionem* XLVII. *& Appianum* IV. *Ciuil. quorum vterque ſitum Philipporum, vbi Brutinum prælium, accurate deſignat & deſcribit.*

Cap. 71. Nam Varro ad ludibrium moriturus Antonij.] *Quis autem iſte Varro? videatur meritiſſima* ἐξοχῇ *noſter ille intelligi, cui Fama quàm Æternitas magis æqua. Illa nomen eius ſeruat, hæc ſcripta non adſpexit: quorum tamen feracius vix fuit aliud ingenium Græcum aut Romanum. Sed videatur inquam iſte intelligi: non tamen poteſt. Nam proſcriptus quidem à Triumuiris Varro, ſed certantibus de ſalute eius, quibus aliqua honeſti cura, vicit Fuſius Calenus amicus Antonij, & eum ad ſe recepit. Ita tempeſtatem illam euaſit. Appianum vide, & Agell. 3. cap. 10. Pugnæ autem Philippenſi non opinor interfuiſſe. Ætas, militia & iis actionibus virum ſoluebat, & aliquot ſane annis poſt vixit. Quid verba facio? in lectulo ſuo obiit, non properata aliqua morte: vt clare ſcribit Valerius lib.* 8. Terentius Varro, non annis, quibus ſæculum æquauit, quàm ſtilo viuacior fuit. In eodem enim lectulo & ſpiritus eius, & egregiorum operum curſus exſtinctus eſt. *Ergo alius iſte Varro, quem velim omnino magis Velleius retexiſſet.*

Cap. 72. Commiſſa ſibi parte exercituum.] *Prima editio*, exercitu. *Malim vnitatis numero*, exercitus.

Eod. Quippe nullum habentibus ſtatum, quilibet dux erat idoneus.] *Interpretor, nullum ſtatum firmumque ducem habentibus. Poſſis etiam ſcribere & diſtinguere:* nullum habentibus, ſtatim quilibet. *Facile, inquit, & cito quemcunque ducem arripiebant, qui habebant nullum.*

Cap. 73. Manu promptus, cogitatione celer.] *Primitus editi*, cogitator celer. *Certum mihi ſcribere*, concitatu celer. *Depreſſum enim hic vbique Pompeium iſtum Velleius it, reuera vilem, bardum, & patri diſſimillimam prolem. Et fuit reuera concitatu celer, magis quàm cogitatu (quod in laudem valeat:) id eſt*, ὀξύθυμος *&* ὀργίλος.

Eod. Vindicatum armis ac ductu patris ſui mare infeſtare piraticis ſceleribus.] *Cogitabam leuiter an* piraticis celocibus. *Vulgatum tamen abſit vt damnem.*

Cap. 74. Qui iuſte diuiſione prædiorum.] *Reuera* iniuſte, *vel potius* iniuſta. *Nec ſenſit aut ſcripſit aliter, etſi adulator Velleius.*

Cap. 75. Quis non diuerſa præſentibus, contrariaque exſpectatis, aut ſperet aut timeat?] *Vera gnome, & ita viuitur: aſſidue natamus inter ſpei metuſque fluctus. Dea illa incertanos quoque habet incertos; dico eos, qui ab ea pendent. Manilius,*

Et ſubtexta malis bona ſunt, lacrymæque ſequuntur
Vota, nec in cunctis ſeruat Fortuna tenorem.

Sapientiſſimus Romanorum Seneca, In ſecundis nemo confidat, in aduerſis nemo deficiat. alternæ ſunt vices rerum. Quid exſultas? iſta, quibus veheris in ſummum, neſcis vbi te relictura ſint. Quid iaces? ad imum delatus es, nunc eſt reſurgendi locus. *Plato quoque bona imagine:* πάντα τὰ ὄντα ἀτεχνῶς, ὥσπερ ἐν Εὐρίπῳ, ἄνω καὶ κάτω στρέφεται· Quidquid eſt, velut in Euripo, ſurſum deorſumque voluitur.

Cap. 76. Proximus à Cn. Pompeio ipſoque Cæſare, ex equeſtri ordine Conſul creatus.] *De Saluidieno Rufo ſermo eſt; qui Conſul creatus (ait Dio* XLVIII.*) nondum Senator. Atque hoc eſt, quod ait* ex equeſtri ordine. *Proximus autem à Pompeio & Cæſare ideo: quia illorum quoque vterque ad hoc faſtigium venit, priuſquam in Curiam aut Senatum. nec poſt eos alius, ante hunc Saluidienum. Cæſarem porro accipies, Octauianum.*

Cap. 77. Aruntium Actium reſtituit reip.] *Gentilitia duo nomina perperam iuncta. Scribes*, Aruntium ac Titium. *M. autem Titius Dioni nominatur, & Velleio bis infra.*

Cap. 78. Interfectoque legato Antonij.] *Atqui ille ſe interfecerat. Florus:* Saxa, ne veniret in poteſtatem, à gladio ſuo impetrauerat.

Cap. 81. Speciosum per id tempus adiectum ſupplementum Campanæ coloniæ. eius reditus erant publici, pro his longe vberiores reditus duodecies HS. in Creta inſula redditi.] *Tota hæc res explicata ab vno Dione, lib. 48. qui de hac ipſa ſeditione, & eius placamentis.* Οὕτω μὲν τότε τοὺς στρατιώτας κατέστησε, καὶ τὸ μὲν ἀργύριον αὐτίκα, τὴν δὲ χώραν οὐ πολλῷ ὕστερον αὐτοῖς ἔδωκεν. ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἐξήρκεσεν ἡ ἐν τῷ δημοσίῳ τότε ἔτι, προσεξεωνήσατο ἄλλην τε καὶ παρὰ Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ οἰκούντων συχνήν (καὶ γὰρ ἐποίκων ἡ πόλις πολλῶν ἐδεῖτο) καὶ αὐτοῖς τό, τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὀνομαζόμενον, ἐφ᾽ ᾧ καὶ τὰ μάλιστα διὰ πάντων ἀγάλλονται, καὶ τὴν χώραν τὴν Κνωσίαν, ἣν καὶ νῦν ἔτι καρποῦνται, ἀντέδωκε· Atque ita milites tunc quidem compoſuit: & argentum ſtatim, agros non multo poſt iis dedit. Quoniam enim publici, qui tunc erant, non ſufficiebant, etiam alios emit à Campanis illis, qui Capuam incolunt, eoſque multos. (multis enim colonis indigebat ea vrbs.) & ipſis tum aquam Iuliam, qua maxime omnium gaudent, tum terram Cnoſiam (Gnoſiam *melius: eſtque Gnoſus in Creta*,) qua etiam nunc fruuntur, eorum loco dedit. *Omnia hæc quaſi de induſtria ſcripta ad Velleij lucem, & quis ſcit, ſi non à Dione iſtinc ſumpta? Quod tamen hic ſcribitur*, eius reditus erant publici, *prauum eſt. Quid* reditus *ad rem præſentem? nec eos ſane emit Cæſar,*

sed agros. In editione prima: eius relicti erant publici. Certum habeo, eius reliqui: Id est, Capua reliquos habebat agros publicos, qui nondum attributi, & qui non venerant in diuisionem. Hos (Dione palam narrante) ab iis emit Cæsar.

Ca.82. Hoc M. Antonio acto illis legionibus.] Emendant, atque legionibus. ego, ac tot legionibus.

Cap.83. Cum in omnia, & in omnibus vænalis.] Nonne æquiualent, in omnia vænalem esse, &, in omnibus? ego discrimen non video. Puto delendum posterius τὸ, in, faciendumque, in omnia, & omnibus. Duo obiicit, vænalem ad omne facinus ac flagitium fuisse, & sine discrimine omnibus vænalem. breuiter: Ad quæuis à quouis trahi auro potuisse.

Eod. Cum Glaucum saltasset, in conuiuio refrigeratus ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia.] Moneo distinctiunculam mutandam: saltasset in conuiuio, refrigeratus ab Antonio. Saltasse enim eum vult in conuiuio, non illic refrigeratum. Sed quid hoc verbi? significat intepuisse gratiam eius apud Antonium, & calorem illum amoris mutasse in fastidij frigus. Vtebantur & in reactionis siue recitationis hoc verbo. Vt in Suetonij Claudio scriptum, cap.41. Cum primum frequenti auditorio commisisset, ægre perlegit, refrigeratus sæpe à semetipso. id est, frigore & fastidio sæpe affectus à sese. Rem enim ipsam, & teporem illum gratiæ suæ amicitiæ, vocabant Frigus. Plinius lib.8.epist.14. Interim Paullo (recitanti) aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. Fabius, Rusticitas, & rigor, & deformitas adferunt interim frigus. Sed propius ad Velleij mentem Seneca epist.123. Votienus Montanus & amicitia Tiberij notus & frigore. quem scilicet Tiberius & ardenter amauit, & subito fastidiuit. Nec peccet, qui Horatium sic explicet,

—maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

etsi alio quoque hoc commode duci haud negem. Suetonij locum nouiter corrigo, Aug. cap.66. Desiderauit & M. Agrippæ patientiam & Mæcenatis taciturnitatem: cum ille ex leui rigoris suspicione, & quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se contulisset. Nam quis rigori hic locus? nec suspicio de eo esse potest, sed sensus. Scripsit vero frigoris: hac ista nostra mẽte. eoque, inquit, secessit Agrippa, quod alieniorem sibi Augustum suspicaretur, & præferri atq; in gratia esse Marcellum. Terentij illud huc quoque fecerit: Nimirum hice homines frigent. Atque omnino amor, ardor est: fastidium aut defautio, frigus.

Cap.84. Vigebat in hac parte miles atque Imperator, illa marcebant omnia: hinc reges firmissimi, illinc inopia affectissimi.] Torsit me olim, cum publice legerem, hic locus: credo & illum, quisquis intente leget. An reges à Cæsare firmissimi, ab Antonio inopes & imbecilli? planissime contra est: nec dicam plurimi aut potentissimi, sed pæne omnes reges ab isto steterunt. Palam & vere ita Dio, Συνεμάχησαν, inquit, τῷ Ἀντωνίῳ οἵ τε βασιλεῖς καὶ οἱ δυνάσται πάντες, ὡς εἰπεῖν, οἱ τῇ τῶν Ῥωμαίων ἀρχῇ τότε ὑπ᾽ ἐκείνων ἤδη γειτνιῶντες, οἱ μὲν αὐτοί, οἱ δὲ δι᾽ ἑτέρων· Conmilitabant & auxiliabantur Antonio reges dynastæque omnes, vt breuiter dicam, quicumque Romanum imperium, quod duobus iis tunc parebat, attingerent; alij ipsi coram, alij per alios & submissos. Quinetiam in Plutarcho index, in quo nominatim reges Antonio adhærentes recensentur, non solum Orientales plerique omnes, sed transmarini. Si voles, vide. At apud Cæsarem contra qui? neminem reperio: imo vix esse potuerunt. quia in illius partibus dumtaxat Italia, Illuricum, Gallia, Hispania, Africa, & insulæ interiectæ. In iis autem omnibus regionibus, qui tunc reges, nisi si forte in Africa? Ex ea ipsa Bocchum eripit nobis, & transfert ad Antonium Plutarchus. Iure ergo, vt dixi, hærebam. Quid autem est in re? Velleiana adulatio, vti tunc censebam? minime. nec in scriptore, sed in scripto culpa, quam detectam nunc tollo. Scripsit Velleius: hinc remiges. Vide μεταβολὴν à sceptris venimus ad remos. Sic oportet. & docebunt te Plutarchus & Dio Antonium hac parte maxime peccasse, quod hiemem cœptis suis interposuerit: atque ita classis, quam paratam habuerat, valde viribus imminuerit. quoniam plerique remigum vel inopia aufugiebant, vel morbo peribant. Ita necessum habuit ex afflictissima Græcia, ait Plutarchus, corripere viatores, agasones, messores, adolescentulos; iisque ægre etiam impleuit naues. Ergo vere hic scriptum remiges fuisse inopia affectissimos (quæ ipsa phrasis non apte cadit in reges:) contra firmissimos Cæsari, recentes videlicet & bellis Siculis probe exercitatos.

Eod. Rex Amyntas meliora & vtiliora secutus: nam de illis exemplis vitæ natura Dolabella ad Cæsarem.] Atrox & aperta plaga: cui leue adhuc fomentum. Est qui legat, Inde illius exemplo vir audax Dolabella. alius, inde illius exemplo mature Dolabella. Vno verbo, nihil ad Bacchum. In autographo fuit (certe editio prima sic refert:) nam de illius exemplis vitæ naxuta Dolabella. Vide nostram medicinam, Nam Deillius exempli sui tenax, vt à Dolabella ad Cassium. Nihil iuueniliter iactamus, sed prima illa sagaciter & vere eruimus de Q. Deillio, siue vt alij, Dellio: qui natura transfuga, & irrisu palam illo æuo. In hac re & historia, transfugisse, aperte scribit Plutarchus Q. Dellium historicum. Dio hoc amplius, ostendit cum Amynta illum fuisse: & paullo post de transfugio addit. Quod si est: nonne apposite hic quoque Amyntæ Velleius eum subiungit? Sed cur ait eum exempli sui tenacem? ludit, & merito in hominem nusquam & nunquam fidum, & cuius iamante nobilia aliquot transfugia. Ecce Senecæ patris verba: è quibus hoc quoque, quod emendauimus à Dolabella ad Cassiũ, liquebit. Ille in Suasoriis, Bellissimam tamen rem dixit Deillius, quem Messalla Coruinus desertorem (melius & venustius scripti libri, desultorem) bellorum ciuilium vocat: quia à Dolabella ad Cassium, à Cassio dein trãsmisit ad Antonium, ab Antonio ad Cæsarem. Et de Deillio quidem certum est: hoc de Dolabella sicui displicet, is legito: exempli sui tenax fuit & illo bello. Quod certe haud sperno. nam & editionibus quibusdam absunt illa verba, ad Cæsarem, & videntur omnino huc translata è tertia abhinc linea, transmisit ad Cæsarem. Ceterum vtro modo cumque leges, distinctiuncula & parenthesi sic iuuabis, Rex Amyntas meliora & vtiliora secutus (nam Deillius exempli sui tenax fuit & illo bello) virque clarissimus Cn. Domitius, &c. Nota amplius, viderit in fine periodi legendum: transmisere ad Cæsarem. quia textus omnino sermonis exigit Amyntam quoque comprehendi.

Cap.85. M. Lario.] Lurio est in Dione, & recte.

Eod. Sosioque commissum.] Verius, Sossio. Plutarchus hæc omnia longe aliter, nec Sossium inter duces agnoscit. Dio vero etiam mortuum illum facit in leui pugna contra L. Tauresium: in qua, superuentu Agrippæ, ipse & Tarcondimotus sint cæsi. Hoc paullo ante Actiacam pugnam. At ecce viuum eum iterum facit initio libri sequentis, & inter eos ponit, quibus ignouerit Cæsar. Quid dicam nescio, nisi haud vnum Sossium fuisse.

Eod. Vt dubites suone an Cleopatræ arbitrio.] Cur Rhenanum non audiuerunt verissime emendantem, Viderit è suone? Nam in autographo erat, Videbit è suone. Phrasis nota, & crebra veteribus in reiectione aut contemptu.

Cap.86. Victoriæ suæ facturus fuerit triumphum.] Inepte, triumphum. Idem autographum, modum, At quæ sequuntur hiulca & mutila sunt: nec vllum ingenium expleuerit.

Eod. Mox diu clementia sua luctatus Cæsar.] Velim, cum clementia.

Cap.88. Quippe vixit augusti claui pæne contẽtus.] Alij, angusto clauo: recte. Sed τὸ pæne an conuenit? Ille vero planissime contentus vixit, nec opus vocula hac imminuente vel ambigente. Magis ad Mæcenatis ingenium, bene contentus, vel, plane.

Eod. Nec minora consequi potuit, sed non tam concupiuit.] Sententia legi postulat, nec maiora consequi non potuit, sed nunquam concupiuit.

Eod. Seruilia Lepidi vxor.] Atqui nupta iuniori Lepido fuit Antonia, M. Antonij Triumuiri filia: quod ita in Dionis XLIV. extremo libro leges. Scire licet igitur, illa spreta aut mortua, alteram superduxisse.

Cap.89. Cæsar autem reuersus in Italiam atque vrbem occursus, quo fauore omnium hominum, ætatium, ordinum exceptus sit.] Alterutrum scribe siue, Cæsaris autem reuersi in Italiam a. v. occursus. siue, Cæsar a reuersus i. I. a. vrbem, quo occursu, quo fauore. Notat autem Dio ad hanc rem, Decretum à Senatu, vt ei vrbem ingredienti virgines Vestæ, Senatus, populusque cum coniugibus ac liberis occurreret. Lib.51.

Eod. Pacatusque victoriis terrarum orbis.] Nec incommode, peragratusque.

Eod. Scriptorem fatigans.] Legendum, fatigent.

Eod. Oculis animisque subiecimus.] Subiiciemus res ipsa vult. Dicet enim, non dixit.

Cap.90. Coalescentibusque reipub. membris, & coram altero, quæ tam longa armorum series lacerauerat.] Tria hæc verba, & coram altero, Aldus tollit, atq; alij illo duce. Nec nego sententiam absque iis probam esse: vnde tamen sic frustra irrepserint? Mutari melius videatur, & curante eo quæ tam longa, Nempe Augusto salutarem curam & medicinam adhibente reipub. laceræ.

Eod. Dalmatia xx. & cc. rebellis.] Obscurum, siue mutilum est, & intellige, annos, aut adde. Hoc sane vult, annos CCXX. medios esse, à quo tempore vinci Dalmatia cœpit ad nunc victam. Primum autem bellum in Illurios & Dalmatas fuit sub Teuta eorum regina, anno DXXIV. Postremum nunc cum victi & domiti ductu Tiberij, auspiciis Augusti, anno DCCXLIII. Facilis supputatio.

Eod. Contumelioso xx. annorum bello sub duce Viriatho.] Qui plurimum numerarunt, annos fecerunt XIV. belli Viriathini: vt Liuij epitoma, & Florus. Appianus, annis dũtaxat octo id bellum gestum aperte scribit. Aperte inquam, atq; etiam exacte. Nam ille numerat ab anno DCVI. quo proprie id cœpit: Liuius & Florus ab anno DCI. quo Lusitani rebellarunt, non tamen Viriatho duce. Sed quia connexa bella fuerunt, confundunt. Quorsum hæc? Vt prælargum falsumque esse Velleianum numerum constet, & parte altera truncandum. Contumelioso x. annorum bello, legito, & Iustinum auctorem habeto. In tanta seculorum serie nullus illis dux magnus, præter Viriathum, fuit: qui annos decem Romanos varia victoria fatigauit.

Eod. Vt per quinquennium diiudicari non potuerit.] Atqui octo annos bellum hoc Sertorio duce gestum, & octauo ipso cæsus. An ergo octennium hic legimus? An vult priores quinque annos ambiguos, reliquos non sic fuisse.

Cap.91. Vt ei Præturam continuaret.] Non quia bis Prætor: sed hoc modo vult, continuasse eum & iunxisse Præturam Ædilitati. Opus enim interuallo annorum erat à magistratu ad magistratum: Egnatius id neglexit. Ipse Velleius ita interpretatur pagina seq. dum ait, Præturam Ædilitati iunxisse. Dio idem indicat lib.53.

Cap.94. Regnum eius Artauasdi tradidit.] Consensu aliter Romani exterique scriptores. Omnes Tigrani regnum datum à Tiberio asserunt, non Artauasdi: Tacitus, Suetonius, Dio, Iosephus. Nostra, si vis, ad II. Annal. vide. Ergo Velleius solus hoc nesciuit, aut melius sciuit? durum dicere. & certe in rebus Tiberij sui, tam recenti memoria, fœde errasse Velleium piacularis sit culpa. Mihi sedet mutilum defectũque locum esse (nonne multa in hoc libello?) & fuisse antea, regnum eius Artauasdi ereptum, Tigrani tradidit. aut tale in hunc sensum. Nam etsi Tacitus & Iosephus Artaxiam regno deiectum volunt, non Artauasdem: tamen pro Velleij hac scriptione etiam Dio sit, qui lib.54. in actis anni DCCXXXIV. diserte scribit Tiberium missum vt Artabazen (idem ille cum Artauasde) regno pelleret, & Tigranem ei imponeret.

Eod. Cuius rex quoque Parthorum.] Puto, cum rex.

Cap.95. Plancus timere deberet, ne quidquam obiicere posset adolescentibus.] Argutius & verius, timere deberet. nec quidquam. Periodum totam vide.

Ca.96. Subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum Agrippa, Marcoque Vinicio auo tuo Cos.] Verba & notatio, quæ viros doctos late induxit in errorem. Nam censent ij, qui Fastos nobis industrie & perite collegerunt (Sigonium & Onufrium me dicere palam est:) censent inquam, Agrippam Vipsanium quartum fuisse consulem, atque ita adnotant, alter in anno DCCXXXIV. alter DCCXXXV. Quinetiam mirantur in Lapide Colotiano, vbi accurata recensio suffectorum Consulum, Vinicium poni, neglegi aut non exprimi Agrippam. Ego illos ab errore non reuoco (abierunt in communem locum) sed lectori caueo & inclamo; ne cum iis erret. Non fuit hoc anno aut alio M. Agrippa quartum Consul. Tertium ille consulatum non transscendit. Quo teste? ipso Velleio supra, vbi de Agrippæ laudibus, Quem vsque in tertium Consulatum amicitia Principis euexerat. Nonne maius aliquid esset, si in quartum, & Velleius hoc neglegat aut omittat? Quin testes Fastos veteres & memorias omnes aduoco: nusquam Agrippa nisi tertium consul. Ita & Martialis aperte, libro 8. Epigr. 66.

Felix purpura, tertiusque Consul.
Pompeio dederit licet Senatus,
Et Cæsar genero sacros honores,
Quorum pacificus ter ampliauit
Ianus nomina.

Quæ ad ternos Agrippæ consulatus spectant, & licet interpretes non vltra errent. Tertium igitur Consul non quartum. Atqui Velleius hic clare. Nunquam ipse, numquam. Librarius errauit, cum ille scripserit: quod inchoatum ab Agrippa, Marco Vinicio auo tuo Consule. [Possis & legere: inchoatum Agrippæ.] Hoc dicit. Agrippam missum ad hoc bellum, eumque id primum administrasse; illo anno quo Vinicij auus Consul. Ita etiam infra vnicum Consulem citat: Patre tuo P. Vinicio Consule Tib. Nero reuersus. Nonne hæc clara, &, quod dicitur, Solis radio scripta? ite nebulæ, & locum date huic luci. Colotianum marmor, quod fallere non potest, Consules hos ita digerit.

C. SENTIVS SATVRNINVS Q. LVcretius Vispillo
SVF. M. VINVCIVS. P. F.

nec collegam vllum Vinucio adiungit: quiane solus fuit, an potius, quia cum Q. Lucretio Vespillone, quem ex Dione in actis huius anni DXXXV. disco serius paullo electum, & cum Saturninus aliquantisper solus in Consulatu fuisset: merito igitur diutius etiam eundem gessit. Sed quidquid huius rei sit (nec est tanti:) credetne aliquis M. Agrippam, illum generum Augusti, illum tribunicia potestate præditum, inter suffectos consules fuisse, & quidem post Sentium & Vinucium? non qui res moresque antiquos nouerit.

Cap.97. Tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit.] Ego omnino mauelim: industria perficit. Nam semina quædam & igniculi virtutum in nobis sunt, quos elicit industria & ad frugem maturitatemque perducit. Quinctilianus consensu, Virtus etsi quosdam impetus à natura sumit, tamen perficienda doctrina est.

Cap.99. Visendi eius gratia ad quem conuenientes.]

Nos olim restituimus, in Epistolicis lib. 3. cap. 8. Aiunt pendulam sic sententiam esse. mihi non videtur, nec muto.

Cap. 100. Se & Gallo Caninio Coss.] Id fuit anno vrbis DCCLII. Dio tamen Cassius valde ab hoc calculo abit, qui relegatam Iuliam commemorat anno DCCXLVIII. C. Antistio Vetere, P. Lælio Balbo COSS. Sed moneo iuuentutem manifestum illic hiatum defectumque historiæ esse. Postea quidem annotatur ab interprete: ac hic debebat ante Frumentationes & Naumachiæ ludos. E Velleio discis: tum etiam è Macrobio, non fallaci argumento. Ille II. Saturn. indicat Iuliam hanc pessimam simul & argutissimam feminarum, tunc cum pulsa à patre fuit, egisse annum circiter trigesimumoctauum. Atqui nata ea (ex Dione didici) anno vrbis DCCXV. Ergo ad hunc annum DCCLII. iusti intercedunt, vt Macrobius voluit, anni XXXVIII.

Eod. Vtriusque ordinis viri, quasi cuiuslibet vxore violata, pœnas pependere.] Non culpo. nempe relegati ipsi aut pulsi, quæ pœna Iuliæ de adulteriis. Tamen Tacitus aliter longe adstruit III. Annal. Vt valida, inquit, D. Augusto in remp. fortuna, ita domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ ac neptis, quas vrbe depulit, adulterosque earum morte aut fuga puniuit. Nam culpam inter viros ac feminas vulgatam, graui nomine læsarum religionum ac violatæ maiestatis appellando, clementiam maiorum suasque ipse leges egrediebatur. Sed vterque adspectu aliquo verus. Velleius, si relegationem intueare istorum quos nominat; Tacitus, si mortem aut exsilium quorundam.

Eod. Voluntarij exsilij permansit comes.] Lego, Voluntaria. Non enim ipsius Iuliæ exsilium voluntarium, indictum plane & coactum: sed huius Scriboniæ, quam pietas filiæ comitem dedit.

Cap. 101. Ante aliis prouinciis adsidendum obitis.] Lego, ad visendum obitis.

Eod. Conuento prius Tib. Nerone, cui omnem honorem vt superiori habuit.] An Velleius ita scripserit, Principi suo, vt sæpe, seruiens, nescio: contra scripsit planissime Dio lib. 55. Τοῦ δὲ Γαΐου στελέντος ἐς τὸν πρὸς Ἀρμενίους πόλεμον, ὁ Τιβέριος ἐς Χίον ἐλθὼν, αὐτὸν ἐθεράπευσε, Caio misso ad bellum Armeniacum, Tiberius Chium traiiciens ipsum coluit & veneratus est. Idem Zonaras. Nec sane Caius illi se dedit, vt superbia & fortuna adolescentuli fuit: idque Suetonius clare indicat, Tib. cap. 12. Priuignum Caium Orienti præpositum, cum visendi gratia traiecisset Samum (Chium dixit Dio) alienorum sibi sensit ex criminationibus M. Lollij. Et omnino abiectior tunc despectiorque sors Tiberij tantum non exsulis: vt fortasse Velleius scripserit, qui omnem. Tamen, vt dixi, adulatio familiare scriptori meo in huius æui rebus vitium, facile defenderit quod vulgatur.

Eod. Cum rege Parthorum iuuene excelsissimæ insulæ.] Consensu emendant, iuuene excelsissimo, in insula. De insula recte. de iuuene, cur tam inconspecte? Phraates enim hoc tempore Parthorum rex, & cum eo colloquium. Ergo ille iuuenis? imo annorum & regni vetus. Ille est, qui bellum cum M. Antonio gessit, ille qui obsides liberos ad Augustum ante annos aliquot misit. Emenda verissime, iuuenis excelsissimus. Hoc dicit, cum summo rege in colloquium coiisse summum iuuenum (is est Caius) & ad spem imperij ab Augusto destinatum.

Cap. 102. Per Parthum indicata, Cæsaris ira euulgauit.] Male, nec quidquam per iracundiam hic Cæsar. Editio prima, Cæsaris iam euulgauit. Feci iampridem (in Epistolicis lib. 3. cap. 8.) indicata Cæsari, fama vulgauit. In re arcana, & cui non ipse arbiter, nil nisi famam auctorem dare callide & caute Velleius voluit.

Eod. In vrbe Lyciæ, Limyram nominant, morbo obiit.] Clare & distincte Velleius in Lycia obiisse Caium vult, vrbe quoque expressa. Et Limyrum quidem fluuium, Limyram vrbem, in Lycia Ptolomæus collocat: quæ in Stephano Lamyra scripta. In eadem cum Velleio sententia Suetonius, Caium & Lycium in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos: Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis. Etiam Ioh Zonaras, qui à Dione vt solet (nam ipse Dio hac parte mutilus) hausit: Ὁ δὲ Γάϊος ἐς Λυκίαν ἐν ὁλκάδι παρέπλευσεν, ἔνθα δὴ καὶ μετήλλαξεν, Ipse Caius in Lyciam oneraria naui prouectus est, vbi & obiit. Hoc isti censent, probi, fidi & talium curiosi scriptores. Tamen ecce qui dissentiunt (miramur in fato illustris iuuenis) & in Syria obiisse volunt. Grande autem, ne nescias, inter Lyciam & Syriam interuallum, & Pamphilia ac Cilicia totæ interiectæ. Seneca pater, qui ipse illius æui, Cum mortuo in Syria C. Cæsare, codicillo questus esset Augustus. Florus pariter, Massiliæ Lycius morbo soluitur: in Syria (ita omnes scripti libri) Caius ex vulnere. Etiam Festus Rufus: Caius vulneratus, reuersus in Syriam obiit. Quid dicemus? inclinabam ad priores: sed reuocat Bellonij, viri fidi & industrij, vt mihi videtur, obseruatio. qui narrat lib. II. Vrbem Hamam esse, Arabibus Hamzam, Latinis olim Emesam vel Emissam, iuxta quam sepulchrum sit δίστεγον, in modum quadrangulæ Pyramidis fastigiatum, valido cæmento exstructum: in quo C. Cæsaris epitaphium Græcis characteribus inscriptum legatur. Si ita est: (& vtinam expressisset ipsum scriptum!) quis ambiget, quin ad hunc C. Cæsarem pertinuerit? atque ita firma probaque sit altera sententia: quia Emesa illa citra controuersiam Syriæ in Phœnice vrbs est.

Cap. 103. Ante vtriusque horum obitum, patre tuo P. Vinicio Consule, Tib. Nero reuersus Rhodo.] Id ipsum Suetonius adfirmat cap. 13. & 15. in Tiberio: atque adeo rediisse illum Caio permittente. Quomodo igitur Dio verus? qui sic lib. 4. Συνέβη δὲ εὐθὺς μετὰ ταῦτα καὶ τὸν Τιβέριον ἐκ Ῥόδου ἀφικέσθαι, Λουκίου καὶ Γαΐου τελευτησάντων, Accidit post ita statim, vt Tiberius Rhodo rediret, Lucio & Caio defunctis. Profecto hæc falsa, etiam ipso Dione arguente. Si post ista statim rediit Tiberius, (id est, post ingressum Caij in Armeniam, & reuocata fœdera cum Partho. ita narrat.) quomodo Lucius & Caius iam defuncti? Nam Caius certe aliquanto post læsus, & post vulnus quoque diutule superuixit. Puto negationem è Dionis textu excidisse, scribendumque, Λουκίου καὶ Γαΐου οὐ τελευτησάντων. siue voles, οὐδέπω. Confirmat, quod Zonaras quoque (assecla aut exscriptor fere Dionis) significat Tiberium rediisse ante vtriusque obitum.

Eod. Id vnum dixisse iuuat, quàm ille omnibus fuerit carus.] Duo verba, iuuat & carus, nulla fuerunt in autographo, quo vsus Rhenanus: ipse fatetur indidisse. Tentabam igitur legere, Id vnum dixero, quàm ille omnia omnibus fuerit. Prouerbialis loquendi modus, in gratiosis, aut qui apud aliquem possunt. Demostenes in Philip. Πάντ' ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς. Diogenes Laertius in Hipparchia, Ἀλλὰ πάντα ἦν Κράτης αὐτῇ. Lucianus, Καὶ οἱ πάντα Κόμβαβος ἦν. Idem, Καὶ σωτὴρ, καὶ εὐεργέτης, καὶ πάντα ἦν ἐγώ. Varro, Hic enim omnia erat. idem Sacerdos, idem Parochus, idem Senatus, idem Populi caput.

Cap. 104. Ante meritis ac viribus, quam nomine Cæsarem.] Superbius videtur. An vires imperatoriæ Tiberio ante imperium? dici aliquid possit, sed malim ego, meritis ac virtutibus.

Cap. 105. Transitus Visurgis.] Apud Dionem in hac re narrata mendum, Τιβέριος μέχρι γε τοῦ ποταμοῦ πρότερον μὲν τοῦ Ἐρύγρου, μετὰ δὲ τοῦτο καὶ τοῦ Ἀλβίου προεχώρησεν, Tiberius vsque ad flumen primum Erygrum, deinde ad Albim progressus est. Scribe, τοῦ Οὐισούργου, reducta syllaba à vocula priori.

Eod. Pietas sua Cæsarem, pæne obstructis hieme Alpibus in vrbem traxit, ad tutelam imperij: eum veris initio reduxit in Germaniam.] Melius & concinnius: in vrbem traxit: at tutela imperii eum veris. Pietas in vtrumque parentem & desiderium videndi duxit eum in Italiam: tutela imperij (quod defendendum ei contra barbaros) reduxit in Germaniam.

Eod. Ad caput Iuliæ fluminis.] Feci Lupiæ pridem. Perseuero: nisi si Iulij faciendum, quasi in honorem C. Iulij Octauiani flumen sic nouiter appellatum.

Cap. 6. Ab inaudito atque incognito ante mari.] Nego. Drusus frater eius iam ante nauigauerat.

Cap. 107. Nostra quidem, inquit, furit iuuentus.] Adulatoria oratio & inepta, nec pro indole aut ferocia Germanica. Est qui legat, fugit iuuentus: male. Imo vero furere illam vult, nec esse suæ mentis quæ cum diu belligeretur.

Cap. 108. Nihil erat iam in Germania quod vinci posset, præter gentem Marcomannorum.] O vanitatem! Sed hæc & plura magnifice, imo seruiliter, Velleius narrat, in Tiberij sui laudes, Ἀλλ' ἐγὼ οὐ πείθομαι.

Eod. Excita sedibus suis atq. in inferiora refugiens.] Verius, interiora. Loca magis interna petierunt & dissita à limite Romano.

Cap. 109. Legiones Boiohæmum.] Sententia ἀτελής. Addendum videatur: Boiohæmum duceret.

Cap. 110. Saturninum admoueri placuerat pæne æquali diuisæ interuallo.] Lego. admoueri, certiorem nempe reddi de suo aduentu. Sequentia etiam sic expleam: placuerat. cuius copiæ pæne æquali.

Eod. Pars in Macedoniam eruperat.] In autographo: Macedoniam effugerat. Faciendum: Pars se in Macedoniam effuderat.

Eod. Proxima duobus Batonibus ac Pinneti ducibus auctoritas erat.] A quibus Proxima? nemo enim ante istos. Ad Maraboduum refers? frustra: non ille mixtus huic bello. Alterutrum. aut Prima duobus, scribito: aut à Pinnere. nempe vt isti proximo loco post Pinnetem. Qui autem Batoni hic fecerunt, peccarunt. Nam duo Batones in hoc bello, quod Dio extremo libro 56. te docebit.

Cap. 111. Itaque vt præsidium militum resp. ab Augusto ducem in bellum poposcit Tiberium.] Non probo ducem præsidium militum esse, magis regimen. Scripsit Velleius: præsidium vltimum. Velut ad extremum auxilium, inquit, & ad sacram anchoram, decursum ad Tiberium & ille dux depostulatus in graui grandique hoc bello. Nec Velleiana tantum adulatiuncula est; ipse Augustus, Suetonio teste Tiberium epistolis aliquot, vt peritissimum rei militaris, vtque vnicum populi R. præsidium prosequitur Habes ipsum istud elogium.

Eod. Necdum Senator æquatus Senatoribus, & iam designatis Tribunis plebis, partem exercitus ab vrbe perduxi.] Emendant & ita edunt: etiam designatus Tribunus plebis. non pro Velleij mente. Vulgata retinenda est: quæ hoc vult, sese æquatum Senatoribus: id est Tribunis designatis, nondum Senatorem. Qua in re quod præfuerit copijs, æque ac Tribuni, earumque partem duxerit ad Tiberium. Nam Tribuni hoc tempore eligi non poterant nisi è Senatu. Vide sodes, & adde hunc ipsum locum opportune) quæ notaui II. Elector. cap. XIII.

Eod. Furentes eorum vires vniuersas euasimus artibus.] Editio primitiua, partibus. bene, sed velim etiam, inuasimus, magis ex dignitate Romana. Nec enim effugisse aut elapsum Tiberium vult copijs partitis, sed magis, inuasisse grandes illas copias & carpsisse per partes.

Cap. 112. Pars exercitus eorum proposita ipsi duci.] Malo, opposita. Hostiles copiæ bipartitæ. pars vna Tiberio ipsi resistere debebat: pars altera legatis.

Eod. Neque instantem sustinere, neque facientibus copiam pugnandi dirigentibusque aciem ausa congredi.] In vet. edit. est: neque vt facientibus. Lego: neque aut fac. In eadem: dirigentibusque etiam. quod omnino amplector & τὸ Dirigere positum est ἀμεταβάτως: Dirigere, est aciem in ordines disponere. Sed & velim, instantes sustinere, numero plurium, vt ad Romanos referatur.

Eod. Sed Romana virtus militis plus eo tempore vindicatum gloriæ quàm ducibus reliquit.] Palam verum: Romana virtus militibus. Caussa victoriæ milites maxime fuere, cum duces parum explorato profecti incidissent in hostes.

Eod. Qui multum amore Imperatoris sui crepantes.] Non capio, nec pura censeo. Quid si, properantes, pro crepãtes? Quid si etiam, vltum? vt velit festinasse ad vindictam, & ad detergendam ignominiam à regiis acceptam.

Eod. Non incruentis centurionibus, quibus etiam primi ordines cecidere.] Editio vet. quin etiam primi ordines. haud improbo sensu. Tamen velim: qui etiam primi ordinis. Vult enim Centuriones aliquot primorum ordinum cecidisse.

Cap. 113. Contractis in vna castra decem legionibus, LXX. amplius cohortibus, XIV. sed pluribus quàm decem veteranorum millibus.] Desiderari vocem censeo, & scribo: XIV, alis, & pluribus quàm. Valde enim probabile de equitum etiam numero dixisse.

Cap. 114. Batonemque & Pinetem excelsissimos duces, captum alterum, alterum deditum.] In veteri est: captum alterum à se deditum. Suspicor fuisse. captum alterum, alterum à se deditum. Nam Bato sponte venisse ad Tiberiũ videtur, & se dedisse. Vide Dionẽ lib. V. sub finẽ.

Eod. Omnibus copiis à Cæsare M. Lepidus præfectus, vir nominis ac fortunæ eorũ est proximus.] Omnino, à Cæsaribus. Sic supra: Legati quos ad Cæsares mittebat. Nam & Tiberius iam in hoc nomen venerat, adoptatus ab Augusto & imperij consors. Sed cur Lepidus hic nominis (siue nomini) ac fortunæ eorum proximus? Puto, quia, à Sullâ & Pompeio genus ducebat, qui ipsi quasi Principes in re Romana. Tacitus docet III. Annal. de Lepida: Cui super Æmiliorum decus, inquit, L. Sulla ac Cn. Pompeius proaui erant, defendente eam Manio Lepido fratre. & vide ne hic sit iste ipse Manius, atque ita prænomen in Velleio mutandum.

Cap. 115. Amplissimorum honorum, quibus triumphans eum Cæsar donauerat.] Velim, donorum. Mox de eodem fratre & se: Quem (triumphum) mihi fratrique meo inter præcipuos præcipuisque donis adornatos viros comitari contigit. Notus mos triumphorum, in quibus coronæ, torques, faleræ, bello meritis dari solebant. Si tamen honores tenes: capere possis Triumphales.

Cap. 116. Nam & Seianus vir antiquissimi moris.] Suppositum nomen est, & prima editio refert: Nam & etiam antiquissimi. In Seianum certe hæc non conueniunt. qui equestri loco, prouincias aut exercitus non rexit. Tacitus te docebit. lib. IV. Annal. vbi vita & facta viri. Anne, Nam & Iunius? Caussa suspicionis ex loco Velleij infrà cap. CXXV. vbi Iunium Blæsum in Illyrico celeberrima militia fuisse ait, cum imperio in summa pace & quiete continuisse. Et interserit, vt prædiximus. Vbi autem de Iunio aut Illyrico aliquid prædictum, nisi si hic? Adde, quod in eum conuenit Africæ præfectura, cuius hic quoque mentio. Turbat tamen, quod ait eum defectum materia adipiscendi triumphalia: nisi si hoc adstringis ad Germaniam & Illyricum tantum. Nam ex Africa certe ea retulit.

Cap. 117. Ne occupato duce, & caussa persona moram exigit.] Mutilum est. Videtur fuisse: ne occupato duce sæuiret. Sed caussa & persona moram exigit.

Cap. 118. Quod, nisi expertus, vix credebat.] Facito, credat.

Eod. Per Segesten indicatur: sed præualebant iam

fata conſiliis.] *Negat editio vetus hæc germana illa eſt:* indicatur poſtulabat etiam fata. *An tale aliquid fuit?* indicatur, qui vinciri poſtulabat etiam. *Nam apud Tacitum Segeſtes ipſe narrat:* Dilatus ſegnitia ducis, vt me & Arminium & conſcios vinciret flagitauit. *An potiuſſe?* indicatur Obſtabant ſed iam fata. *Nam hæc talia ſæpe per p, litteram ſcribebant aut ſculpebant (lapides docent)* Obſtare, Opſides Opſitæ: *atque hinc librarij error.*

Eod. Vt plerumque qui fortunam mutaturus eſt, conſilia corrumpat.] *Altæ ſapientiæ gnome, quàm ſic conceperis ex editione veteri:* vt plerumque fortunam mutaturus Deus, conſilia corrumpat. *Nam in ea re* eſt, *nullum eſt: eiuſque loco,* Deus. *Hæc cauſſa etiam illud* qui *delendum cenſui, natum ex repetitione.*

Cap. 119. Paterni auitique exempli ſucceſſor ſe ipſe transfixit.] *De patre Sex. Quinctilij habes ſupra in bello Philippenſi:* Varus Quinctilius cum ſe inſignibus honorum velauiſſet, liberti manu interfectus eſt. *De auo, non tam obuium. Reperio tamen apud Cæſarem* I. *Ciuil.* Sex. Quinctilium Varum Quæſtorem L. Domitij *fuiſſe Corfinii. Vt probabile ſit eum ſic periiſſe in Pharſalia, aut in Africa.*

Cap. 120. Arminio territo, quem arguiſſe pater & patria contenti erant.] *In Ver.* Arma interfecti quem. *Stabilis manet noſtra olim emendatio:* Arma infert, quæ arcuiſſe. *Rhenum, inquit, tranſgreditur, & vltro petit in ſuis ſedibus Arminium, quem arceriſſe à noſtris abunde ſatis habebat Auguſtus & cines.*

Eod. Hereditatemque exciſi exercitus, in quantum voluerit, ab eo aditam.] *Imo,* valuerit. *id eſt quantum in ipſo fuit, opibus ſcilicet, pecuniaque quam repperit, in ſe translata.*

Eod. Caldus Cælius, vetuſtate familiæ ſuæ digniſſimus.] *Ex veſtigijs autographi:* Caldus Cælius, ac vetuſtate f. f. digniſſimi.

Cap. 125. Inter ſeueram præcipue noſtrorum vltionem.] *Vellem:* præcipue auctorum.

Cap. 126. Pœna in malos ſera, ſed aliqua.] *Fortaſſe:* ſed æqua.

Cap. 127. Vt D. Auguſtus M. Agrippa, & maxime ab eo, Statilio Tauro.] *Ferri intellegique poteſt: ego tamen.*

Μαντεύσομαι, ὡς ἐνὶ θυμῷ
Ἀθάνατοι βάλλωσι.

& puto fuiſſe : M. Agrippa, & Maximo Fabio. *Notus vel è Tacito eſt Fabius Maximus, qui inter fidos Auguſti amicos, & conſcios arcanorum.* [*Vide noſtrum Comentariũ, libro primo Annal.*] *At enim,* inquiet aliquis, *ille nobilis: hic de nouis hominibus ſermo. Ouidius quidem, fateor, nobilem eum fecit; ſed neſcio an hiſtorica fide: nec putem fuiſſe è priſcis illis Fabiis.*

Cap. 128. M. Catonem nouum etiam Tuſculo vrbis inquilinum.] *Scribe.* nouum & à Tuſculo.

Eod. Et qui M. Fuluio tantum tribuere, vt pæne aſſentatione ſua, quibus veller. principatus conciliaret.] *Quis vero iſte* M. Fuluius? *Primum, nec gens Fuluia inter nouas eſt vetus, & multa copia honorum: nec in ea quiſquam in quem tam inuidioſæ potentiæ elogium conueniat. Vere & aude corrigo:* M. Tullio. *Omnino. noſtra illa Romana Suada eſt, in quam hæc omnia cadunt. Ille nouus, quod ipſe alijque teſtantur; ille potens, & cæleſti ſua lingua Senatus populique rector.* Aſſenſione ſua (*ita verius, quam* aſſentatione: *niſi præfers,* aſſertione) *prouincias, exercitus, & tantum non regna dedit: Cæſar ipſe & Pompeius teſtes. quorum illi Gallias prorogauit, hunc ad Piraticum bellum miſit. Denique iam palam* Regnare in iudiciis, in concionibus *dicebatur: atq. adeo inimici: obyciebant,* Tertium peregrinum Romæ eſſe regem. *In M. Antonium etiam quæ fecerit, dixerit, & quomodo habenas reip. tenuerit, ſcimus.*

Cap. 129. Conſortiſque eiuſdem imperij euocauit.] *Edit. in Ver. vox inſeritur:* imperii formam euocauit. *Facio ex ea,* Romam *Atque ita res eſt.*

Eod. Vt Senator & iudex, non vt Princeps, & cauſſas preſſius audit?] *Hauec ſcribere:* etiam cauſſas præſens audit? *Nam ita fecit Suetonius de eo:* Magiſtratibus pro Tribunali cognoſcentibus plerumque offerebat ſe conſiliarium, aſſidebatque miſtim, vel ex aduerſo in parte primori.

Cap. 130. Apud aures deorum de his queri.] *Acutius,* de diis queri. *Sic fas eſt, inquit. hominem apud deos, deos accuſare. Et ita ſane facit, queriturque quod dij à calamitatibus immunem eximiumque non habuerint Tiberium, ipſum quoque ſcilicet futurum diuum.*

Cap. 131. Auctor ac ſtator Romani nominis Gradiue Mars] *Magis probem,* ſator Romani nominis. *Genitor enim & pater Romanorum Mars, quia Romulum ſeuiſſe dicitus.*

Eod. Protegite hunc ſtatum, hanc pacem, eique functo longiſſima ſtatione mortali.] *Vox deeſt. quàm fidenter repono:* Hanc pacem, hunc Principem: eique functo. *Ad Principem enim certe pertinet, quæ adrexit. Tu vere, tu magne, tu vne Deus, Europæ aliquando ſalutarem pacem, & eius amantes Principes dato.*

VARIANTES LECTIONES IN VELLEIO.

RAPHELENGIVS LECTORI S.

EN tibi, beniuole Lector, Notas aliquot in C. Vellcium, partim ab Aldo & Scegkio annotatas: partim ex docentis LIPSII ore exceptas: quas ille aut ab aliis animaduerſas, aut rei leuioris, in Animaduerſionibus ſuis non ponendas duxit. Eas mihi adiungere hoc tempore viſum fuit, tum quia Textum Aldi expreſsimus parum vbique correctum, tum vt quiſque iudicio ſuo vti poſſit in eligendo. Tuum eſt interim noſtram vtilitati veſtræ ſtudendi voluntatem bene interpretari.

AD LIBRVM PRIMVM.

CAP. 1. Cum ſocia conſiliorum omnium ſorore Electra.] *Vocula* cum *abeſt à Lib. Vet. Legendum igitur cenſebat. Lipſius,* conſcia.

Eod. Pactæ eius.] *Non vt Aldus,* pactæ ei. Pacta *enim* eius, *eo modo hic dicitur, quo* ſponſa eius. *Nonium vide.*

Eod. Penthelus & Tiſamenus.] *Scrib. cum Græcis,* Penthilus.

Cap. 2. Teminus, Creſphontes.] *Ex iiſdem Græcis,* Tomenus.

Cap. 3. Quod cum alij faciant, Tragici frequentiſſime faciunt.] *Delendum illud alterum,* faciunt. *tamquam additicium.*

Eod. Paullo ante Haletes.] *Adrianus Iunius Animadnerſorum lib. 6. cap.* 25. Aletes *ſine aſpiratione ſcribendum docet.*

Cap. 4. Orti, vt prædiximus, Atticis.] *Ante lineas aliquot dixit, Itaque vix dubium quin hic gloſſema ſit illud,* vt prædiximus. *Quæ voces ſæpiſſime toto hoc opere reperiuntur & ob id meritiſſimo Lipſio ſunt ſuſpectæ.*

Eod. Magna vis Græcæ iuuentutis.] *Rhenan.* Græciæ iuuentutis. *quod probat Scekius.*

Eod. Pharum.] *Lipſius,* Parum.

Cap. 5. Quod ſæpe illud vſurpat ..... hoc enim.] *Lacunam hanc ſuppleuit Fuluius Vrſinus hemiſtichio illo, quod ter in Iliade vſurpat Homerus:* Οἱοὶ νῦν βροτοί εἰσι.

Cap. 6. Mollitiis florentem.] *Editio Rhenani* fluentem. *eleganter.*

Eod. Pharnaces Medus.] *Emendandum ex Strabone. Athenæo & Oroſio,* Aruaces, *cenſet Lipſius.* Arbaces *Iuſtino nominatur. quo modo hic legendum opinantur Fabricius & Bengarſius.*

Eod. Ante annos V. & L X.] *Diſſentit à Liuio, Virgilio & alijs, qui Carthaginem ante Æneæ aduentum in Italiam, conditam tradiderunt: idque, vt Aldus opinatur, verius.*

Eod. Caranus.] *Rhenanus* Toranus: *contra hiſtoriæ fidem. Scegkius.*

Eod. Æmilius Sura.] *Petrus Delbenius exiſtimat hæc annotata eſſe à diligenti lectore, & hinc in textum irrepſiſſe, ad hæc verba,* Inter hoc. *Lipſius addit amplius, ad textum eſſe vſque ad verba,* Huius temporis. *Quia non faciunt ad contextum aut ſeriem Velleianam.*

Cap. 8. Ad exercitandam corporis animique virtutem.] *Vetus editio:* Ad excitandam.

Eod. Anni ſunt DCCLXXXII.] *Rhenani editio* DCCCCLXXXL. *Corrupte.*

Eod. Annis CDXXXVII.] *Scegkius malit* CDXXXII.

Eod. Quamquam, iam Aſylo facto.] *Planius commodiuſque Aldus,* quam, iam Aſylo f.

Eod. In ſocietatem ſuam perduceret.] *Lipſius ſcrib. ceſſet.* perduxerit.

Cap. 9. In ea mortem obierat.] *Albertus Burrerius notat in mſs. eſſe* in ea morte obierat. *Hinc Scegkius* In eo mar te obierat.

Eod. Ærario contulerit.] *Lipſius malit,* intulerit.

Cap. 10. Olympicum inchoauit.] *Melior lectio* Olympium. *Quam probat Frid. Sylburgius. Vel vt alij,* Olympium.

Eod. Tum regem Syriæ.] *Leg.* Rex. *ex Iuſtin. lib.* 34. *& Liuio libro* 45. *Quod & Aldus vidit, Scegkius edidit.*

Eod. Alterum ex iis quos in familia retinuerat.) *Aldus legi vult* ex duobus: *quaſi ex* II. *factum ſit,* iis. *Quod & Sylburgio placet.*

Cap. 12. Cum pars magna.] *Ald.* cuius pars m.

Eod. Tracta erat:] *Idem* Fracta.

Eod. Ita eodem tempore P. Scipio.] *Duæ hæ voces* eodem tempore *à gloſſemate ſunt: itaque delenda.*

Eod. Aut dixit, ac ſenſit.] *Aldus legit,* aut ſenſit.

Eod. Annis DCLXVII.] *Abit à ſe Velleius, ſi ſcriptura ſincera. ſupra enim monuit Carthaginem* LXV. *annis ante vrbem conditam. Igitur exactius conſtaret cum Eutropio, qui* DCLXX. *annos exprimit. Scegkius.*

Cap. 13. M. Manlio Cos.] *Car. Sigonius & Aldus* M.

Cap. 14. Nam militarium & cauſſæ & auctores.) *Vet. lib.* cauſſa.

Eod. Sutrium deducta colonia eſt.] *Car. Sigonius dubitat an è Liuio ſcrib. hic* Satricum.

Eod. Et poſt annum Setina.] *Melius* Setia, *cum Aldo.*

Eod. Tarracinam deducta colonia.] *Scrib. cum Lipſio* Tarracina.

Eod. At quinctum Fabio, Q. Decio Mure quartum Cos.] *Lipſ.* at Q. Fabio v. *id eſt* quintum. *&* Decio Mure, *non* Q. Decio M. *quoniam prænomen ei* Pub. *fuit, Rhenan. edidit:* Ad quinctum Fabioque Decio Mure. *Vnde conjecit Burrerius* At quinctũ Fabio. Q. Decio Mure. *Quem bene reprehendit Scegkius.*

Eod. Ante annos ferme CCCXX.] *Verior ſupputatio* CCCXIIX. *& paullo poſt pro* Coſſam *malim* Coſam.

Eod. Abhinc annos ferme CCC.] *Iure hic illud* ferme *reperit, cum deſint tres anni ad iuſtum numerum* CCC. *ſupplẽdum.*

Eod. Poſtque XXII. annos.] *Aldus ſecutus Sigonium legit.* XVII.

Eod. Fregellæque.] *Car. Sigonius* Frægenæque.

Cap. 15. Qui Sallues apud Aquas] *Griphij libro*

Sallies. Aldus Manutius Salyes legit.

Eod. Ferme CLVII.] Emenda cum Lipsio. CLII.

Eod. Vt prædiximus.] Nec dixit, nec oportunitatem dicendi vllam supra habuit.

Eod. Annos circiter CLIII.] Lips. credit leg. CXLVI.

Eod. Post tres & viginti annos.) Intersunt anni tantum octodecim, itaque legit Manutius.

Eod. In Vagiennis.] Vet. ed.-Rhenani habet Bacienis. Burrer. & Sigonius Baciennis.

Cap. 16. In eam formam.] Bene Rhenanus eandem. Nec male vnam Lips.

Eod. Artati temporis.] Alij Artata.

Eod. Nihilominus separati alienis] Vir doctus apud Scebkium. separata ab aliis Nisi forte alienis pro alienigenis positum sit.

Eod. Illustrauit tragœdias.] Aut potius; vt Lipsius, Tragœdiam.

Eod. Ac nouam comicam.] Bene Aldus at nouam. Comicam enim manifestum Glossema. Lipsius.

Eod. Neque imitanda reliquere.) Leg. cum Lipsio imitandam.

Eod. Videri nequiuerint.) Aldus nequiuerit. Vulgatã tamen non damnat Sylburgius.

Cap. 17. In Attio circaque eum Romana tragœdia.) Lib. Vet. Circaque eorum.

Eod. Vt quisque temporum institerit notis.) Lib. Vet. quis. leg. quisquis. Rhenan. & alii.

Eod. Eminentia cuiusque operis.) Lib. V. & eminentiam, addita copula rectissime. Vt & Aldus emendauit.

Eod. Temporum claustris circumdata.) Idem vet. circumdatam.

Eod. Incitationem accendit.) Leg. imitationem. cum Rhenano, & aliis.

Eod. Naturaque.) Lips. Matureque.

AD LIBRVM II.

CAp. 2. In Capitolio fuerat.] Ita etiã editio VVecheliana: dubium tamen non est quin legendum fecerat.

Cap. 3. P. Africani patruus.) Aldus ingeniose patrui. Nam vulgata lectio plane falsa.

Eod. Cum esset consobrinus Tib.) Reuera sobrinus fuit. Sed historici sæpe confundunt. quod tum Lipsius, tum Scegkius notarunt.

Eod. Ob eas virtutes. &c. factus est. Includenda hæc parenthesi, auctore Lipsio. Aldus legit, ob quas virtutes. Et paullo post pro cum data læuo brachio togæ lacinia, ex Valerio Max. lib. 3. cap. 2. emendat circumdata.

Cap. 4. Sed M. Aquillio.) Inserendam voculam, & legendum sed à M. monet Manutius.

Eod. Cum omnis concio acclamasset.) Alij cum Lipsio malunt occlamasset.

Eod. Abhinc annos CL.) Aldus legit CLVIII.

Cap. 5. A Bruti.) Scribe cum Aldo, D. id est, Decimi.

Eod. Ingenti vi hominum vrbiumque potius numero.) Illud numero Lipsio suspectum est tamquam glossema: nisi aduerbialiter numero, sit pro cito celeriter.

Eod. Contrebiam.) Alii Trebiam nominant.

Cap. 6. At Fabius Æmilianus. Paulli exemplo, disciplinæ in Hispania fuit clariss.] Lipsius hæc ita legit ac distinguit, at Fabius Æmilianus Paulli, (scilicet filius) exemplo disciplinæ, in Hisp.

Eod. Frumentum plebi dare instituerat.) Vet. editio dari instit.

Eod. Armatos ad pugnam ciens.) Eadem vet. ed. armatus.

Cap. 8. Inliso capite in pontem.] Legendum ex Aldo postem.

Eod Rutilium.) Scribe Rupilium, eodem auctore.

Eod. Opimiani vini.) Ita repositum & editum ab eodem Aldo, cum antea esset vici.

Eod. Anni CLI.) Idem CL. mauult.

Cap. 8. Quippe Cos. Cato Consularis.] Lipsius C. Cato. Quo modo edidit Scegkius. Fuit autem C. Cato Consul A.V. DCXXXIX. cum M. Acilio Balbo. Gryphii liber M. Cato conf. C. Cato cons.

Eod. M. Metelli fratres.] Pro M. censet reponendum II. id est, duo fratres, ex Eutropio libro quarto Manutius. Verum Scenkius edidit Circa eadem tempora Metelli fr. reiecta. M.

Eod. In Acidiani Manlij.] Aldus Acidini.

Eod. Quod solis contigerat Scipionibus.) Refellit eos Aldus qui Cæpionibus substituunt.

Cap. 9. Sed opus belli ciuilis Sullani.) Vetus edit. bene habet Sullanique, id est, belli quod cum Mithridate gessit Sulla.

Eod. Et nouitate inuenti.] Lips. putat leg. sed nouitate inu.

Cap. 10 Persequamur notam seueritatem censorum, Cassij Longini Cæpionisque, qui abhinc.) Lipsius, Prosequamur. Alii libri habent Persequamur notam simultatem Cassij Longini Cæsarisque, quæ abhinc.

Eod. Annos CLVII. Lepidum Ælium.) Bene, iudicio Lipsij, Aldus, CLV. Lepidum Æmilium. vt etiam edidit Scegkius. In gente enim Ælia cognomen Lepidi non reperitur.

Eod. At nunc, si quis tanti habitet, vix, &c.) Vulgati libri si quis tanti habeat.

Eod. Vix vt senator agnoscitur.) Lipsius Malit agnoscatur.

Cap. 11. Morandique in imperiis cupiditatem.) Quidam lib. immorandique imperiis cup.

Cap. 12. Annos ferme CXXXIIX.) Aldus leg. putat CXXXIV.

Eod. Manliumque conf.) Alij habent Maniliumque idque placet Manutio.

Eod. Aurelium Cos.) Aldus legit consularem. quia Orosius cecidisse eum dicit, cum legatus esset, vna cum Cæpione.

Eod. Nomen erat Raudis.) Caudiis leg. hic, erroremq. ex eo quod antea Kaudiis scriptum fuerit, natum existimat Lipsius. Veteres libri Vineti, Raudium. Florus Claudium appellat.

Cap. 13. Minoribus perceptis.) Fortasse præreptis. Lipsius.

Eod. Male cedebant.) Idem malit, cadebant.

Cap. 15. Abhinc annos CXX. cum id malum in vniuersa Italia ab Asculanis esset.] Manutius legit. CXIX. Vniuersa Italia, cum id malum ab Asculanis ortum esset.

Eod. Seruium prætorem.) Seruilium mauult Aldus vt & Scegkius edidit.

Eod Expulsum ciuitate L. Saturnino.) Scegkius Aldum secutus, edidit, à L. Saturnino.

Eod. Consensu Reip.) Iidem consensu P. Rom. corrigunt & edunt.

Cap. 16. Insteius Cato.) Manutio leg. videtur, ex Cicerone, Eutropio & Appiano, Vettius.

Eod. Papius Mutilus.) Legendum Mutilius. quo modo Orosio appellatur. Diodoro Aponius Motylus.

Eod. Campanorum principis celeberrimi, & fidelissimi viri.) Distingue, cum Lipsio: Campanorum principis celeberrimi & fideliss.

Eod. Tum maxime dilucideque Q. Hortensius.) Lipsius legit tum maxime dilucide Q. Hortens.

Eod. Cuius pietati.) Editio vetus interserit vocem ille, ex quo Lipsius legendum conijcit, cuius scilicet pietati.

Eod. Quod appellarent Italicum.) Melius videtur Lipsio, quod in vetere editione est, appellarant.

Cap. 17. Nisi quem Nolani belli.) Lipsius, nisi quod Nol.

Cap. 19. Magno eiulatu expromenti indignationem casus tanti viri.) Scegkius legit expromens. Gryph. & Stephan. Magno cum eiulatu se prodentem, indignatione c. t. v.

Cap. 20. Sanguine consulis Romani, militis imbutæ manus.) Distinguenda hæc sanguine consulis, Romani militis imb. m.

Eod. Ab exercitu Cn. Pompeij.) Rhenanus ad exercitum.

Eod. Quàm dux creauerat.) Quidam τὸ creauerat, coiectura Burrerij licenter in excitauerat mutarunt. Scegkius.

Cap. 21. Spes maior affuisset potentiæ,) Aldus bene affulsisset.

Eod. Ante annos ferme CLXVIII. Q. Pompeius.) Turpiter errauit Marlianus, dum legit LXVIII. & pro Q. quàm, vt habet Rhenanus, reponit. Sed legendum. CLXIX. Leopardum vide lib. 8. Miscellan. cap. 8.

Cap. 22. Neque licentia immediocri sæuitum.) Legendum putat Lipsius: licentia gladiorum in mediocres sæuitum.

Eod. Excelsissimi quique eminentissimæ ciuitatis viri.) Lib. vet. excelsissimi quoque atque eminentissimæ addita copula. Ex quo Aldus Excelsissimi quique atque eminentissimi ciuit.

Eod. Qui sub aduentum Cinnæ consulis abdicauerat.) Consulatu abdic. legit Scegkius: itaque edidit.

Eod. Merces foret.) Vocula illa foret auctore Lipsio deletor tamquam glossema.

Cap. 23. Nimirum veri vetustatisque ignarus est.) Alij nimium veri.

Cap. 24. Forte Mithridatem pepulerat prælio.) Illud forte suspectum est Lipsio. Lib. vet. pontei

Eod. P. Lænas trib. pl.) Aldus Popilius mauult.

Cap. 25. Optimo quoque & sanissimo.) Alij sanctissimo.

Eod. Scipionem Norbanumque.) Manutius Cæpionem Norb. abnuente & repugnante Scegkio.

Eod. Dum vincit iustissimo lenior.) Sylburgius putat hic substituendum debito, vel austerissimo. Lib. vet. ac istissimo. Lips. olim faciebat mitissimo lenior.

Eod. Propinquanti mox bello facem.) Basil. editio pro quanti mox belli facem. quod sequitur Scegkius.

Cap. 26. Animi magis quàm æui paterni, multa fortiterque.] Quidam libri interserunt vocem, qui multa fort. quam tamen vet. edit. non habet.

Eod. Damasippus præter Domitium Scæuolam etiam pontificem.) Lips. Domitium, Scæuolam, & pontif. Aldus Manutius Dam. pr. Domitium, Scæuolam etiam. Vel: D. pr. Q. Mucium Scæuolam & pontif.

Cap. 27. Non obscuratur eius memoria.) Burer. ciuis mem.

Eod. O fella Lucretius.] Alij libri male habent Asella.

Cap. 28. Magnificis præliis) Aldus legit magnis. Nihil mutandum censet Lipsius: nam & alibi sic loquitur.

Eod Per annos CXX. intermissa. nam proximus post annum quàm Hannibal.) Vir iuris & antiquitatis consultus apud Scegkium leg. arbitratur. Per annos CXX. intermissa, à proximo post anno, quàm Hannibal.

Eod. Vt appareat pop. Rom. vsum dictatoris non tã desiderasse, quàm timuisse potestatem imperij.) Rhenanus diuinat: Haud deside metu à Ser. Tullio continuisse, potestatem imperio (pro res ad vindicandum maximi periculi!) spoliantem.

Eod. In ea iugulati ciuis reip. constitueretur auctoramentum.] De hoc loco vide Lipsium Elect. lib 3. cap. 8. Cl. Puteanus: In ea iugulati ciuis R. (id est Romani) publice constitueretur auct.

Eod. Nec tamen in eos.) Lipsius tantum.

Cap. 29. Dignitate constantiaque in illam conuenit.) Aldus dignitate constantiaque quæ in ill.

Eod. Dux bello peritiss.) Lips. belli.

Eod. Pæne omnium votorum expers.) Locum hunc alij aliter emendant: Scekius tolerat vulgatam.

Cap. 30. Etoscæ interem.) Aldus Et escas, aut potius Oscæ. cui adsentitur Scegkius. Videtur hic fuisse Eleoscæ, nam & Ileosca dicta est Straboni.

Eod. Ex Hispanis triumpharunt.) Hispaniis reponit Lips. Nam alioqui legendum esset de Hispanis.

Eod. LXIV. fugitiui.) Non displicet: Lipsio numerus qui in Liuij Epitoma legitur. LXXIV.

Cap. 31. Et per omnia maiore vi habebatur. Egregie, Lipsij iudicio, diuinarat Rhenanus & pæne homine maior hab. itaque editum nuper. Posset tamen legi cum Aldo per omnia maior euehebatur.

Eod. Orbem classibus, iam non furtiuis expeditionibus.) Lips. distinguit, orbem classibus iam, non furt.

Eod. Quo S. C.) Cuiatius in obseruationibus rectissime scribendum putat P. S Cto id est Plebiscito. nam tribuno legem ferente populus eam sciuerat. Scegkius tamen id improbat & emendat quo scito. facili & prono errore imperiti librarij τὸ Scito in SCto. mutantis. etsi putat verius esse in Velleium hanc culpam, quàm in exscriptorem conferre.

Cap. 32. Horoscius.) Aldus Manutius legit L. Roscius Cui tamen non displicet (vti nec Lipsio) lectio Cl. Puteani, qui pro Horoscius reponendum censet. Otho Rhoscius.

Eod In theatro loca restituit.) Idem constituit aut distribuit legend. hic putat. Lips. instituit, Scegkius probat & retinet communem ac vulgatam lectionem.

Cap. 33. Expellebatur cupidine.) Lips. expallebat vel debellabatur. Aldus explebatur, quod tamen postea improbauit.

Eod. Quod arguebatur,) Rhenan. quo arg. Scegkius nihil mutat.

Eod. Vt primum ad Remp. adgressus est.) Alij Vt primum Remp. adgres.

Eod. Conuictibusque.) Aldus mauult conuiuiisque.

Cap. 34. Ne ab huius quidem vsura gloriæ.) Ita restituit Aldus, cum antea legeretur vsuræ gloria.

Cap. 35. In altissimo luminauit.) Lips. assentitur Rhenano, qui legit Altissime illuminauit.

Eod. Vt ardore oris orationem omnium.) Ed. vet. & ardore oris, vt orationem. Hinc Lips. pro & legit. eo. Et postea ardore oris, vt orationem.

Eod. Ita consulis virtutem.) Prior editio habet consilii. Ex qua lectione Lips. legendum diuinabat. ita consilij sui rationem.

Eod. Quos prædiximus.) Hic non habet locum. ergo deletor.

Eod. Non segnius nota obiit.) Aldus, mortem obiit aut vita abiit. Vir doctus nota obijt. Scegkius voto obiit ex Sallust.

Cap. 36. Annos LXXXII.) XCII. substituendum putat Aldus.

Eod. Perfectissime in forma operis sui.) Lips. perfectissimi, itaque edidit Scegkius Manutius perfectissimæ metamorphosi.

Cap. 37. Sed discors patris.) Lege patri.

Eod. Societati commissurus.) Manutius potestati. Scegkij editio habet fidei.

Cap. 38. Notauimus facilius, vt quæ partibus simul vniuersa conspici, &c.) Quidam legunt notauimus, vtque facilius, quàm partibus, simul vniuersa consp. Aldus notauimus, facilius vt è partibus sim. &c. Scegkius

notabimus vt facilius partibus (*aut* è partib.) simul vn. *Notatque* notabimus *abesse libris Vet.*

Eod. Abhinc annos CCI.] *Stricta computatio* CCXLIIX.

Cap. 39. Primum Domitio Fabio nepote.] *Manutius*: à Domitio & Fabio. *In lib. Vet. est* nepoti. *Hinc Lipsius* Domitio & Fabio nepoti.

Eod. Ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit, visa vicissetpost bellum Antiochinum Vulso Manlius Gallogræciâ,] *Aldus Manutius locũ hunc ita legit*: Et eodem tractu Ciliciam perdomuit Isauricus, & post bellum Antiochinum Vulso, *&c. Vel.* Et eodem tractu P. Seruilius Ciliciam perdomuit: cum desciuisset post bellum Antioch. *Scegkius*: Ab eodem facta Numidia. Ciliciam perdomuit Isauricus. & post bellum. *Liber enim Bonhom. habebat* facta Numidici. *Ex quo Sigonium secutus Scegkius. fecit* facta Numidia.

Eod. Confessionem extorserat, parem Illyriis.] *Scegkius edidit* extorserat, tam parem, *&c.*

Cap. 40. Vt s. Ludis.] *Legendum* is, *quomodo alij iam ediderunt.*

Cap. 41. Nullo modo compelli potuit.] *Hoc probat Scegkius. Quidam malunt* nullo metu comp.

Cap. 43. Merito iam infestis sibi.] *Alij* tam.

Eod. Qui ciuem R. damnatum.] *Scegkius Aldum secutus edidit* indemnatum.

Cap. 45. Verum & cupito interitu.] *Lipsius nos docuerat emendandum*, verum vt cœpit interrita. *Atque ita Scegkius.*

Eod. P. Clodius in senatu, sub honorificentissimo ministerii titulo.] *Cuiacius censet Voces* in senatu *delendas, quippe repetitas è superioribus lineis. Lipsius etiam* honorificentissimi.

Eod. Non ante is egressus est.] *Manutius* non ante iis egressus est.

Cap. 46. Inuictum par consulum.] *Bonhomæi editio* victus par.

Cap. 48. assentabatur.] *Lipsius* assentiebatur.

Eod. Ante biennium.] *Ex fide historiæ Lipsius mallet* annum.

Cap. 49. Tantummodo contentus.] *Hæc Vsque ad Verbum* decreuerat *parenthesi seiungenda opinatur Aldus.*

Eod. Committere decreuerat.] *Scegkius bene emendat* committeret, decreuere.

Cap. 52. Dignationi partem in die.] *Male Robertus Stitius*, dilationi. *Scegkius rectè* dignatione partium in dies.

Eod. Effusumque alterum Rom. imperij lumen.] *Dousa* effossumque.

Cap. 53. Quos victores darent, comites ei fortuna aggregauerat.] *In aliis libris duæ istæ Voces* victores darent *non reperiuntur. & rectè Vt censet Lipsius: reperitæ enim sunt è superioribus lineis. Aldus* Quos, victore Cæsare, comites, *&c.*

Cap. 54. Adhuc vbique Iubæ nomine.] *Manut.* vigens *Vel* viuens. *Scegkius Vulgatam tolerat, aut si quid mutandum sit, legendum cum Rob. Titio* vbique ibat.

Eod. Locorumque inopia.] *Quid si* aquarumque?

Cap. 55. Gloriæ eius adstruxit.] *Scribend. cum Lipsio* adstruxerit.

Cap. 56. Restitutæ. C. A duce.] *Ita Aldina editio, pro* restitutæ sunt à duce. *Quod in editione Francofurt legitur. Aldus putabat fuisse anteà* restitutæ, ceterum à duce *Quibusdam placet* sed à.

Cap. 57. Cuius cum fortunam mutare constituit.] *Aldus abundare Voculam* cum *existimat.*

Cap. 59. Etiamsi præuentis & pauca dicenda.] *Lipsius* at pauca *Aldus* tamen pauca.

Eod. Hispaniensis militiæ assecutum.] *Lipsius ex Suet. Aug. capite* 8. *legend. censet*, Hispaniensi militia assec.

Eod. Et pacatis bellis ciuilibus.] *Alii* paratis, *alij* peractis *Aldus* pactatis *emendat. sicque editum à Scegkio.*

Eod. Saluidienus.] *Ita Rhen. Gryph. & Sueton. Aug. Liuii epitom. Quod Scegkio placet, præ illo* Saluidenus quod *est in Aldi editione.*

Eod. Omnem ordinationem.] *Alij* ordinantem. *VVecheliana editio* ordinem.

Cap. 60. Ciuitatibusque corruptis.] *Aldus* sublatisque corr.

Cap. 61. XIX. annum ingressus.] *Alij* XIIX.

Eod. Bellum cum Antonio gerere iussit. Ab eo annum agente.] *Leg. cum Lipsio*, Id ab eo.

Eod. Vicesimum.] *Scegkius reseriq. malit* vndè vicesimum.

Cap. 62. Quicumque his se exercitus tradidissent.] *Leg.* hisce. *Vt Aldus emendauit.*

Eod. Dum resp. constaret concordia. *Lipsius* dum reip. const. concordia.

Cap. 63. Per auersa castrorum proruto vallo.] *Aldus putat leg.* auersam cast. partem. *non rectè.*

Cap. 64. Nomine Cameli.] *Ita Rhenanus. Scegkius edidit* Capeni.

Eod. Cæsarem qui illa dederat perisse.] *Idem Sceck.* perire *vulgauit.*

Eod. Trib. Canutius.] *Aldus dubitat an leg.* Tib. Canutius, *id est*, Tiberius, *quia id illi prænomen. Scegk. nihil mutat.*

Cap. 65. Facta mentio.] *Francofurt. editio non male* iacta.

Eod. Annis DCCIX.] *Scrib.* DCCXI. *secundum Aldum.*

Eod. Iungentem prætoria.] *Lipsius* prætoriæ.

Cap. 66. Aut ab illo Cicero) *Legendum* ab vllo *cum Lipsio.*

Eod. irritando necem.) *Lipsius* inuitando.

Eod. Vitam inferiorem te principe.) *Scegkius edidit* miseriorem. *quod & Lipsio placebat.*

Cap. 68. Cum in modica quidem seruari.) *Hen. Stephani editio rectius* cum ne à diis quidem seru. *Quod Lipsio non displiceat. Scegkio non item: qui edidit* cum ne in modica quidem seruari posset. *Aldus* cum ne in modica quidem re seruari poss.

Eod. Quippe peiori illi res familiaris, quàm mẽs erat.) *Parenthesi hæc includenda censet Lipsius.*

Cap. 69. Imperatoribus, qui prævalidis.) *Aldus*: Imperatoribusque prævalidis. *Quibusdam lib. abest Vocula* qui. *Bonhom.* Imperatoribusque validis. *quam lectionem probat Scegkius.*

Eod. Laodicea expugnat, ita tamen vt.) Expugnarat *mauult cum Aldo Scegkius. Libri Vet.* Laodicea expugnata ea vrbe fecerat ita tamen. *Ex quo Rhenan. leg. censet* Laodicea expugnata interfecerat: ita tamen.

Eod. Ita tamen vt ad dictum serui sui Dolabella non segniter ceruicem daret.) *Si hæc itidem parenthesi includantur: haud paullum ad periodi lucem factura iudicat Lipsius.*

Eod. Vatinius nulli nomini non esset postf.) *Aldus Manutius putat illud* nomini *natum ex glossemate* nemini *in quo ei assentitur Scegkius. aut potius leg.* homini. *Puteanus* nulli minimo.

Eod. Et lege Pedia.] *Lipsius* At lege.

Eod. Aqua ignique damnatis interdictum.) *Petrus Delbenius tollit illud* damnatis.

Cap. 71.

Cap. 71. Iuliæ Augustæ pater.] Liuiæ *mauult Aldus: sed vulgatam iam olim ad Tacitum firmauit Lipsius.*

Cap. 72. Corrupto animo eius in diem.] *Probum hoc Scegkio videtur. At Aldus emendat* vna die.

Eod. Occupatus nauibus, tum magno sequentium consilia sua comitatu.] *Legendum*, occupatis nauibus cum magno seq. cons. sua com.

Cap. 75. Quam transgressi ad eos sacerdotem ac filiam.] *Aldus legi vult*, Quin transgressa ad eos sacerdotem pæne habuit ac flaminem. *Bene illud* ad deos: *quod & Lipsius ad Tacitum probat & explicat. Reliqua ridicule Vt existimat Scegkius.*

Eod. Cuius bimum hunc Tib.] *Aldus & Scegkius, assentiente Lipsio, legunt* vix bim.

Cap. 76. Bruti ac Tironis.] *Lipsio placet* Tib. Neronis *quo modo Aldus emendauit.*

Eod. Comes esse non posset.] *Aldus & Scegkius legũt* cum comes esse non p.

Eod. Præparatusque contra eum Cæsaris.] *Ita Rhen. & Aldi editiones. Scegkius edidit* paratusque.

Eod. Summam accepisse.] *Lipsius malit* summa.

Cap. 80. Inutilis in aliena victoria comes.) *Vetus editio*, inutilis alienæ victoriæ comes.

Eod. Quam tueri non poterat dignitas.] *Aldus* intueri.

Cap. 81. Singulari exstructum munificentia est.] *Haut displiceat Lipsio* magnificentia.

Cap. 82. Qua æstate Cæsar eam prospere Lepidum in Sicilia, bene fortuna in Cæsare & rep. militauit ad Orientem.] *Locus manifestè corruptus. Aut. Bohomæi editio* habet, qua æstate C. Cæsar tam prospere in Lepidum. *Scegkius, si nihil deest, tentauerit*, Q. æ. C. tam prospere in Lep. in Sicilia, pæne fortuna in Cæsarem & Remp. (*aut* in Cæsare & Rep. *antique*) militauit ad Orient. *Mutatione leui vocis* bene *in* pæne. *Nihil tamen serio adfirmat. Sunt quibus placitum*: Qua est. C. tam prospere Lepidum in Sicilia deuicit, bene fort. *&c.*

Eod. Egressus Armeniam.] *Lipsio leg. videtur* ingressus.

Eod. Hoc M. Antonio acto, illis leg.) *Aldus* Hoc M. Antonij octo illis leg.

Eod. Calonum seruitiique desiderata est.) *Inserendam hic Voculam* tertia *opinatur Scegk. Quod & Lipsio ante visum.*

Cap. 83. Mox autem hunc mox auunculum Titius.] *Dein istæ Voces* mox autem *desunt Veteri editioni. & Scegkius deleuit. Aldus postremum* mox *abiiciendum censet. Lipsius ante illud* Titius *ponendum existimat* M. *id est*, M. Titius.

Eod. Vir prætorius.) *Burer. habet* vir è prætorius. *Hinc Scegkius* vir è prætoriis.

Eod. Grauissimus pater, Silii socer.) *Ita Rhenan. Sed Scegkius* fecit grauissimus, P. Silii soc.

Eod. Multa ac nefanda.) *Alij* miranda.

Cap. 84. Illam arcebant omnia.) *Legendum cum Aldo* in illa iacebant: *vel potius* illa marcebant. *quod & Scegkius expressit.*

Eod. Nauium hæc magnitudo, modica ne celeritate.) *Aldus* Nau. hinc. (*vel hic*) magnitudo modica, cum celeritate. *Vt est in editione VVech. Alij* Nau. hinc magnitudo modica, sed celerior.

Eod. Aduersa illa specie terribilior.) *Lipsius putat legi hic etiam posse* terribiliora, *Scegkius edidit* ex aduerso illa specie terribilior. *Alii*, ex aduersa illa specie terribilior. *Burer.* aduersa illa species terribilior.

Cap. 86. Ex quo in quem statum.] *Aldus Manut. legit* ex eoque in quem.

Eod. Facturus fuerit triumphum.) *Rhenanus plura hic deesse arbitratur. Edit. Vet.* fuerit modum.

Cap. 87. Vt dederat Trebonius.] *Inserendam hic vocem* primus *& legendum* vt ded. primus Treb. *existimat Manutius, ex loco Ciceronis in Philip. & Latini sermonis observatione.*

Cap. 88. Equestris, & splend.] *Aldus* equestri & splend. *Vt etiam edidit Scegkius. Vir doctus apud Scegkium* equestri, sed spl.

Cap. 89. Repræsentauit.] *Lipsius malit* repræsentarit.

Cap. 90. Quem vsque in tertium cons. *&c.* euexerat.) *Hæc omnia parenthesi comprehendenda censet Lipsius.*

Cap. 91. Consensu vniuersi.] *Bene, Lipsij iudicio, lib. Vet.* consensus.

Cap. 93. Agrippam secure ei posse.] *Vet. editio* securos. *Ex quo legendum coniicit Lipsius* securo.

Cap. 94. Quo primo.] *Leg. cum Aldo*, quo bimo. *Scegkius edidit* quo prius nato.

Eod. Maximamque difficultatum annonæ.] *Corrige* difficultatem ann. *quo modo & Scegkius edidit.*

Cap. 95. Neque ipsi honori.] *Leg. Vt emendauit Aldus & Scegkius edidit*, neque ipsis hon.

Cap. 98. Vigore ac lenitate mixtissimos.] *Placet Puteano & Scegkio*, rigore ac len.

Cap. 100. Quicquid liberet pro licito iudicans.] *Editio VVecheliana habet* vindicans.

Eod. Iulus Antonius.) *Hoc melius, quam quod alij habent*, Iulius Ant.

Cap. 101. Prouinciis adsidendum obitis.) *Scegkii editio* ad sedandum.

Eod. M. Vinicio.) *Scegkius Aldum secutus edidit* M. Vinici.

Eod. Omnibus ad Orientem versus prouinciis.) *Scegkius ex Vet. edit. reposuit* visis. *Vir doctus* vsus prouinciis: *male Vt censet Scegkius.*

Cap. 102. Cæsaris ira euulgauit.) *Vide Lipsii Epistol. Quæst. libro* 3. *capite* 8. *Rhenan.* Cæsaris iam aulgauit.

Eod. Diu reluctatus.] *Ita Burrerius: aut*, de reditu luctatus. *A Scegkio editum*: Deinde reluctatus.

Eod. Ante annum ferme quinquagesimum Cæsar.) *Error librarii. Legendum autem* L. (*id est*, Lucius) Cæsar; *Quod & Aldus vidit & Scegkius edidit.*

Cap. 103. Eoque vehementer.) *Scegk. Vet. edit. secutus fecit* atque vehem.

Eod. Ælio Cato Sentio cos.) *Leg. cum Aldo* Sex. Ælio C. Sentio coss. *Paulus Leopard. Miscellan. lib.* 8. *cap.* 8. Ælio Cato & Sentio coss. *emendauit.*

Eod. Annis DCCLIV.) *Leg.* DCCLVI. *censet Aldus.*

Eod. Abhinc annis XXXIII.) *Scribe cum eodem Aldo*, XXVI.

Cap. 104. Et ab eo quibusdam in locis gestum.) *Lipsius* Id ab eo.

Eod Neque verbis exprimi, & fortasse vix mereri fidem potest: intrata protinus Germania, (*Hæc ita distinguit & legit Lipsius* neque v. ex. & for. vim. fidem potest, intrata protinus Germanio.

Cap. 105. Cherusci gentes.) *Illud* gentes *tanquam glossema abiiciendum censet Lipsius.*

Eod. Multiplicem in virtutibus.) *Lib. Vet. abest Vocula* in *& bene.*

Eod. In mensem Decembrem perducta.) *Lipsius malit* producta.

Cap. 106. Senonum.) *Scegkius legit* Semnonum.

Cap. 109. Corpus suum custoditum.) *Vet. edit. habet*

custodia tum. *ex quo Lips.* custodia tutum.

Eod. Totumque ex male dissimulato.] *Scribe cum Lipsio* tutumque.

Eod. Quem LXX. millium.] *Alij* LX.

Eod. Legiones Boiohæmum.] *Scegkius malit* Boyhaimum.

Cap. 110. Cuius immensæ multitudinis parentis acerrimis ac peritissimis ducibus.] *In Rhenani editione est:* C. imm. mult. pars acertimis & p.

Eod. Pars petere Italiam decreuerat.] *Eadem editio* properate in Italiam decreu. *eamque verā lectionem censet Lipsius.*

Eod. Batonibus ac Pinneti.] *Petrus Delbenius legit* Batoni: *quia infra* Batonem & Pinetem *nominat.*

Eod. Quia tantus etiam huius belli metus.] *Lipsius* quin t.

Cap. 111. Vndique omnes veterani.] *Vetus editio* vndique & omnes *inserta vocula.*

Eod. Speciosi ministri locum.] *Lips. malit* ministerij. *Tolerat tamen vulgatam lectionem.*

Eod. Etiam designatis trib.] *Vir doctus apud Scegkium leg.* etiam designatus tribunus militum. *Scegkius edidit* etiam designatus tribunus plebis. *Vulgatam probat Lips.*

Cap. 112. Magna Thracum manu.] *Scegkius ex sententia Aldi edidit* Magnam Thracum manum.

Eod. Mœtalces.] *Ita Aldus & Burrer. Scegkius reposuit* Rœmetalces. *cum vet. ed. habeat* Remo & Alces.

Cap. 114. Suorum quisque metu finium.] *Duæ istæ voces* quisque *&* finium, *desunt editioni Scegkij.*

Eod. Cuius beneficium.] *Lips.* cuius vsum. *Vocem enim* beneficium *Rhenanus substituit.*

Eod. Agnosceret protinus.] *Vet. edit.* agnoscat.

Eod. Sed insequenti æstate.] *Scrib. Lipsio auctore,* & inf.

Cap. 116. Opera diligenti.] *Lipsius.* diligentiaque.

Eod. Virorum mentione.] Mentioni *mauult Lipsius.*

Cap. 117. Velut in hoc saltem tantummodo indulgente.] *Scegkius diuinat* salutem. *Nisi manis* tantum modo.

Eod. Et caussa persona moram exigit.] *Pet. Delbenius* sed caussa personæ moram exigit.

Eod. Vt corpore & animo.] *Lips.* & corp. & an.

Eod. Pro tribunali ordine.] *Duas istas voces coniungendas existimat Lipsius, vt fuerit* protribunali ord.

Cap. 118. Prouocantes.] *Vet. edit.* prouocare.

Eod. Alter alterum iniuria.] *Lips.* iniuriis.

Eod. Vltra barbarum promptus.] *Lipsius præposita vocula legit* & vltra barb.

Eod. Etiam ciuitatis.] *Scribe cum Lipsio* etiam ciu.

Cap. 119. L, Eggius.] *Alii* Igilius *aut* Egilius. *Vulgatam retinet Aldus.*

Eod. At Volumnius.] *Scegkius ait hoc commentum Burrerij esse Sed leg. vt ipse edidit.* Vala Numonius, *cum & vetus editio habeat* Val. Numonius. *quo modo & Fulu. Vrsinus in libro de Familiis Rom. emendauit.*

Cap. 120. Cerebrique profluuio exspiraret.] *Vetus editio* influuio. *Hinc Lips. legendum videtur* effluuio.

Cap. 121. Et senatus populusque Rom. postulante patre eius, vt æquum ei ius in omnibus prouinciis exercitibusque esset, quàm erat ipsi, decreto complexus esset. (etenim absurdū erat.) *Non hæc verba* quàm erat ipsi, *à glossatoris manu imperita* (*quod Aldus existimauit,*) *si verba* postulante patre eius, *cum Beato incluseris parenthesi: imo tum necessaria censet Scegkius. Burrerius:* Senatus pop. q. R. p.p. eius, vt æquum ei. i. i. o. prouinc. esset, quas erat ipse decreto complex. Esset etenim absurd. *Oscitanter ad superiora, vt idem Scegkius arbitratur.*

Eod. Hostium duces occisos fama narrauit.) *Lips. addendam hic voculam* non, *quæ est in lib. vet. existimat. & legendum* non occisos fama.

Cap. 123. Firmanda pace.] *Alij* formanda.

Cap. 124. Cuius vrbis ruinam timueramus, eam ne commotam quidem sensimus.] *Vet. editio* Cuius orbis r. timueramus, eum ne commotum quidem.

Cap. 125. In vltimum gladiatorum.] *Leg.* gladiorum, *vt edidit Scegkius.*

Eod. Celeberrimaque in Illyrico militia, vt prædiximus, cum imperio obtineret, in summa pace, quiete continuit.] *Legenda hæc vt emendat Lipsius:* cel. q. i. I. m. vt præd. cum imperio obtineret, in summa pace quiete continuit. *Aut vt Rhenanus* cel. q. in Illyrico militia præditum: *ac paullo post,* pace & quiete.

Eod. In maxima parte.] *Alii* maritima.

Cap. 126. Cum incerta sint oculis.] *Rescribe* inserta. *Vt Scegkius edidit.*

Eod. Seruat immunes.] *Lips.* immune.

Cap. 127. Neque in paruo paucitas ministerio defecit.] *Obscura & corrupta.*

Cap. 128. T. Coruncanium.] *Scegkius reposuit* Ti Coruncanium.

Cap. 119. Et caussas pressius audit.] *Aldus particulam* & *abiicit.*

Cap. 130. Dolere, indignari coactus est.] *Burrer. codex* dolere, indignari, erubescere coactus est. *Antea dixit:* Veniendum ad erubescenda est.

Cap. 131. Iuppiter Capitoline, & auctor ac stator Rom, nominis Gradiue Mars.] *Puteanus legendum putat* Iupp. Cap. & Stator ac autor Rom. n. G Mars.

NOTÆ IAC. IAC. N. SCHEGKI IN P. VELLEII PATERCVLI HISTORIARVM LIBROS.

IN LIBRVM PRIMVM.

PVBLII.] *Id huic scriptori ex Tacito, cū Rhenano Lipsio, & scripto Burrerij codice assero prænomē. non turbat Priscianus, qui in vulgatis* MARCVM *agnoscit. nam in antiquissimo meo Prisciani fragmento: quod lectissimo & litterato iuueni,* IACOBO THISIO *Antuerpiano probaui: sine prænomine laudatur.* Trogus Pompeius (*ait*) in libro VI: inde Palæoscepsin petit, quo se (*leg.* quo se è Media) Media interfecta socru contulerat, is ab Herculide petito colloquio mane. Velleius Paterculus: primus, nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius, Cimon.

Velleij.] *Alij* Vellij, *contra veteres editiones* C. VELLEII *senatoris apud Ciceronem* I. *de Natura Deorum, &* VELLEII BLÆSI, *apud Plinium Epistula vltima libri* III. *Velleij historici apud Agellium mentio. confirmat manuscr. Priscianus.*

M. Vinicium.] *De quo Tacitus libro 6. ait:* Vinicio oppidanum genus: Callibus ortus. patre, atque auo consularibus, cetera equestri familia erat, mitis ingenio & comtæ facundiæ. *Patereius Publius: auus Marcus, ille* DCCLV. *hic* DCCXXXV. *anno vrbis consul. Quibusdā cum lapide Colotiano placet,* VINVTIVS. *à vulgo Dio, Numi. in quis.*

P. VINICIVS M. F. III. VIR.
A. A. A. F. F. F. & L. VINICIVS.
L. F. III. VIR.

& lapis Neapoli:

M. VINICIO P. F. POST
MORTEM
MVNICIPIS SVI. AERE
CONLATO.
PIETATIS CAVSA PO-
SVERVNT.

Cap. 1. Metapontum condidit.] *Loquitur de Pyliorum exercitu. Rhen. cui subscribit Strabo, Stephanus à Metabo (cuius mentio Virgilij Æneid.* 11.) *siue Metaponto conditam his verbis tradit:* Μεταπόντιον πόλις Ἰταλίας ἡ πρότερον Σῖρις ἀπὸ Μετάβου τοῦ Σισύφου τοῦ Αἰόλου. τὸ γὰρ Μεταπόντιον οἱ Βάρβαροι Μέταβον ἔλεγον.

Eod. Teucer non receptus.] *Horatius ad Plancum:*

—Teucer Salamina, patremque
Cum fugeret, tamen vda Lyæo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
Sic tristeis affatus amicos:
Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus ô socii comitesque.
Nil desperandū Teucro duce, & auspice Teucro.
Certus enim promisit Apollo
Ambiguam tellure noua Salamina futuram.

Historiam post alios habes apud Virgilium libro 1. *& Iustinum.* XLIV. *à quo &* IVPITER *Salaminius, cui templum posuit Teucer. Tacitus* III. *Annal.*

Eod. Cognominem.] *secutus sum Griphium. Ren. & Manut.* cognomine, *minus conuenienter.*

Eod. Telamone.] *De quo Enn. apud Ciceronē Tusculanarū* 3.

Hiccine est Telamon ille, modo quem gloria ad cælum extulit?
Quem spectabant? cuius ob os Graij ora obuertebant sua. *Vsus hoc de se Cicero, Epistula ad Pætum.*

Eod. Segnitiam.] *Alij* Segnitiem. *quod pro eodem à veteribus vsurpatum. Terentius. Virgilius. Ciceroni etiam* Segnita II. *de Oratore. apud Nonium:* Segnitas.

Eod. Duas à patriæ.] *Rhenan. Bonhom. & Steph. Tegea enim à Talthybio præcone (præco is erat, qui Romanis legatus auspiciis Agamemnonis condita.*

Eod. Pactæ eius.] *Bohom.* pacta eius. *fortean* pactæ ius, *vt alludat ad morem Romanorum: quibus* Speratæ: Pactæ, Sponsæ. *Arnobius lib.* 4. Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas. *Et bene* pactæ: *Sponsa enim Romanis propria nihil tamen muto sæpissime in his talibus peccatum à librariis.*

Eod. Delphis eum interfecit.] *Ad patrias aras, siue inter altaria Dei. Iust. lib.* 17. *nota res ex Seruio ad illud Poetæ l.* 3.

Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.

Eod. Lydus & Tyrrhenus.] Tyrrhenum, *ait Tacitus lib.* 4. *Annal.* Lydumque Atye rege genitos, ob multitudinem diuisisse gentem: Lydum patriis in terris resedisse, Tyrrheno datum nouas vt conderet sedes. *copiose & suatim Dionysius lib.* 1. *& Strabo lib.* 5.

Eod. Post Orestis interitum filij eius Penthelus & Tysamenus.] *Lux huic loco Strabo lib.* 13. *quem vide: Simul nota nostrum annos octoginta post Troiam captam: illum sexaginta dumtaxat numerare.*

Cap. 2. De industria, imprudēter.] *Vir doctus & diligens,* τὸ imprudenter. *penitus tollendum, aut* impudenter *substituendum censet: cum nulla nec apud Iustinum, aut Polyænum* imprudentiæ, *immo* prudentiæ, *exstet mentio. Ego pedaneus in alia omnia discedo. sententia est: Codrum rixam de industria concientem, imprudenter interemptum. ita intelligi suadet Valerius lib. 5. capite 6. his verbis:* Rex Atheniensium Codrus, cum ingenti hostium exercitu Attica regio, debilitata, ferro ignique vastaretur, diffidētia humani auxilij ad Apollinis Delphici oraculum cōfugit, perq. legatos sciscitatus est, quo nam modo illud tam graue bellum discuti posset. Respondit Deus: ita finem ei fore, si ipse hostili manu occidisset. quod quidem non solum totis Athenis, sed in castris etiam contrariis percrebuit. eoque factū est, vt ediceretur ne quis Codri corpus vulneraret, id postquam cognouit, depositis insignibus imperij, familiarem cultum induit, ac pabulantium hostium globo sese obiecit: vnumque ex his falce percussum in cædem suam impulit. *Sed quid Valerio hic* familiaris cultus? *an iste quid ad discrimen regij cultus priuati? vix puto, emendo* famularē cultum. *Iustinus certe pannosum sarmenta collegerentem, castra hostium ingressum adfirmat. Et vero vnicus ad hancrem fundus & subscriptor Cicero.* I. *Tusculanarum, qui hunc ipsum* famularem vestem *vocat. Redeo ad Codrum, quo longe ab Ilisso, Pausania teste, interemto, regnum Erechtidarum post* CDLXXXVII. *vel, vt alij* CDLXXXIII. *annos defecit. Plutarchus de Exilio, Augustinus lib.* 18. *cap.* 18. *Ciuitat. Dei, Pausanias Attici, & Achaicis.*

Eod. Ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidæ.] *Hoc mirũ Iustinum post Codrum administrationem Reipublicæ annuis magistratibus permissam contra Eusebij & auctoris nostri mentem tradere.*

Cap. 3. Aletes.] *Ita Rhenanus & doctissimus Belgarum Iunius, Animaduersorum lib.* 6. *cap.* 25.

Eod. In Isthmo condidit.] *Thucydides lib.* 1. *Hinc Horatius ad Plancum:*

—aut Ephesum bimarisque Corinthi Mœnia. *Vide Strabonem lib.* 8. *&* 18.

Cap. 4. Cumas.] *In illud Virgilij lib.* 3.

Hinc vbi delatus Cumarum accesseris vrbem, *Seruius. & idem apud eundem lib.* 6. *&* 9. Nobilis vrbs à Sibyllinis libris, ad quos xv. viri adeunt, cum dij immortales publice consulendi sunt. *Agellius lib.* 1. *cap.* 19. *Solinus cap.* 7. *alij.*

Eod. Cerealibus sacris.] *Atheniensium, in quis sacerdotem instrumento ænæo, ἠχέῳ dicto, excitare sonum, vt matronæ clamorem & strepitum oris, Iustin. lib.* 11. *Ænæo instrumento placuit, quod plurimum posse in sacris, & percantationibus prisci illi persuadebant. Hinc deficiente Luna eius vsus. Liuius præter Plutarchum, Ouidium, Iuuenalem, clare lib.* 26. Campanorum, *inquit*, imbellis multitudo, cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ silenti nocte fieri solet, edidit clamorem. *In excantationibus, æneæ falces. de quibus Virgilius & Macrobius. In casto Cereris an hoc tale adsumtum valde mihi dubium. Vide Ciceronem in Verrinis, Liuium, Dionem, Ouidium, Festum, Arnobium, Clementem, alios: & ne mu quidem Lucillianum. Sane Seruius ad illud Virgilij. lib.* 4.

Nocturnisque Hecate triuiis vlulata per vrbes, *Permansisse in sacris ait, vt certis diebus per compita à matronis exercearur vlulatus. mansit attamen æneorum vasorum vsus. Liuius lib.* 27. Ædileis pleb. Q. Catius, & L. Portius Licinius ex multatitio argento, signa ænea ad Cereris sacra dedere. *Burrerij Ms.* aeris sono.

Eod. Amœnitate sua dignissimas.] *Eleganter in hanc rem Plinius lib.* 3. *cap.* 4. *& Florus lib.* 1. *cap.* 16. Omnium non modo, *inquit*, Italia, sed toto orbe terrarum pulcerrima Campaniæ plaga est. nil mollius cælo: nil vberius solo: (*ita ex veteribus lego.*) denique bis floribus vernat. ideo Liberi Cereris que certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis. *Quod de fide & constantia inicit, etiam Liuius multimodis ad posteros transmisit.*

Eod. Magna vis Græciæ iuuentutis.] *Rhenan.* Græciæ iuuentutis. *Typographi peccatum qui existimet, ego rectum. Sallustius apud Nonium*: Duæ Galliæ mulieres conueniunt viantes, *alijs notatum.* Stertinium acumen, *Scaligero principi litteratorum.* Heluetia ciuitas, *mihi in Cæsare belli Gallici.* 1. Siue casu, siue consilio Deorum immortalium, quæ pars ciuitatis Heluetiæ insignem populo R. cladem intulerat, ea princeps pœnas persoluit. *cum tamen fere* Heluetica *dicat. & Apuleio*: mares animi.

Eod. Smyrnam.] *Variant de conditore. Vel certum ex Tacito lib.* 4. *Annal.* At Smyrnæi, *ait*, repetita vetustate seu Tantalus Ioue ortus illos, sive Thesçus, diuina & ipse stirpe, sive vna Amazonum condidisset. *adde Strabonem lib.* 14.

Eod. Mitylenemque.] *Quæ inter pulcherrimas vrbes Horatio numerata in Odis.*

Laudabunt alij pulcram Rhodon aut Mytilenem.

Et Epistulis:

Incolumi Rhodos & Mitylene pulcra facit, quod

Pænula solstitio, campestre niualibus auris.

Et Longo, apud Muretum Variarum lib. 9. *cap.* 16. *In qua tamen hoc mirum*, auster cum flat, homines ægrotant: quum Corus, tussiunt: quum Septemtrio, restituuntur in salubritatem, *ait Vitruuius lib.* 1. *de reliquis doctissimus Ortelius in illo laborioso opere Geographico.*

Cap. 5. Archilochum.] *Qui vixit regnante Romulo, Cicero Tusc.* 1. *Olympiade nimirum* VI. *vel* VIII. *Herodoto tamen regnante Gyge: quod incidit in tempus Olympiadis* XX. *ni fallor.*

Eod. Genitum putat.] *ob id Homeri nomen inditum, antea* Mebesigenes *nominatus, quod Ionibus & Cumæis, qui captis oculis, Homeri. Plutarchus, Herodotus alij.*

Cap. 6. Mollitiis fluentem.] *Manutius* florentem. Fluere facetiis, iocis, *Plauto*: mollitia, luxu, *Ciceroni, Terentio*: Asiatico ornatu adfluere *Veteri Poetæ Vsitatum. De hoc Iustinus ait, quod fuerit*, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum præfectus ipsius, Medis præpositus, nomine Arbactus, cum admitti magna ambitione ægre obtinuisset: inuenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem: & muliebri habitu, cum mollitia corporis & oculorum lasciuia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem. *Tricesimum à Nino numerat Diodorus lib.* 11. *De Semiramide, quo æstu ad regnum peruenerit eleganter Muretus in Varijs.*

Eod. Pharnaces.] *Non in alio magis variatum nomine. potior tamen pars* Arbaces *exprimit quam doctissimi viri Fabricius & Bongarsius sequuntur, & hic hunc in modum legunt mihi tamen non adeo nomine res clara: quia & veteribus non clarum auctoribus. Vide Orosium lib.* 11. *cap.* 11.

Eod. Quamdiu Sparta diligens fuit.] *Cicero Tusc.* Sublatæ leges anno Vrb. c. D LXV. cum stetissent DCCC. *Plutarchus, Valerius lib.* 1. *cap.* 3. *Iustinus libro tertio. alii. Et quod Velleius* disciplinæ conuenientissimæ virum Lycurgum *celebrat, defendi aliquo genere potest. In Cicerone à doctis obseruatum*, Conuenienter viuere, *absolute, pro* conuenienter naturæ viuere. *Et temperantiam inculcabat verum etiam virtutes, simile infra:* In conuiuio refrigeratus ab Antonio. *non tamen pertendo, quin prima fronte magis ad gustum to* continentissimæ, *à doctissimo Aldo & Bongarsio allatum.*

Eod. Quam quidam Dido autumant.] *Solemnis fere adiectio auctoribus Latinis: cuius ratio Seruio proposita in illud*: Imperium Dido Tyria regit vrbe profecta: Dido, *inquit*, vero nomine Elissa antea dicta est: sed post, interitum à Pœnis, Dido adpellata fuit, id est virago Punica Lingua. quod cum à suis ciuibus cogeretur cuidam de Afris regibus nubere: & prioris mariti amore teneretur, forti se animo interfecerit, & in pyrã iniecerit, quam se ad expiandas prioris mariti manes extruxisse fingebat. *Hactenus Seruius, non ille vulgo vulgatus, ne quid erres, sed doctissimi & humanissimi* F. R. MODII. *amici nostri nullo meo merito, cuius nuperum aduersum casum animo doleo & libens meritò vellem, vt vellet.*

Eod. Carthago conditur.] *Vt Heroes illi, qui facinoribus & benefactis supra mortaleis, quo augustiores & veneratione essent, patris nomen eiurare, sed diuinæ stirpis mentiri, caloque ferre: ita de Carthagine, Dea, quamdiu inuicta, suspicari in mentem est. taceam de Conditore, ecquis ad tempus quo condita felici Mercurio qui ducat; Fabricius & Bongarsius pleraque adducunt: sed adducunt, non conciliant. nec ego. non longe abest à nostro Iustinus, qui* LXX. *annos ante vrbem conditam tradit. cui Appianum subscribere vir doctus ad Florum notat, hallucinatione manifesta. imo sibi ipsi contrarius Appianus. ecce in limine Punici* I. *ante Ilium captum annis conditam Carthaginẽ: & paucis interiectis, septingentesimo anno à Carthagine condita Romanos eis abstulisse Siciliam narrat. iam Siciliam in Romanorum potestatem venisse* DXII. *ab V. C. & à Troia capta ad V. C. interesse annos* CDXXXII. *scimus aside puluerem eruditum, & puta: nunquam constabit ratio Cassiodorus initia eius ad Latini Silui tempora, hoc est*

annum à Troia capta CVII. *refert Timæus apud Dionysium* XXXVIII. *anno ante Olympiadem primam, quod incidit in annum à Troia capta* CCCLXXI. *Cum Iustino congruit traditio Catonis apud Seruium, in illud magni vatis:*

At puer Ascanius. —

Et idem ad hoc:

Velleribus niueis & festa fronde reuinctum. Quod de Dione, *inquit*, & Ænea dicitur, falsum est. constat enim Æneam trecentis quadraginta annis ante ædificationem Romæ venisse ad Italiam, quum Carthago non nisi quadraginta annis ante ædificationem Romæ constructa sit.

Eod. Septimus decimus.] *Liuius lib.* 55. vicesimum à Carano qui primus regnauit, Persea numerabant. *Tricesimum Iustinus facit. Contra historiæ fidem hic Rhenanus*, Toranus.

Cap. 7. Princeps.] *Supra laudaui ex Cæsare*, Quæ pars ciuitatis, Heluetiæ insignem pop. R. cladem intulerat, ea princeps pœnas persoluit. *De hac voce in principio auctor de Origine vrbis ab elegantissimo Schotto editus.*

Eod. Capuam ab eisdem Tuscis.] *Vnde* Oscella *dicta* Capua (*inquit Florus lib.* 1. *cap.* 16.) & ipsa caput vrbiũ, quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemque numerata. *Nominis ratio ambigua scriptoribus. Liuius lib.* 4. Vulturnum Hetruscorum vrbem, quæ nũc Capua est, ab Samnitibus captam, Capuamque adduce eorum Capy: vel quod propius vero est, a campestri agro (*idem Plinio visum lib.* 3. *cap.* 4.) adpellatam. *Suetonius, Cæsare: Dionysius, Strabo, à Capy: quorum opinio magis ex argumento agit: Silius lib.* 11.

Tum Capys vt primus dederit sua nomina muris.

Cap. 8. Et ad excitandam.] *Aldus.* Et ad exercitandam corporis animique virtutem efficacissimum o. i. h. auctore Iphito Elio. *De Olympiorum ludorum, & mercatus (exemplo quorum Imperatores postea Agonem Capitolinum instituerunt) origine, restauratione, auctore, qui Varius narratur, solennibus accurate Eliacorum priorum Pausanias, & Beued. Pererius Societatis* IESV *in principiis Naturalibus.*

Eod. Consulatum inires DCCCXXIII.] *Ita vulgati. Manutius* DCCCIV. *etiam non recte. Referibe*, DCCCIV. *Vinicius enim consul Anno V. C.* DCLXXXII. *& Roma condita Olympiade sexta. Exinde res gestas veritatis fidem mereri Varro apud Censorinum cap.* XXI. *docet his verbis*: Varro tria discrimina temporum esse tradit: Primum ab hominum principio ad Cataclysmum priorem: quod propter ignorantiam vocatur Adelon. Secundum à Cataclysmo priore ad Olympiadem primam: quod, quia in eo multa fabulosa referuntur, Mythicon nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos, quod dicitur. Historicon: quia res in eo gestæ veris historijs cõtinentur.

Eod Cœperuntque in denos annos creari.] *Quod Pausanias, interprete Romulo, Messenica ita edisserit*: Altero vero nonæ Olympiadis anno, quo Messenius Xenodochus de stadio victor renunciatus, cum Athenis nondum forte annui magistratus ducerentur, quod sc. ciuitas ea Melãthi posteros, qui sunt Medõtidæ adpellãti, primum quidem in ordinem redactos æquo iure & legibus magistratum gerereiussit deinde cauit, ne vltra annos decem imperium continuarent.

Eod. Romam vrbem Parilibus.] XI. *Kalend. Maij, Kalendarium vetus. Quæ natalis vrbis dicta Cicero* II. *De diuinatione*: Lucius quidem Tarucius Firmanus familiaris noster in primis Chaldaicis rationibus eruditus, vrbis etiam nostræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus. *Frustra igitur Plutarchus, qui pridie Parilibus, hoc est*, XII. Kalend. Maij, *moliri cœptam reliquit. De his obseruarè, de antiquitate optime meritus, Onuphrius in Fastorum commentarijs.*

Eod. Anni sunt DCCLXXXII.] *Rhenanus*, DCCCLXXXI. *insane corrupte. ex quo insecuta.* DCCLXXXV. *statim pro* DCXXXVII. *malim* CDXXXII. *postulante sententia prudentium.*

Eod. Adpellatosque patres.] Centum creat senatores, siue quia is numerus satis: siue quia soli centum erant, qui ciere patres. (*ita apud Liuium legendum, etiã absque Sigonij rationibus nimium quantũ infirmis, contextus & alibi ipse Liuius suadet*) posset. *Elegater Suidas patricios primordio Reipub. Romanæ populi patres dictos autumat: postea Imperatores, vt senatum demerent (omnem enim potestatem dignitatemque sibi vindicauerant) patricios sibi quoque patres maiorum gentium elegisse. Hinc Iustinianus Institutionibus lib.* 1. *cap.* 12. *ait*: Quis patiatur Imperatoriam celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit ab aliena eximere potestate. *& Claudianus lib.* 11. *in Eutropium*: —genitorque vocatur Principis. *huius mẽtio apud Apollinarem. Formulam Patriciatus capies à Cassiodoro.*

Cap. 9. Æmilium Paullum qui & Prætor.] *Cui prouinciam Macedoniam contra mentem Liuij, imo veritatem extraordinem decretam Iustinus contendit. Et quod prætorem triumphasse noster ponit, aut doctissimi Sigonij Manutijque emendatio probanda, aut præturam, in qua obiisse Orosius falso tradit: inepte confundit.*

Eod. In ea mortem obierat.] *Burr. notat in Ms.* in ea morte obierat. *vera scriptura*, in eo morte obierat.

Eod. Samothraciam.] *Inclita religionibus insula, nocentiumque asylum certum. Plutarchus in Camillo. Hanc Seruius in illud Poetæ:*

Dardanus Idæas Phrygiæ penetrauit ad vrbes: *contra illustrissimum & omnia doctissimum virum à Samo distinguit.* Dardanus, *ait*, profectus ad Phrygiam Ilium condidit: Iasius vero Thraciam tenuit, vbi est Samos, quam & Samothraciam nominauit. nam alia est insula Samos, Iunonis. Insulam Samum, prodit Varro *apud Lactantium lib.* 1. *cap.* 17. prius Partheniam nominatam, quod ibi Iuno adoleuerit, ibique Ioui nubserit itaque nobilissimum templum eius est Sami & simulacrum in habitu nubentis figuratum, & sacra eius anniuersaria nuptiarum ritu celebrantur. *hinc Augustino lib.* 6. *de ciuitate Dei*, Dilecta Iunonis insula nominata. *In Samothracia: quam Strabo & Diodorus lib.* 4. *describit: tres aræ, quæ Trinis Diis (quas sustulisse & secum portasse Æneam fingit Seruius)* parent. MAGNIS. POTENTIBVS. VALENTIBVS. *de quibus Varro & Macrobius lib.* 3. *Lapis Murciæ in Hispania*, Di Magni CASTOR & POLLVX.

Eod. Et omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit.] *Quippe*, cuius spectaculo ttiduum impleuerit. Primus dies signa tabulasque: sequens, arma pecuniasque transiexit: tertius captiuos, ipsumque regem attonitum adhuc, tamquam subito malo stupentem. *Florus lib.* 11. *cap.* 12.

Cap. 10. Olympicum.] *Maault vir doctus, Fridi Sylburgius*, Olympieum, *motus auctoritate Pausaniæ in Atticis.*

Eod. M Popilius Lænas.] *De C. Octauio lib.* 34. *cap.* 6. *Plinius*: Non præteribo C. Octauium, ob vnum verbum, qui legem Antiochum dilaturũ se responsum dicentem virga, quam tenebat forte, circumscripsit, & priusquam egrederetur circulo illo responsum dare coegit, in qua legatione interfecto, senatus statuam poni iussit quàm oculatissimo loco in rostris.

Eod. Extra vrbem.] *ad Bellonæ, iuratus.*

Eod. Ante paucos.] Quorum alter triumphum patris funere ſuo quartum ante diem præceßit: alter in triumphi curru conſpectus, poſt diem tertium exſpirauit. Valerius, Liuius, Seneca 4. declamat. Plutarchus. Eius votum eleganter apud Liuium & Valerium. apud quem pro τὸ prouentu felicitatis, in Vett. prouectu felicitatis.

Eod. Senatu motus eſt.] Quia legionem, in qua tribunus militum erat, iniuſſu conſulis dimiſerat. Frontinus lib. 4. Cicero in Verrinis, Plinius. lib. 7. Liuius lib. 41.

Cap. 11. Libera cuſtodia.] Credo ſic dictam, ſiue quod intra certos terminos libera ambulatio permiſſa: ſiue ad diſcrimē carceris. quia in hunc ſcelera, flagitia, atque ſeruili pœna digniſsima fex conijciebatur: in illam non niſi qui alicuius dignationis liberalique pœna digni: Senatores nimirum vel duces captiui. colligitur ex Ciceronis Bruto: Domi. ait, teneamus eam ſeptam liberali cuſtodia & Salluſti Catilinario. Plura notauit ad Tacitum, vir nunquam ſatis laudatus, & cuius cauſſa, corculum illud Cato hæreſim ſuam migraret, Iuſtus Lipſius.

Eod. Pſeudophilippus.] Ob oris ſimilitudinem, qui & Andriſcus Florus.

Eod. Quique turmam.] Plinius libro 34. & 35. cauſſam colliges ex Curtio, Arriano, & Plutarcho in Alexandro.

Eod. Pro roſtris ſuſtulerunt.] More maiorū, quē & graphice Polybius lib. 6. exprimit: Si quando apud eos quiſpiam ex illuſtribus viris ex hac vita deceſſerit, elato funere portatur cum reliqua pompa ad roſtra, ſic dicta in forum, & nunc ſtans conſpicuus, nūc obuolutus, idque raro. vniuerſa plebe circumſtante, roſtra adſcendit: ſi quidem filius adultus ſuperſit, ac præſens exiſtat: ſin vero alius quiſpiam ex ipſius genere, ac demortui virtutes, & quæ in vita præclare geſſit, deprædicat Et ſtatim: Vbi autem præclarus aliquis ex domeſticis vltimum diem obijt, inſtituunt funeris elationem, & circumfuſi, qui ſimillimi, magnitudine & reliqua ſtatura videntur veſtitum vſurpant, ſi vel conſul, vel Imperator fuerit, purpura circumdatum, ſi cenſor purpureum: ſi triumphum egit vel tale quid perfecit, auro contextum. Igitur iſti curru incedunt. faſces vero & ſecures, ac reliqua principatibus conſueta ſecundum dignitatem cuiuſque præcedunt, qua dum in viuis eſſet in Rep. eminuit. vbi ad roſtra veniunt, cunctis ex ordine ſellis elephantinis ſedent, quo ſpectaculo haud facile poterit ſpectari pulcrius. Primus Poplicola ſupreme Brutum laudauit, quo deinde ad feminas, & Imperatorum æuo ad iuuenes progreſſum, Suetonius, Dio.

Eod. Acreſque innocenteſq. cum inimicis.] Scipione Africano, quas inter calamitates Metelli ducit Plinius. Cicero in Officiis, ſine acerbitate diſſenſionem. Valerius. graues teſtataſque vocant. Recte teſtatas, quaſi quæ litterarum teſtimonio ſignatæ. moris ex ſimplici & antiqua recepti vita, qua publice, qua priuatim inimicitias denunciare: de quo litterarum decus ad Tacitum hoc addi velim, amicitiam qui renuntiabat, etiam interdicebat domo. Tacitus lib. 5. Sed Cæſar miſſis ad Senatum litteris, diſſeruit morem fuiſſe maioribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eum finem gratiæ ponere. Et vt publice Fecialis, ita quandoque priuatim præco. Clemens Alexandrinus, Amicitiam, quam diu coluerat, miſſo præcone renunciauit, nō quod pœniteret, ſed quod fortunæ ſtatum pertimeſceret. Simile quid mihi lectum in Petronio, quod iam nunc non ſuccurrit.

Eod. Quatuor filij.] Vno prætore, tribus conſularibus, duobus triumphalibus, vno cenſorio. Plinius lib. 7. Adi auctorē virorum Illuſtrium.

Cap. 12, Conſul creatus eſt.] Adnitente Catone, qui dicebat. Reliquos qui in Africa militarent, vmbras militare, Scipionem vigere. Epitome Liuij, Appianus Punicis, Valerius. lib. 8.

Eod. Obſidionali.] Propter octo cohortes obſidione vallatas conſilio & virtute ſeruatas. Scriptor virorum Illuſtr.

Eod. Ex prouocatione.] Apud Intercatiam à rege prouocatus, opima ſpolia retulit, quod notabis. Florus, Appianus, Hiſpanicis, Epitome Liuij, alij.

Eod. Ipſe modicus virium.] Ita loqui amant boni auctores. Salluſtius hiſtoriarum lib. 3. Ingens ipſe virium atque animi. Dubius conſilij: & lib. 4. Anxius, impotens nimium animi. & infra ſæpe noſter.

Eod. Carthago diruta.] Incenſa. Horatius lib. 4. Carmin. Od. 8.

Non incendia Carthaginis impiæ,
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quàm Calabræ Pierides:

Et libro Epodon Od. ſeptima.

Non vt ſuperbas inuidæ Carthaginis,
Romanus arceis vreret.

Et Florus lib. 2. cap. 15. per continuos decem & ſeptem dies vix potuiſſe incendium exſtingui tradit. Et aratrum paſſa. Modeſtinus l. C. ſi vſusfructus. D. quibus modis vſusfructus amittatur: Si vſusfructus ciuitati legeretur, & aratrum in eam inducatur, ciuitas eſſe deſinit, vt paſſa eſt Carthago.

Eod. Annis DCLXVII.] Abit à ſe Velleius, ſi ſcriptura ſincera. Enim ſupra monuit LXV, an. Carthaginem ante vrbem conditam. igitur exactius conſtaret cum Eutropio, qui DCLXX. annos exprimit. Pugna quoque de tempore huius ſecundi belli Punici. Liuij Epitoma cum Oroſio & Eutropio initium ponit alterum & ſexcenteſimum annum V. C. Et intra quintum poſtquā cœptum, conſummatum. Diſſentiunt Faſti, quibus V. C. ann. DCIV. Hæc curatius tractare Faſtographorum eſt.

Cap. 13. Nouis hominibus.] Ciues Romani in triplice diſcrimine, Nobiles, Noui, Ignobiles. de quibus non exſcribo Sigonium & Lipſium. adijcio alius rei, Nobilem eſſe potuiſſe, qui ipſe nullos honores geſſerit, & male maioribuſque indignam vitam agitauerit. quem tangit Iuuenalis Satyr. 8.

Quis fructus generis tabula iactare capaci
Coruinum? poſthac virga deducere multa
Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis male viuitur. —

& quæ ſequuntur. Secundum heic in ordine verſum primitus vulgauit doctiſſimus Lipſius, quem & ego reperi in optimo codice varia lectione:

Coruinum poſthac virga contingere multa.] rectius fortaſſe an, morem, quo poeta ſpectat, ſi reſpicias. Et quoniam in Iuuenalem incidi, operæ ſit maxime pio Poetæ porro operam dare. Satyra 4.

Quid refert igitur quantis iumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in vmbra
Iugera quot vicina foro, quas emerit ædeis?
Nemo malus felix, minime corruptor, & idem
Inceſtus. —

Sic penultimum verſum optimæ editiones edunt, nullo, certe malo ſenſu. corrigo ex Ms. meo: quem Iac. Thiſio præſens præſenti probaui:

Nemo malus felix, hyminis corruptor, & idem, Inceſtus.

Proba mehercles & rectiſſima emendatio. cuius in veteribus Pulmanni nulla veſtigia extitiſſe, miror. In Satyra 2. fine.

— his licet ipſum
Admoueas, cuius tunc munere retia miſit.

Scio quid interpretes adferant, nec tamen improbo ſcripturam mei codicis.

Admoueas, cuius tunc munera retia pulſant.

An rectius te doctiſſime & humaniſſime, Iuſte Lipſi, editor ſplendidiſſime libens merito iudicem capio. de alijs, alio loco.

Eod. Diſpunxit.] Verbum ſollemne Numulariorum, & qui medium Ianum adſident. Seneca lib. 4. de Benefic. cap. 31. Apud me iſtæ acceptorum, expenſorumque rationes diſpungentur. Hinc Tertulliano, Deus meritorum iudex & diſpunctor. Et apud Plautum, Aulularia, Scena; Narraui amicis, vbi editur,

Vbi diſputata eſt ratio cum argentario;

Editio, quæ primitus lucem à Merula accepit, vbi diſputata eſt ratio. Forte, diſpuncta. hocque iam video quemdam ex ingenio reſtituere. tamen non temere mutauerim, præcedentia propter. Liberalia vero Scipioni ſtudia ex hiſtoricorum, & paſſim Ciceronis libris abunde in mundo, de quo fertur, dixiſſe; Nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus: nec minus ſolum, quam cum ſolus. magnifica vox & magno viro ac ſapiente digna.

Eod. Capita Corintho.] Ann. III. Olympiadis CLVI. Plinius lib. 34. cap. 2. Pauſanias Olymp. CLX. propter legatos Romanos, dubium an & manu, certe oratione violatos. Florus lib. 2. cap. 16. Cicero pro L. Manilia, Pauſanias, Zonaras tom. 2. Æris Corinthiaci originem, mixturam, nobilitatem graphice Plinius, Florus & elegantiſsimus Muretus Variarum lib. 7. cap. 5.

Cap. 14. Sutrium.] Agnoſcit Plautus, Caſina. De Coloniis, earumque iure doctiſsime Sigonius, quem conſulo videas.

Eod. Nepe.] Liuio & Plinio Nept. Mure. ita Rhenan. Vet. Burr. At Quinctum Fabioque Decio. vnde conijcit: At Quinctum Fabio. Q. Decio Mure legendum, quem vir doctiſsimus ſequitur. non recte. Prænomen enim Decio, non Q. ſed Publ. hoc nota in collegæ nomine, noſtrum diſſentire.

Eod. Interiectoque biennio.] Recte. Cicero namque M. Curionem conſulatum quinquennio accepiſſe, poſt Decij filij deuotionem, in Catone tradit. Cornelij Rufini ſiue Rufini Cornelij (vt ſuo more noſter inuerſe nominat) Plinius lib. 7.

Eod. Ante annos ferme CCCXX.] CCCXXX. Rhen.

Eod. Beneuentum.] Colonia cum deduceretur adpellari cœptum melioris omnis cauſſa. namque eam vrbem antea μαλόεντα adpellarunt. Feſtus, & ibi diuine Scaliger.

Eod. Fregellæque.] Fregenæ Sigonio ad Liuij lib. 19. placet.

Cap. 15. Cui in demoliendo eximia ciuitatis ſeueritas & conſul Scipio reſtitere.] Rhen. & Cos. Cæpio. Quis acri pectore, non videt legendum, & conſularis Scipio. non animaduerterunt docti viri, τὸ Cos. veteri librario, Conſulem, Conſularem, Conſulatum denotare. Claro exemplis. infra, Merula autem qui ſe ſub aduentum Cinnæ cos. abdicauerat. Hic vir doctus male, conſulis, cum flagitante hiſtoria, conſulatu legendum. Et de Lucullo; Qui ante ſeptem annos ex Cos. ſortitus Aſiam. Vera ſcriptura, conſulatu, non conſule. Vt quidam. De Dolabella: atque inſignia corripuiſſet Cos. legend. conſularia, vt recte edidit Manutius, non conſul, vt Gryph. Dixit in demoliendo, deriuatum pro primæuo, veteribus Grammaticis notatum genus. Burrerius hic campas loquitur, & nugas.

Eod. Theatrum facere.] Lapideum, cum antea tumultuarium ex ligno, aiunt docti viri, extrueretur. quibus non adſentio. Valerius ecce, cum Liuio lib. 48. Oroſio lib. 4. cap. 21. Auguſtino lib. 1. ciuitat. Dei, cap. 31. tradit excogitatam & inchoatam hanc rem ab his cenſoribus: ceterum auctore Scipione Senatuſconſulto cautum, ne quis in vrbe propius ac mille paſſus ſubſellia poſuiſſe, ſedenſ ve ludos ſpectare vellet. Et abſque his, vel forte argumentum, quo inter omnes conſtat L. Mummium principem temporarium è ligno extruxiſſe theatrum. mouentur doctiſsimi viri auctoritate Auſonij, cuius verſus propter elegantiam, & quia clara lux huic loco, adſcribo:

— & Atticis quoque;
Quibus theatrum curiæ præbet vicem
Noſtris negociis ſua loca ſortito data.
Campus comitiis, vt conſcriptis curia,
Forum atque roſtrum ſeparat ius ciuium:
Vna eſt Athenis, atque in omni Græcia
Ad conſulendum publici ſedes loci.
Quam in vrbe noſtra ſera luxus condidit.
Ædilis olim ſcenam tabulatam dabat,
Subito excitata nulla mole ſaxea.
Muræna ſic & Gallus. nota eloquor
Poſtquam potentes nec verentes ſumtuum
Nomen perenne crediderunt, ſi ſemel
Conſtructa moles ſaxeo fundamine,
In omne tempus conderet ludis locum:
Cuneata creuit hæc theatri immanitas,
Pompeius hanc, & Balbus & Cæſar dedit
Octauianus, concertantes ſumptibus.

Non pugnat hic locus, magis à nobis. ante illa theatra fuiſſe negamus, non poſt illa; quæ Auſonius aperto ſenſu intelligit. & de quibus, vt ſtatim poſt ludos deſtruerentur, leges latas Tertullianus in Apologetico docet. Hoc tralatitie mihi obſerua in Auſonij verbis, Theatrum Græcis pleriſque pro curia fuiſſe. Reſpexit eo Apuleius Miles VI. quo metu ſtatim completo cæleſti theatro, pro ſe de ſublimi ſedens procerus Iupiter, ſic enunciat. Immo & pro foro, comitioque Liuius lib. 25. Poſtero die alij aliis locis ab obſidenda itinera claudendoſque opidanis exitus, pars maxima ſuper theatrum, circaque, aſſueti, & ante ſpectaculis concionum conſiſtunt. Alij ſuperne in aduerſam concionem clamore ſublato decurrunt, alij ad exitus theatri conferti obſidunt. Cæduntur Ænenſes cauea incluſi. Apuleius Miles lib. 3. Iamque ſublimo ſuggeſtu magiſtratibus reſidentibus, iam præcone publico ſilentium clamante, repente cuncti conſona voce flagitant, propter cœtus multitudinem, quæ preſſura nimia denſitate periclitaretur, iudicium tantum theatro redderetur. Idem ſtatim, Et certe læticia delibuti, meque reſpectantes, cuncti theatro faceſſunt. Iuſtinus lib. 23. Agathocles velut Rempub. formaturus populum in theatrum ad concionem vocari iubet.

Eod. Narbo autem Marcius.] Vetus Marmor apud Ortelium: NARB. MART. extollitur ab Auſonio Catalogo illuſtrium vrbium, & Sidonio Apollinare.

Eod. Vagiennis.] Bagiennis, Burr. & Sigonius. Bacieniis, Rhen. varietas nata ex promiſcuo vſu B. & V.

Cap. 16. Ad liquidum.] Verbum elegans & non è vulgo. Liuius lib. 35. Et ſi quid naui adferret, argui poſſet, donec ad liquidum veritas explorata eſſet. Hinc bonis auctoribus; Liquido iurare. Indicibus, formula; N. L. Iuriſconſultis, ad liquidum diem & conſulem exquirere.

Eod. In idem artati.] Non male vir doctus, arctata.

Eod. Separata alienis.] Idem, ſeparata ab aliis, niſi forte an alienis pro alienigenis poſitum ſit.

Cap. 17. Vt quiſque temporum.] Quiſquis temporum, Rhen. alij, & quiſque temporum i. n. r. eminentiam cuiuſque o. a. t. c. circumdatam.

Eod. Nunc admiratio incitationem accendit.] Idem, imitationem mauult.

Cap. 18. Tranſit admiratio ad conditionem.] Egerat de temporis, nunc vrbium conditione. Reſcribe igitur, tranſit admiratio ab conditione temporum & ad vrbium.

Eod. Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentiæ, quàm vniuerſa Græcia, operibuſque floruit.] Placet doctiſsimi viri correctio, magis tamen mea, Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentiæ quàm vniuerſa Græcia,

operibus floruit. *Mitto Veteres editiones, certum quod solummodo comparationem instituat de eloquentia. Apposite Seneca pater Suasoriarum 1.* Omnibus sua decora sunt. Athenæ eloquentia inclitæ sunt: Thebæ sacris: Sparta armis.

AD LIBRVM SECVNDVM.

CAP. 1. Remoto Carthaginis metu.] *Cicero enim contra Rullum 2. adfirmat, Romanos tantum Carthaginem, Capuam, & Corinthum in terris propter domicilium imperij, metuisse Vrbes.*

Eod. Non gradu, sed præcipiti cursu.] Ex quo tempore, *ait Sallustius apud Augustinum de ciuitate Dei lib. 2. cap. 18.* Maiorum mores non paulatim, vt antea, sed torrentis modo præcipitati, adeo iuuentus luxu atque auaritia corrupta est, vt merito dicatur, genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati. *Totus in hoc idem in Catilina, Iugurtha, & historiarum 1. Recte igitur Florus lib. 4.* Pœnorum hostium imminentem metum disciplinam veterem continuisse *scribit, hinc perpetuæ contentiones Scipionis, cum Carone diruendæ eius auctore.*

Eod. Metellus.] *Porticus Metelli ad finem circi Flaminij. Varro, Vitruuius, Plinius lib. 34.*

Eod. In circo Cn. Octauius.] *Quæ à veteribus duobus adpellitata nominibus. Corinthia, à structura, Persei siue Macedonica, ob regem Persea deuictum, & triumphum, in quo hæc talia fercula. Plinius in Flaminio ponit. meminit Cicero in Officiis.*

Eod. Romanorum gereretur aduersa.] *Victis prætoribus duobus M. Vetilio, C. Plantio, & Cl. Vnimano. Florus, Cicero 2. offic. Valerius lib. 6. Plinius lib. 8. Orosius, Eutropius alij.*

Cap. 2. Octauio collegæ.] *Cuius Cicero modicam & Reipub. tolerabilem, & plebi necessariam largitionem vocat. adi Plutarchum in Gracchis. Epitomen Liuij.*

Cap. 3. Priuatus & togatus, cum esset consobrinus Tib. Gracchi.] *Propinquos Ciceroni in Lælio. Si Canones auctorum iuris sequeris,* Sobrinus, *non* consobrinus *fuit, Sed hoc tralatitium his promiscue vti, notauit doctissimus sui æui Iunius in Nomenclatore ex Cicerone. Quod notandum propter largum peccatum eruditissimorum virorum in stirpe Scipionum. Deinde opponit togatum siue priuatum, qui in magistratu est, vel fuit. infrà:* Sed Hispanis in triumphum & Pontificatum adsurgeret, fieretque ex priuato consularis.

Eod. Cùm cæteris suis.] Nam Gracchus domo cum proficisceretur, numquam minus terna, aut quaterna millia hominum sequebantur. *Asellio apud Agellium lib. 2. cap. 13.*

Eod. Conditionibus sanari solitæ.] *Pactionibus & conuentionibus.* Conditionem *definit Donatus in Andria,* esse pactionem in se certam legem continentem. *non tamen dissimulo scripturam Bonhom.* condictionibus. *etiam non male. Condicere enim veteribus denunciare. Hinc Festo.* Condictio in diem certum eius rei de qua agitur denuntiatio. *& Duodecim tabulis,* condictus dies, iudicij causa constitutus. *Vsi Plautus Curculione. Apuleius, Cic. 1. offic.*

Cap. 4. Aristonicus.] *Non iusto matrimonio, sed ex pellice Ephesia Citharistæ cuiusdam filia genitus. Iustinus lib. 36. Florus, Liuius & Strabo lib. 14.*

Eod. Hereditate relicta.] *Romanos doli mali in adeunda hereditate Attali insimulat Mithridates apud Sallustium, & Horatius Oda 18. Carm. 2.*

——neque Attali
Ignotus heres regiam occupaui.

Eod. M. Perperna.] *Qui consul ante quam ciuis, Valerius lib. 3. cap. 4. Et quem triumphasse cum nostro; si Vulgatam sequimur, innuere videtur contra mentem reliquorum auctorum, qui in prouincia mortuum relinquunt.*

Eod. Crassum Mucianum.] *Apud Agellium, siue A. Agellius est, ait Sempronius Asellio, quinque habuisse veram bonarum maxima, & præcipua, quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod Iuris consultissimus, quod Pontifex max. Hunc consulem missum Cicero 2. Philipp. Iustinus, Orosius, Liuius, & sequentibus consulibus, hoc est, proconsulem interemptum, noster cum Obsequente narrant. in eo variat Florus lib. 2. cap. 20. qui non occisum, sed captum vult.*

Eod. Tribuno Carbone.] *Homine eloquentissimo, & Stellonis admodum peruerse nequam. Cicero in Bruto:* Vtinam in Tiberio Graccho, Caioque Carbone talis mens ad Rempub. gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit, profecto nemo his viris gloria præstitisset. *De contentione cum Africano idem in Milonianâ, & lib. 2. de Orat.* Cum L. Opimij causam defendebat apud populum audiente me (*Antonius loquitur*) C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi cæde negabat. sed id iure pro salute patriæ factum esse dicebat; vt eidem Carboni Trib. pleb. alia cum mente Rempub. capessenti, P. Africanus de Tib. Graccho interroganti responderet, inter cæsum videri, *& idem hunc cum C. Catone Gracchum secutum scribit. Pœnam itaque non effugit. accusatus à L. Crasso annos XIX. nato, auctore Tacito de Oratoribus, Cantharidas sumsisse dicitur. Cicero Epistula ad Pætum.*

Eod. Et cum omnis concio acclamasset.] *Vir doctus reponit* occlamasset, *assentiente auctore Vir. Illustr. ego contra omneis, quas contendi editiones, nec muto,* Ob *enim pro* ad. *& contra, solens auctoribus Vsus. consule Festum & nuperum V. N. Ian. Duæ Centurionatum. nec obiciat tempus. plurima hæc talia apud Velleium.*

Eod. Conflatam insidiis.] *Variæ suspiciones de huius obitu. Appianus lib. 1. Bellor. ciuil. Veneno sublatum testatur: Plutarchus in Fuluium reiicit, Cicero Epistula ad Pætum in C. Carbonem: Plin. lib. 7. cap. 44. in Metellum Macedonicum: Liuij Epitoma cum Cicerone in Somnio in Sempronium vxorem Gracchorum sororem.*

Cap. 5. Audita erant.] *Quidam libri,* adita erant. *de Gallæcis Strabo lib. 3.*

Eod. Contrebiam.] *Quæ Floro & Valerio Maximo est* Trebia.

Eod. In procinctu testamenta facientibus.] *Vocabulum Musæum, & varie veteribus vsurpatum. Apud Agellium lib. 10. cap. 15. Fabius Pictor* classem procinctam, *interpretatur exercitum armatum. Et Apulcium lib. 11.* procinctus Pompæ, *adparatum Pompæ, Beroaldus. Et, Habere in procinctu, idem, quod habere in mundo siue promptu. Quinctilianus pro Milite:* Neque in militiam grauissimo, aspertimoque bello ita venit, vt nesciret sibi mortem in procinctu habendam. *Seneca lib. 1. de Clementia cap. 1.* Nemo non, cui alia desint, homines nomine apud me gratiosus est: seueritatem abditam, clementiam in procinctu (*Vulgo* in promptu, *vt & notauit doctissimus Modius*) habeo. *Et,* reuersus è procinctu, *idem Ammiano lib. 18. quod ex helle. Adi Ciceronem, lib. 1. de Nat. Deor. Agellium, Festum.*

Cap. 6. Eloquentia aque longe præstantiorem.] *Contra omnium tamen sententiam Tiberium fratrem facile principem eloquentiæ laudat Florus.*

Eod. Iudicia à senatu transferebat ad equites.] *Fusè historiam præter Valerium lib. 6. Plinium li. 33. Augustinum lib. 3. De ciuitat. Appianus & Plutarchus. De iudicibus triga hic discordantium opinionum. Epitome Liuij lib. 60. sexcentos equites, trecentis senatoribus admistos adfirmat. Plutarchus*

trecentis senatoribus, trecentos equites ait adscriptos, hoc est, inter vtrosque communicata iudicia. Verior, & maioribus tibicinibus nixa opinio, qui cum nostro à senatoribus ad equites translata prodere insistunt. Varro, Cicero, Appianus, Pædianus. Hæc conciliare eorum, qui nobis legum æternæ vrbis tenebras clarissima ingenij dextro alite face discussérunt: Manutium dico, Hotomanum, & Ant. Augustinum.

Eod. Vnaque Fuluium Flaccum.] *Epitome Liuij & Appianus, Fuluium Flaccum, & C. Carbonem creatos agro diuidundo produnt. Cicero præter C. Carbonem & C. Catonem (si libri non mendosi) Tiberium secutum dicit. apud Plutarchum solius Fuluij mentio. De Carbone mirum. nouimus enim opimium à Q. Decio postulatum Carbone hoc defendente absolutum.*

Eod. Euporo seruo.] *Auctori virorum Illustr.* Euphorus. *Plutarcho* Philocrates, *Valerio Maximo dubium* Euporus, *an* Philocrates *vocitatus.*

Cap. 7. Optimis ingeniis male vsi.] *Sallustius tamen in Iugurtha, Gracchos veram gloriam iniusta potentia antepositisse adfirmare videtur. & Cicero 2. in Rullum Gracchorum consiliis & sapientia multas Reipub. partes constitutas non negat.*

Eod. Damnatum postea publico iudicio.] *Ob acceptas à Iugurtha pecunias. Sed indigne. Cicero pro Sestio:* Vnus in hac ciuitate, quem quidem ego possum dicere, præclare vir de Repub. meritus, L. Opimius indignissime concidit. cuius monumentum celeberrimum est in foro, sepulcrum desertissimum in littore Dyrrachino relictum est. atque hunc tamen flagrantem inuidia propter interitum C. Gracchi semper ipse P. R. periculo liberauit, alia quædam ciuem egregium iniqui iudicij procella peruertit. *In eiusdem laudibus sæpe in Bruto, de Legib. & in Pisonem.*

Cap. 8. Cum lis eius IIII. æstimaretur.] *Nimium exilis hæc summa, viro summo Francisco Hotomano. Restituit CCCC. M. id est, quadringentis millibus. cui vix accedo. nam sequentia verba aperte modicam designant summam. Et Cicero HS. XVIII. millia agnouit in Verrin. lib. 4. Act. 2.* C. Cato, *inquit,* duorum hominum clarissimorum nepos L. Paulli. & M. Catonis, & P. Africani sorori filius, quod damnato tum, cum seuera iudicia fiebant HS. XVIII. millibus lis æstimata est.

Eod. Circa eadem tempora Metelli fratres vno die.] *Ita edidi, secutus Gryphij libros, minime quamuis displiceat doctissimi Manutij coniectura sana è libris insanis; quem vide.*

Eod. In collegio consulum fuit.] *Fasti Capitolini huc mire conferunt.*

L. MANLIVS. L. E. L. N. ACIDINVS FVLVIANVS Q. FVLVIVS. Q. F. M. N. FLACCVS.

HEI FRATRES GERMANI FVERVNT.

Cap. 9. Rutilius.] *An iste Rutilius, qui historiam Romanam Græca conscripsit lingua, auctore Atheneo lib. 4. annuit Vir litteratus in Emendationum libris. Vereor, vt largiter erret. is enim, de quo Athenæus lib. 4. vixit tempore Apicij, cuius opera & in exsilium missus. at Apicij ævum quis ignorat? Verius igitur Phœnix Iurisconsultorum Cuiacius lib. 2. Obseruat. cap. 27. eum intellegit, qui Asconio Quæstor, siue legatus Mucij Scævola procos. Asiæ fuit. & quem noster infra damnatum repetundarum tradit. De historicorum choro, eos vide, qui fragmenta sedulo & laboriosè anquisiuerunt.*

Cap. 10. Persequamur notam seueritatem.] *Quid vulg.* Prosequamur notam simultatem. Cassij Longini, Cæsarisque quæ abhinc annis CLVII. L. Æ. a. q. s. m. æ. c. ai. at nunc si quis tanti habeat, vix vt senator. *Omnia impure, præter* ro habeat, *certatim à melioris notæ auctoribus pro eodem cum habitare vsurpatum.*

Eod. Adesse.] *Verbum ad hoc sollemne, immo & Senatus Liuius lib. 1.* Quandoque maior pars eorum, qui aderant, in eandem sententiam ibant, bellum erat consensu fieri solitum. *Igitur apud eundem lib. 26. de rogatione L. Attilij Trib. pleb. Vbi omnium doctorum confessione pessime vulgatur:* De iis rebus, quid fieri velitis, iubeatis, vos rogo Quirites. Plebs sic iussit, Quod senatus iurati maxima pars, qui adfuerit (*alij* adfident) id volumus, iubemusque. *non male si quid censeo, repono,* Quod senatus iurati maxima pars censet qui (*siue* quæ *illud antique.*) adsit, id volumus.

Eod. Si quis tanti habitet.] *Liuius lib. 45.* Et eos, qui prædium prædiave rustica pluris sestertium XXX. haberent, censendi ius factum est. *Et Cicero pro Cælio:* Triginta millibus dixisti eum habitare. *adiunge de Crasso & Domitio Plinij locum lib. 17. cap. 1. qui tamen in mendo cubat.*

Eod. Domitij ex Aruernis & Fabij ex Allobrogibus.] *Ille Bituitum siue Betultum regem eorum perfidè vinxit, Valerio si fides lib. 9. cap. 6. hic, cum isto felicius pugnauit. Vide Cæsarem lib. 1. Belli Gall. Et quod noster Domitium ex Aruernis, Fabium ex Allobrogibus tradit, dissentiunt Strabo lib. 4. Orosius lib. 3. cap. 13. Florus lib. 3. cap. 2. De cognomine* Allobrogis, *Pædianus.*

Cap. 11. C. Marius.] *Consule Sallustium in Iugurtha, & Statim pro* morandique imperiis, *quidam* immorandique imperiis.

Cap. 12. Vt præcauentibus fatis.] *Credo hæc duo inserta propter necessitudinem, & summam coniunctionem Quæstoris cum suo præside, de qua Cicero in Diuinatione & Epistulis ad Memmium.*

Eod. Consulatus initio.] *Recte* initio. *Stante Repub. designatus consul iniebat consulatum more maiorum Kal. Ianuar. qui, subsecuto Imperatorum æuo,* Ordinarius *dicebatur, quia ex tunc in singulos annos plures Consules creari inoleuerat. Cassiodorus & Apollinaris.*

Eod. Quibus nomen Cimbris & Teutonis erat.] *Nota Ciceronem de prouinciis Consul. & Sallustium, Iugurtha hos Gallorum generali nomine concelebrare.*

Eod. Cum Cæpionem.] *Emendandus igitur Sallustius, in quo Vir doctissimus contra historiæ veritatem* Q. Scipionem *recensere peroptauit. post alios, Agellium, Strabonem, Orosium, Iustinum, Pædianum in Cornel. Eutropium vise.*

Eod. Manliumque consulem.] *Nihil mutæ si sapu. Tacitus in Germania:* At Germani Carbone & Cassio & Scauro Aurelio, & Seruilio Cæpione, M. quoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulareis exercitus populo Romano. *facit Epitoma Liuij 67. Sallustius Iugurtha, Orosius lib. 5. cap. 16. Cassiodorus, alius* Mallium *arridet. Sciant hoc Græcum, illud Latinum. In prænomine dissensus. Sallustio & Tacito* Marcus, *Liuio & Orosio* Caius, *alis* Cneus. *Et quod statim vir doctus,* Aurelium consularem *mauult, nollem factum. consul enim, è Tacito notum male pugnauit, legatus consulis triennio post captus, atque Belo rege occisus est. Liuius dicto loco.*

Eod. Populus crearet.] *Aduocando minorem eius partem. Cicero in Rullum. abrogauit postmodum Sulla, restituit Labienus, Dio lib. 27. De Collegio Cicero in Epistola 10. ad Appium:* Amplissimi sacerdotij collegium, in quo non modo amicitiam violari apud maiores nostros fas non erat, sed ne cooptare quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus.

Eod. Nomen erat Raudis.] *Florus* Claudium: *Veteres eruditissimi Vineti* Raudium, *nec numerus casorum conuenit. vide Liuium, Orosium, Eusebium, Florum.*

Cap. 13. Liuius Drusus vir nobilissimus, eloquentissimus.] *Cicero pro Milone. Plutarchus Catone. non fuit ille, vt nuper quidam ad Orationem pro Milone falso putauit,*

qui C. Gracchi pernitiosis conatibus restitit, cuius mentio apud Plutarchum, Suetonium, Appianum, Ciceronem De finibus, sed eius filius, de quo C. Carbo apud Ciceronem in Oratore: O Marce Druse *(loquitur de patre)* tu dicere solebas, sacram esse rempub. quicumque eam violasset, ab omnibus ei esse pœnas persolutas. patris dictum sapiens, temeritas filij comprobauit. *De temeritate Valerius lib. 9. cap. 5. seditionis caussam inuenies in Epitoma* 70. *Flori lib. 3. Cicero 2. de Oratore. alij.*

Eod. P. Rutilium.] Ruffum. *Est ille, ipse historicus, de quo supra Consul cum Manlio. Vita Socraticum probauit. certatim in eo extollendo scriptores. Minutius in Octau.* Quod si mundus diuina prouidentia & alicuius nominis auctoritate regeretur, numquam mereretur Phalaris, & Dionysius regnum, numquam Rutilius, & Camillus exsilium, numquam Socrates venenum. *Damnatus Smyrnam commigrauit litterarum studio. Ouidius lib. 1. de Ponto:*

Et graue magnanimi robur mirate Rutili,
Non vsi reditus conditione dati.
Smyrna virum tenuit. —

Cap. 14. Cultello percussus.] *A. C. Vario. Cicero 3. de natura Deor. ambiguunt tamen auctores. Senecam De breuitate vitæ consule, Pliniumque lib. 28. cap. 9. Leges eius tamquam contra auspicia latæ consule Philippo referente vno SC. sublatæ. Pædianus. & Cicero 3. de Legib.*

Eod. Immunis ab omnibus arbitris.] *Rhen. & Ald.* Immun. ab omnibus hominibus. *nostra auctorem agnoscit Burr. Ms. Eleganter apud Plautum* loco libero *perpetuo opponi illum*, vbi arbiter, *notum, quibus Plautina epulæ ad stomachum.*

Eod. Vt quidquid agam ab omnibus perspici possit.] *Vir vere antiquus Romanum ad morem.* Nam, vt ait Cato, & in atrio & duobus ferculis epulabantur antiqui: *Vnde Iuuenalis:*

— qui fercula septem
Secreto cenauit auus?

Ibique etiam pecuniam deponebant, vnde qui honoratiores serui erant liminum custodes adhibebantur. *& quæ sequuntur in Seruio ad hoc Virgilij:*

— vocemque per ampla volutant
Atria. —

Et Valerius lib. 2. cap. 5. Nam maximis viris prandere & cenare in propatulo, verecundiæ non erat: nec sane vllas epulas habebant, quas populi oculis subiicere erubescerent. *huc respexisse Gracchum apud Liuium lib. 24. facile accredo.* Beneuentani, *ait*, omnes, turba effusa cum obuiam ad portas exissent, complecti milites, gratulari, vocare in hospitium. Parata conuiuia omnibus in propatulo ædium fuerant: ad ea inuitabant, Gracchumque orabant, vt epulari permitteret militibus. Et Gracchus ita permisit, in publico epularentur omnes. *Et Augustum apud Suetonium cap.* 64. Filiam & neptes ita instituit, vt etiam lanificio assuefaceret: vetaretque loqui aut agere quidquam nisi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur.

Cap. 15. Bellum excitauit Italicum.] *Sic dictum, quia caput imperij sui Corfinium legerant.* Sociale *Floro*, Marsicum *Strabonis. Scripserunt hoc bellum Appianus 1. bell. ciuil. Strabo lib. 5. Liuius lib. 71. & 82. Plinius lib. 32. cap. 1. Eutropius, Orosius, Macrobius Saturnal. 1.*

Eod. Ab Asculanis ortum esset.] *τὸ* ortum, *restitui è Rhenan. Gryph. & Bonhom. Lectio esset Aldi eleganter, certe commode ellipsi Sallustiana & Corneliana ferri potest.*

Eod. Quod solus in leges eius iurare noluerat.] *Remoram hic iniicit vir adprime has doctus litteras, ait*, more maiorum in leges iurari. *monetur hoc, & Dionis lib. 39. scriptoris virorum Illustr. Apuleio, & Dionysij lib. 6. locis. Sed errat tantum, vt hoc statuant, vt magè contrarium. omnes videas penitius & loqui præter Halicarnassei, de perniciosarum rerum auctoribus siue tribunis, dabis, & hactenus facile concesserim. Cum enim suas leges firmare contra bonos, & viros & ciues legitimo modo non quiuerint, huc, malo modo nullo bonorum more descendisse qui negauerit? Halicarnassei locus aperte de Legibus sacratis agit. Sed quid ad Liuium li. 31.* Quia Flamen Dialis erat, *ait*, iurare in leges non poterat. *Facile eludo ictum. loquitur de Diali qui in magistratu. magistratum autem in suas leges iurasse. se seruaturum neque violaturum æquum fuit. cur non Dialis? quia iis iurare omnino nefas. Agell. lib. 10. cap. 15. Quid plura? hoc certum, non arbitrarium; in leges non iuratum, nisi sciro cautum iurare.*

Cap. 16. Herius Asinius, Insteius Cato.] *Liuio lib. 73.* Hirtius Asinius Marrucinorum prætor. Insteij, *&* Insteij Capitonis *mentio apud Tacitum lib. 13. Annal. & in lapide apud Cuiatium lib. 10. Obseruat. cap. 37.* Papius; *Orosio*, Papius Mutilus, *Diodoro*, Aponius Motylus.

Eod. Cum seni adhuc crearentur.] *Non frustra hoc adiectum. breui post, Sulla Dictator numerum vel ad* XX. *auxerat Lipsio ad Taciti 1. teste: vel ad decem, quod Pomponio Iurisconsulto titulo de Origine iuris visum, suffragante Cl. viro P. Pithœo in notis ad Collationem Legum Mosaicarum, & Onuphrio Panuinio in Fastis.*

Eod. Vtque ad sagairetur.] *Sagum amictum militare Græcis, Gallis, Germanis, Hispanis vsitatum cum Romanis. Cicero, Plutarchus, Tacitus, Strabo, Nonius, Suetonius. Hoc Romæ moris in dubio periculosi Martis euentu sumere; vt in tumultu, & tristi tempore ciuitatis ponere anulos, indicere iustitium, differre vadimonia, mutare vestem. Liuius, Tacitus, Suetonius, Iuuenalis, Lucanus, alij. Et sumtum (ad quod SC. vel lege opus Cic. Philipp.) non deponebatur nisi spe lætiore, & Fortuna obsequente Orosius lib. 5.* Consulares, *tamen ait Cicero, Philipp. 8.* togati esse solent, cum ciuitas est in sagis. *Eius tria, ni fallor, genera. Vnum lugubre, id est, luridum, nigrum, pullum, luctu fugaque dignum, vt Comentator Horatij ad Epod. 9. describit, & de quo nos hic. Alterum gregale, militum dico, densum & villosum; cuius colorem duæ anquisiui, nec inueni. coccineum Commentator tribuit sine ratione, & auctore. Scio, Romanis coccineam tunicam supra prætorium extensam futuri prælij signum fuisse. sed quid hinc? Doctissimus vir confundit cum illo, ego hæreo, & Strabonem lib. 7. audio. tamquam nouum quid tradentem esse gentes, quæ pullo siue nigro vrantur sago. Tertium, Imperatoris, quod paludamentum proprie. Apuleius Apologia 1.* Verum tamen hæ, Diogeni, & Antistheni pera & baculus, quod regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerum, quod lituus auguribus. *Color purpureus seu puniceus, præter exempla à doctis prolata ex Hirtij lib. 1. Belli African. probo:* Nam cum Scipio sagulo purpureo ante regis aduentum vti solitus esset, dicitur Iuba cum eo egisse, non oportere illum eodem vti vestitu, itaque factū est, vt Scipio ad album se vestitum transferret. *Ex quo & hoc haut absurde colligas, purpureum præcipue principem; album etiam eos, qui in exercitu alicuius dignationis & gradus, induisse.*

Cap. 18. Mithridates, Ponticus rex, vir, neque silendus.] Quippe cum quatuor Pyrrho, XVII. Annibali sufficerint, ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Sullæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeij consumeretur. *Florus lib. 3. cap. 5. Appianus, Plutarchus in Sulla, Lucullo, Pompeio, Cicero pro L. Manilia, alij.*

Eod. Aliosque.] *Q. Oppium proconsulem intellegit. Plutarchus* CL. *millia Romanorum, Valerius* LXXX. *millia perfide interfecta docent.*

Eod. P. Sulpicius.] *De quo Pædianus. Valerius lib. 6. Cicero in Bruto. de bello cui non dictus Hylus?*

Cap. 19. In carcerem Minturnensium.] *Iuuenalis Satyra* 10.

Exsilium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis,
Hinc caussas habuere. —

Et Lucanus lib. 2.

Cum post Teutonicos victos, Libycosque triumphos
Exul limosa Marius caput abdidit vlua,
Stagna auidi texere soli, laxæque paludes
Depositum fortuna tuum, mox vincula ferri
Exedere senem, longusque in carcere pædor.

Eadem Ouidius 4. de Ponto, Valerius in priuata domo Minturnis clausum dicit.

Eod. Seruus publicus natione Germanus.] Cimber *Valer.* Gallus *Liu. & auctor Illustr. vir. recte supra monui, auctores Gallorum nomine comprehendi Cimbros Teutonosque Quia seruus siue actor publicus, erudite Lipsius in Electis, Tacitique Notis explicat.*

Eod. Magno eiulatu expromenti.] *Gyph. & Steph.* Magno cum eiulatu se prodetem, indignatione casus tanti viri. *Male. vnde tanto Imperatori tam muliebre pectus? Cicero in Paradoxis:* Marium in secundis rebus ex fortunatis habeo; in aduersis vnum ex summis viris. *Sane in Bruto plane virum laudat.*

Cap. 20. Collega Sullæ ab exercitu Cn. Pompeij proconsulis, seditione, sed quam dux creauerat, interfectus est.] Ambitiosi ducis illecebris, *inquit Valerius*, corrupti milites, sacrificare incipientem adorti, in modum hostiæ mactauerunt. *Rhen. hic* ad exercitum. *deinde quidam, τὸ* creauerat, *coniectura Burrerij licenter in* excitauerat *mutarunt.*

Cap. 21. In corpus mortui contulit.] *Nam lectum eius populus diripuit, corpus, more recepto, vnco traxit, interiit fulmine ictus.*

Eod. Ante annos fere CLXVIII. Q. Pompeius.] *Rhen.* quam Pompeius. *Hinc Marlianus superare ait centenarium numerum, cum ad Pompeij Magni consulatum dumtaxat LXX. intercedunt anni. nostrum scripturam tuetur Leopardus Miscellan. lib. 8. cap. 8.*

Cap. 22. Merula autem, qui se sub aduentum Cinnæ consulatu abdicauerat.] *Ita docui legendum. antea* Consulis. *inepte.*

Eod. M. Antonius princeps ciuitatis.] *Cicero 3. Tusculan. Lucanus* 2.

— aut te præsage malorum
Antoni, cuius laceris pendentia canis.
Ora ferens miles festæ torantia mensæ
Impoluit.

Eod. Mortem obiit.] *Ita sæpe noster Terentius Andriæ, Scena;* Enimuero Daue. *Virgilius:*

Morte obita, qualis fama est volitare figuras.

Eod. Sui quisque periculi merces foret.] *Infra noster,* Fieretque quisque merces suę mortis. *Petronius arbiter.*

— qua re tam perdita Roma
Ipsa sui merces erat, & sine vindice præda.

Ad eundem modum locutus Sallust. Catilin.

Cap. 23. Imputat Athenienſibus, nimirum veti.] *ad* nimium veri. *Florus certe non liberat suspicione. ait enim,* Postquam domuerat ingratissimos hominum, in honorem tamen mortuorum sacris suæque famæ donauit. *De Græcorum fluxa & subiesta fide, res proculcata iam, notatumque ad Plautum.*

Cap. 24. Scipionem Norbanumque.] *Non exputo, quid doctissimo viro in mentem venerit, legenti* Cæpionemque: *inuitis memoriis & Fastis, in quis.*

L. CORNELIVS. L. F. L. N. SCIPIO
ASIATICVS. C. N. *orbanus.*

Adi Appianum, Cassiodorum, Tacitum.

Cap. 25. Audito crudelior.] *Iustinus*, exspectato maturius, *& noster de Tiberio:* exspectato reuoluit maturius, *iisdem verbis.*

Eod. Post victoriam, qua descendens montem Tifata.] *De Tifata prater Festum, Liuius lib.* 18. Samnites cum eminenteis Capuæ colleis firmo præsidio tenuissent, descendunt inde quadrato agmine in planiciem, quæ Capuam Tifataque interiacet. *Totam hanc connexionem varias editiones secutus, ita edidi. Vide præstantissimi Medici Mercurialis Variarum lib. 2. cap. 9. ista duo,* vt potius; *quæ in plerisque vulgatis, rectissime induxi. non enim auctoris, sed Burrerij.*

Cap. 26. Coss. Carbone III.] *Sic lego cum Rhenan. cæteræ editiones*, Interea deinde Consules Carbo. *quod natum ex isto*, intra ædem.

Eod. Damasippus Prætor.] *Cicero Epistula ad Pætum, Liuius, Valerius, ernce Appianus, fidus alias narrator, qui Brutum prætorem recenset.*

Eod. Scævolam.] Qui Asiam tam sancte, & tam fortiter obtinuit, vt Senatus deinceps in eam prouinciam iturus magistratibus exemplum atque formam officij decreto suo proponeret. *Valerius lib. 8. cap. 15. Cicero in Bruto, & Verrinis. In cuius quoque honorem Asiani diem festum* Mutia *nominarunt. Pædianus.*

Eod. C. Carbonem Prætorium consulis fratrem.] *Quod falsum facile conuinco. C. Carbo prætorius patre natus Cato, clarum ex Valerij lib. 3. cap. 7. Ciceronis lib. 3. de Oratore. Cneus vero si fastis Capitolinis fides, Cneo patre, quem accusatum à M. Antonio furorio atramento absolutum. Cicero Epistula ad Patum dat intelligere. Qui igitur frater? an patruelis? nec hoc. Caio etenim duo solum modo fratres, Publius & Marcus. Cicero ibidem. Erasti itaque Velleij, nisi si adoptatum Cneum à Caij patre probaueris. Fugit hic locus Lambinum, ideoque in iam laudata Epistula male*, Cn. Carbon. *pro* C. Carbon. *edidit. tu emenda.*

Cap. 27. Obscuratur eius memoria.] *Burr.* ciuis memoria.

Eod. Ofella Lucretius.] *»Semel tibi obserua Velleium perpetuo præpostero ordine nomina proferre;* Carbo Papirius, Vulso Manlius, Philo Publius, Otho Rostius, Vala Numonius. *De Offella Plutarchus in Sulla, & Appianus late.*

Cap. 28. Apud Fauentiam.] *Liuius, Appianus, Strabo: Florus vero* Fluentiæ, *aut vt in veteribus*, Florentiæ, *hic mentionem iniicit.*

Eod. Cuius honoris vsurpatio per annos CXX. intermissa. nam proximus post annum quàm Hannibal Italia excesserat.] *Vir Iuris & antiquitatis consultus legendum arbitratur:* Cuius honoris vsurpatio per an. CXX. intermissa, à proximo post anno, quàm Hannibal Italia excesserat. *Sullam Dictatorem Cicero 3. De finibus trium pestiferorum vitiorum luxuria, libidinis, auaritiæ, crudelitatis vocat magistrum.*

Eod. Vt adpareat non tam desideratse.] *Rhen. diuinat,* *Haud desidę metu à Ser. Tullio continuasse, potestatem imperio (pro res ad vindicandum maximi periculi spoliantem. Legis hæc quisquis es, ciuitatis es, & non rides?*

Eod. In qua ciuitate petulantis conuitij iudicium histrioni exoleto redditur, in ea iugulati ciuis R. publice constituetur auctorem.] *Vulgo*, petulantis conuicij iudicium historiarum ex alto redditur. *Inde doctissimus Lipsius* iudicium histrionicum ex albo; *vel cum Cl. Pithœo*; iudicium iniuriarum, *coniicit. Lectio Gryphij, quæ & nostra, nihil incommodi habet, nisi quod cum Aldo & Lipsio recepi* ciuis R. publicæ, *pro*, Reipublicæ. *Imperantiam porro Sullæ Cicero 2. Officiorum, & Verrin. Act. 2. lib. 3. his tangit verbis:* Qui ausus est dicere hasta posita, cum

bona in foro venderet, & bonorum virorum & locupletium, & certe ciuium, prædam suam se vendere. *præter ordinarios meminit Dionysius Cæsar lib. 1. bell. Ciuil. Sallustius.*

Eod. Qui contra arma tulerant.] *octo millia deditorum in villa publica trucidauit. Liuius* 88. Villa publica locus in campo Martio, *Augustinus Ciuitatis Dei 3. cap. 29.*

Eod. Excluſi paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum iure prohiberentur.] *Contra morem priſcum, quo liberi minime parentum delicto tenebantur. Dionyſius Antiquitatum 8. & Plinius in eximio illo Ciceronis eulogio lib. 7. cap. 30. eo alludit. Poſtea his ignouit Cæſar, & ad ius dignitatis reuocauit Suetonius, Dio, & noſter infra.*

Cap. 29. Pæne omnium votorum expers.] *Sincera lectio. Perſius,*

Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno. *Et Velleius inferius de eodem:* Suo & ciuium voto maior.

Cap. 30. Sertorium inter cenam Etoſcæ interemit.] *Adſentior doctiſſimis viris, Manutium dico & Ortelium,* Oſcæ *ex Plinio, Ptolemæo, Plutarcho legentibus. Strabo lib.* 3. Ileoſcam *agnoſcit. Supremum iſtud conuiuium reperies apud Salluſtium hiſtoriarum lib.* 3. Igitur diſcubuere, *inquit,* Sertorius interior in medio, ſuper eum L. Fabius Hiſpanienſis ſenator ex proſcriptis, in ſummo Antonius, & infra ſcriba Sertorij Vernus: & alter ſcriba Mæcenas in imo, mediusinter Tarquitium, & Dominum Perpernam. *Huic loco lutem pete à Plutarcho in Sertorio, & Nobiliſſimo V. Iano Duæa. Vnum moneo, facillime ab Antonio, qui in ſummo, vulnerari potuiſſe Sertorium, qui interior. ita enim ritus ſtatuere lectos, vt cuius prona & prompta tranſitio & attactio. colligo è Plauti Aſinaria Scena.* Agedum iſtum:

Neque illæc vlli ſuo pede pedem homini premat.
Cum ſurgat, non in lectum inſcendat proximum.
Neque cum deſcēdat, inde det cuiquam manum.

Eod. Adhuc eques Romanus.] *Cicero pro L. Manilia, Lucanus lib. 7. Plinius lib. 7.* Pompeius Sicilia reciperata, Africa tota ſubacta, Magnique nomine ſpolio inde capto, eques Rom. (id quod nemo ante) curru triumphali reuectus eſt.

Eod. Hoc conſulatu Pompeius Tribuniciam poteſtatem reſtituit, cuius Sulla imaginem ſine re, reliquerat.] *Tullius 3. de Legibus,* Quamobrem in iſta quidem re, vehementer Sullam probo, qui tribunis pleb. ſua lege iniuriæ faciendæ poteſtatem ademerit, auxilium ferēdi (*intelligit interceſſionem Cæſar lib. 1. belli Ciuil.*) reliquerit: Pompeium que noſtrum ceteris rebus omnibus ſemper ampliſſimis ſummiſque effero laudibus: de tribunicia poteſtate taceo nec enim reprehendere libet, nec laudare poſſum.

Eod. M. Craſſum.] *Qui ouans vrbem iniuit, quod Senatus cenſeret indignum de ſeruis, hoſte non iuſte, triumphare. Plutarchus. Coronatus tamen non myrtea corona. quæ Oualis, ſed per gratiam Senatuſconſulto adiutus, laurea. Agellius lib. 5. cap. 7.*

Cap. 31. Et pæne homine maior habebatur.] *Vulgatam expreſſit Rhen.* per omnia maiore vi habebatur. *Hinc vir doctus diuinat,* per omnia maior euehebatur. *poſſet tentari,* per omnia maior viro habebatur. *Placet vulgata.*

Eod. A Gabinius Trib. pleb.] Qui niſi rogationem de bello Piratico tuliſſet, profecto & egeſtate & improbitate coactus piraticam ipſe feciſſet, *Cicero.*

Eod. Quo Senatuſconſulto.] *Aperte falſum, aut Velleius in mendo. Magnus ille Iuriſconſ. in Obſeruationib. reſcribit* PSto, *inuitis libris, volente veritate. Emendauerim* ſcito. *facili & prono errore imperiti librarij,* Tò ſcito in SCto *mutantis.* Et ſciſcere *ſine* ſcitum *verbum proprie plebis, notum ex Plauto; Cicerone, alijs, immo generale ad omnia decreta pertinens Liuius lib. 1.* qua publica, quæ priuata ſacra Pontificis ſciſcis ſubiecit. *Plinius li. 33. cap. 2.* Non genti vocabantur ex nominibus ſelecti ad cuſtodienda ſuffragiorum ſcita in comitiis. *à me Lipſius ad Tacitum. Hæc vti protuli; opinor; magis, Velleium peccaſſe? cum & ſtatim Catoni Senatuſconſulto Cyprium commiſſum recitet.*

Cap. 32. Si quid huic acciderit.] *Verba ſollemnia vitandi ominis in mortis mentione. Sueton. extremo Auguſto:* Iulias filiam, neptemque ſi quid his acciditſet, vetuit ſepulchro ſuo inferri. *Indubie huc ſpectat fragmentum illud è lib. 5. hiſtoriarum Salluſtij.* Nam ſi Pompeio humani quid euenitſet. *quod etiam Nobiliſſimo Duæe in mentem veniſſe iam video. narrat hiſtoriam Plutarchus & Valerius.*

Eod. Æqualiter inter vtrumque ordinem partitus eſt.] *Senatorium puta, & equeſtrem. Equeſtri annumerat Cl. Vir Ant. Auguſtinus Tribunos æraríos teſtimonio Plinij lib. 33. cap. 2. Diſſentit doctiſſimus & de antiquitate optime meritus Vir P. Manutius libro de Legibus, quem omnino ſuadeo, conſulas. Hoc magis Liuius lib. 97. ad equites ſolos tranſlata iudicia conſtanter aſſueuerat.*

Eod. Et Otho Roſcius lege ſua equitibus in theatro loca reſtituit.] Conſtituit, *aut* diſtribuit, *ſuadet Vir doctus, nullus perſuader. Cicero de illa ipſa agens,* L. Otho, *ait,* vir fortis, meus neceſſarius, equeſtri ordini reſtituit non ſolum dignitatem, ſed etiam voluptatem. itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, eſt omnium gratiſſima, qua honeſtiſſimo ordini cum ſplendore, fructus quoque iucunditatis eſt reſtitutus: *Pro Murena. Vides hoc verbum bis repeti, nec fruſtra. in Vario namque ſignificatu Veteribus præpoſitio,* Re, *Hinc apud Tacitum lib. 1. Annal. legas* remittere, *pro* permittere: Remiſit, *inquit,* Cæſar adroganti moderationem, *Vt notauit Vir nunquam ſatis laudatus Cuiatius Obſeruat. lib. 21. cap. 29. De L. Roſcia, quæ tantum de Scena, non Curulibus ludis cauerat, quædam non è vulgo, Vir omnia doctus Lipſius, ad Taciti lib. 1. Addo Loca ipſa* Equeſtria *dicta; hinc ſedere in Equeſtribus ex ſimplici & puro in obſcenum detorquet ſenſum ancilla Chryſis apud Petronium:* Viderint matronæ, quæ flagellorum veſtigia oſculantur. ego etſi ancilla ſum, numquam tamen, niſi in Equeſtribus ſedeo. *Et Quatuordecim abſolute. Idem:* Ex hac nota domina eſt mea, vſq; ab Orcheſtra quatuordecim tranſilit, & in extrema plebe quærit quod diligat. *Ex alijs nulla profero conſulto,*

Eod. Breui terrarum orbem liberauit.] *Diſtincte Florus.* Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem quod XL. die parta eſt? an felicitatem quod ne vna quidem nauis amiſſa eſt? an vero perpetuitatem, quod amplius piratæ non fuerint?

Cap. 33. Egregia Cyzicum liberarat victoria.] *De bello dixi. de Cyzico nobiliſſima & Romanis amiciſſima Aſiæ vrbe Cicero, pro L. Manilia, Murena, Oroſius.*

Eod. Ab eo quod arguebatur.] *Nihil muto. Frequens antiquis patiendi verbum, agendi ſignificatione.*

Eod. Vt primum ad Remp. adgreſſus eſt.] *Alij,* vt primum Remp. adgreſſus.

Eod. Et L. Lucullus ſummus alioqui vir, profuſæ huius in ædificiis, conuictibuſque.] *De profuſione in ædificando Cicero in offic. Varro lib. 3. de re Ruſtic. de Luxuria Athenæus lib. 6.*

Cap. 34. Creta inſula.] *Arx altera prædonum, prius malo Reipubl. à M. Antonio tentata. Liuius lib. 99. Valerius, Plutarchus in Pompeio, Dio, alij.*

Eod. Et aliorum vtriuſq; ordinis virorum.] *Burr. Ms.* vtrius ordinis. *antiq. Sic quidā veteres editiones Agellij* 13. *cap.* 22. *in verbis M. Catonis:* Si quid eſt quod vtar: vtor: ſi non eſt; ego ſuum cui (*alius* cuique) per me vti licet.

Eod. Lentulus

Eod. Lentulus conſularis, & prætor iterum.] *Poſt conſulatum præturam ea propter repetit, vt ſenatorium ordinem cenſorio iudicio ob mollitiem amiſſam iure & beneficio magiſtratus reciperaret. Dio lib.* 37. Et P. Lentulum, qui poſt conſulatum geſtum ſenatu exciderat: ac ſenatoriæ dignitatis recuperandæ cauſa præturam tunc gerebat. *Vbertim hunc morem diſertiſſimus Manutius diduxit.*

Cap. 35. Semper fortunam in ſua poteſtate habuit.] *Eleganter Cicero Paradox.* Neſcis inſane, neſcis, quantas vires virtus habeat. nomen tantum virtutis vſurpas: quid ipſa valeat ignoras. nemo poteſt, non beatiſſimus eſſe, qui eſt totus aptus ex ſeſe, quique in ſe vno ſua ponit omnia. cuius autem ſpes omnis, & ratio & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi. *Horat. lib. 2. Satyr.* 7.

Quiſnam igitur liber! ſapiens, ſibi qui imperioſus:
Quē neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrēt:
Reſponſare cupidinibus contemnere honores
Fortis, & in ſeipſo totus teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leue morari:
In quem manca ruit ſemper fortuna.

& quæ ſequuntur. Comparationem Catonis & Cæſaris habes in Salluſtio & Dione.

Cap. 36. Vota obiit.] *Vir doctus edidit,* nota obiit, *lego,* voto obiit *ſuadente Salluſtio. Et ſtatim idem,* ſupplicio reddidit, *minus apte.*

Eod. Senemque Craſſum.] *Alij,* ſaneque Craſſum. *acute hic vir doctus.*

Eod. Perfectiſſimi in forma operis ſui.] *Dico nil tentandum frequens noſtro phraſis:* Nunc propoſito operi ſua forma reddatur. *&,* In formam iuſti exercitus, *atque:* cogit enim excedere propoſiti formam operis, *&c.*

Cap. 37. Quæ omnis ſicuti Pompeio moris erat, redacta in quæſtoris poteſtatem.] *Hoc non Pompeio peculiare. quoties apud Liuium,* adpenſa pecunia *quæſtori, redacta in poteſtatem quæſtoris,* relata *in tabulas?*

Cap. 38. Notabimus vt facilius è partib. ſimul.] *Ita ſcripſimus Veteres editiones ſecuri in quibuſdam* notabimus *abeſt. ſcio duplicis-ſenſus hunc locum, ſed alterum quem expreſſi magis ex re, credo.*

Eod. Primus in Siciliam.] *Errat Velleius. Sicilia præter regnum Syracuſanum iiſdem temporibus quis Sardinia prouincia facta. Solinus, Pomponius De origine iuris. Vniuerſa cum regno Syracuſano non à Marcello, ſed M. Valerio Læuino. De prouinciis poſt Sigonium pauca, imo nihil dicere habeo. Satis ſit monuiſſe, in pluribus Velleium victorem gentis cum pacificatore, eum dico, qui pacis conditiones iuſſu populi tulerit, confundere imperite.*

Eod. Tertio Auguſto principe.] *At docuit me Vir, qui cuncta tenet antiqua ſepulta, I. Lipſius in electorum 1. cap. 20. Iunum ter ab Auguſto clauſum. Et vere. an igitur legendum* ter? *minime. ſatis habuit Velleius à quibus, non quoties à ſingulis cluſus exprimere.*

Eod. Quippe Senatuſconſulto miniſterio Catonis] *Clariſſimus Cuiacius & hic corrupte legi* SCto *pro* PSto *ait, niſi verumque interueniſſe dixeris, quod ſæpe accidit, Vt De colonia Vibonem deducenda apud Liuium lib. 35. De actis Cæſaris apud Ciceronem ad Atticum 5. Epiſtula 16. ego Velleium culpa vix libero. Miniſterij duo genera doctiſſimo, & Iuriſconſultiſſimo Reuardo. Vnum honorificum, & cum poteſtate, vt cum mittuntur in prouincias, cum prætorio, conſulari, quæſtorio iure. de quo hic, & Valerius. Alterum vile & ſeruile, de quo Quinctilianus Declamatione;* Prægnans adultera: *adde Cuiatium lib. 7. Obſeruat. cap. 9.*

Eod. Regis morte, quam ille conſcientia acciuerat.] *Ammianus li. 14. regem* fœderatum & ſocium ob ærarij anguſtias ſine vlla culpa proſcriptum *narrat;* ita vtius eius inſulæ, auarius quàm iuſtius ſint aſſecuti Romani. *Ruffus. Strabo lib. 14. quod Rex Clodium à piratis captum redimere noluerit, legem latam ſcribit.*

Cap. 39. Ab eodem facta Numidia. Ciliciam perdomuit Iſauricus.] *Liber Bonhom.* facta Numidici. *inde emendaueram,* facta Numidia. *quod iam video & Sigonio, (at cui vivo?) in faſtorum commentarijs placuiſſe. Confirmat Hirtius, dum ait:* Tributis vectigalibuſque regijs abrogatis, ex regnoque prouincia facta, atque ibi Criſpo Salluſtio procos. cum imperio relicto, ipſe Zama egreſſus, Vticam ſe recepit. *Et Dio lib. 43. dubitationem omnem tollit:* Ea pars Libyæ, quæ circa Carthaginem ſita, à Romanis Africa dicebatur, vetus prouincia dicta eſt, quod iam olim ſubacta eſſet: Numidia autem quia recens debellata fuit, nouæ prouinciæ nomen inditum eſt.

Eod. Diuus Auguſtus, præter Hiſpanias, aliaſque gentes, quarum titulis forum eius prænitet.] *Sueronius extremo Aug.* De tribus voluminibus vno mandato de funere ſuo complexus eſt: altero, indicem rerum à ſe geſtarum, quem vellet incidi in æneis tabulis, quæ ante Muſoleum ſtatuerentur: tertio breuiarium totius imperij, quantum militum ſub ſignis vbique eſſet, quantum pecuniæ in ærario & fiſcis, & vectigaliorum reſiduis. *Et Tacitus lib. 1. Annal.* Proferri (*Tiberius*) libellum recitariique iuſſit. opes publicæ continebantur, quantum ciuium, ſociorumque in armis, quot claſſes, regna, prouinciæ, tributa aut vectigalia & neceſſitates & largitiones; quæ cuncta ſua manu perſcribſerat Auguſtus. *Ambo ecce ab Auguſto compoſitum, ſed nullus in foro poſitum adfirmat. Locus itaque laudabilis, & quem alibi quæras fruſtra. eumpſe eſſe volunt, cuius exemplar Ancyræ ab Ampliſſimo Busbequio curatum, nuper edidit doctiſſimus Schottus.*

Eod. Cappadociam pop. Rom. fecit ſtipendiariam.] *Eunt in hac ſententiam agmine facto, omnes præter Appianum, qui huius ſubacti regni gloriam confert in Auguſtum, ait;* Quod regnum Ariobarzenes integrum reliquit filio ſuperſtiti multis mutationibus obnoxium vſque Auguſtum Cęſarem, quo imperante, quemadmodum alia quædam; ita hoc regnum in prouinciæ formam redactum eſt.

Cap. 40. Quippe Brundiſij dimiſſo exercitu.] *Quod inter laudanda, & ſuſpecta Pompeij facinora in primis numerant auctores concorditer.*

Eod. Et, quot parteis terrarum orbis ſunt, totidem faceret monumenta victoriæ ſuæ.] *Hinc Cicero pro Cornelio:* Pompeius tot habet triumphos, quot ſunt otæ parteſque terrarum. *Idem:* Pompeij tres triumphi teſtes ſunt, totum orbem terrarum noſtro imperio teneri. *Et Dio lib.* 37. Duxit vnum de omnibus bellis triumphum, in quo multa tropæa intulit de ſingulis rebus geſtis; vnum aliquod perexiguum, vnum autem magnum ſumtu ingenti apparatum quod DE ORBE TERRARVM inſcriptionem habebat. *Appianus, Plutarchus, & vnice Plinius.*

Cap. 41. Hic nobiliſſima Iuliorum genitus familia, ab Anchiſe ac Venere deducens genus.] *Strabo lib.* 13. Cæſar vero, quia & Alexandri amantiſſimus fuit, & certiſſima cum Ilienſibus cognationis ſigna habebat, impendio ad beneficium incitabatur, certiſſima quidem, quia Romanus erat, Romani autem auctorem generis Æneam putant. Iulius enim ab Iulo quodam ex progenitoribus, & ille ab Iulo cognomen hoc habuit, qui vnus fuerit ex poſteris Æneæ. *Virgilius lib.* 1. *Appianus 2. bellor. Ciuil. Sueton. cap. 6. Lucretius in exordio operis:* Æneadum genitrix. *Quam Deam contra hoſtes teſſeram dediſſe, Diolib. 43. reliquit.*

Eod. Sed ſobrio.] *Vnde Catonis verbum:* Vnum ex

omnibus Cæſarem ad euertendam Remp. ſobrium acceſſiſſe.

Eod. Cuius filiam vt repudiaret nullo modo compelli potuit.] *Quid vulg.* nullo metu. *à noſtra Suetonius cap.* 1. Neque vt repudiaret illam compelli à dictatore Sulla vllo modo potuit.

Cap. 42. Motu ſuo deſtituerit.] *al.* motu, *aut* metu ſuo deſtituere. *Vera lectio Burr.* deſtituere, *infinite.*

Eod. Omnes quos cepit cruci ſuffixit.] *Quod probant omnes præter Feneſtellam, ſi Diomedi Grammatico fides: qui ex 2. Epitomatum Feneſtellæ hæc laudat verba:* quemadmodum Cæſar à piratis captus ſit, vtque eos poſtea ceperit & decollauerit, & interpretatur, ſecuri percuſſerit.

Cap. 43. Cum in Cottæ conſularis locum pæne puer à Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus.] *Quod Cottam flaminem Dialem facis, & ſucceſſorem Cæſarem, bis peccas Velley. teſtes produco omni exceptione maiores. ecce Tacitus lib.* 3. *Annal. aſſeuerat*, duobus & ſeptuaginta annis poſt Cornelij Merulæ cædem neminem ſuffectum. *Suetonius Aug. cap.* 31. Nonnulla ex antiquiſſimis cæremoniis paulatim abolita reſtituit, vt Saluris Augurium, & Diale flaminium. *Dio, extremo lib.* 54. Tum quoque primum poſt Merulam flamen Dialis creatus eſt. *Vides vt vnanime conſpirent in tempus & Dialem. Non aduerſatur locus Suetonij cap.* 1. Sequentibuſque conſulibus flamen Dialis, deſtinatus. (deſtinatus *dicit, non* creatus.)

Eod. Et merito iam infeſtis.] *omnes, quos vidi* tam infeſtis. *neque male.* tam *pro* valde.

Eod. Dolabellæ accuſatio.] *XXI. ætatis anno. Tacitus de Oratoribus.*

Cap. 44. Inter eum, & Cn. Pompeium, & M. Craſſum.] *Quos Cicero* 2. *ad Atticum Epiſtula* 18. *reges indigitat ſuperbos. Vide Appianum Dionem, Ciceronem Epiſtulis ad Atticum, alios.*

Eod. In hoc conſulatu Cæſar legem tulit vt ager Campanus plebei diuideretur.] *Legis* Iuliæ, *ſiue vt Cicero vt Suetonius*, Campanæ *duo mihi cum doctis viris kapita. Vnum; quo cautum, vt ager publicus ad ſubſidia Reip. veſtigalu relictus diuideretur. Cicero ad Atticum lib.* 2. *Epiſtul.* 16. *Alterum, vt ager à priuatis in Campania poſſeſſus, redemtus publica pecunia diſtribueretur plebei. Publicus hac lege XX. ciuibus, quibus terni pluresve liberi extra ſortem diuiſus eſt. Sueton. c.* 20. *Dio lib.* 38. *Appianus. Priuatus numquam, Cicero pro Domo. De vtroque capite idem, Epiſtula* 17. *eiuſdem libri:* Quid iſta repentina adfinitatis coniunctio? quid ager Campanus? quid effuſio pecuniæ ſignificant? *Dio tamen turbat, immenſe ipſum, in principio lib.* 38. Omnem regionem, quæ publica pop. Rom. erat excepto agro Campano, quem Reip. ob præſtantiam exemtum cenſuit relinquendum, diuiſit. *& ſtatim:* Sic tandem ea lex perlata eſt: prætereaque decretum, vt ager Campanus, his qui ternos pluresve liberos haberent diuideretur. *Quid pronunciandum? Dionem legem Agrariam non percepiſſe, an non liquere?*

Eod. Maiore parte anni domi ſe tenuit.] *Per edicta obnuntiando dies feſtos eſſe, hiſque nefas quidquam agere. Sueton. Dio. Ludos hic facit vir doctus in Calpurnij & Bibuli nomine, ſine plauſu.*

Cap. 45. Religioſiſſima P. R. ſacra.] *Bona Dea, Græcis* Gynæcia; *cuius ſollemni ſacrificio ſiue vt Feſtus nominat:* Daunio, *Conſulis, prætoris, aut Pontificis ædes vacabant, meliori procul remoto ſexu.* Locus Sacrarium *Floro. Cicero Paradox.* Opertum Bonæ Deæ *vocat, &* ſacra Opertanea *Plinio, quæ in operto, id eſt occulto, ſiue ſecreto fiunt.*

Eod. A partibus ad plebem tranſiret.] *Traduxit Cæſar eo diem die horaque nona, lege lata de adoptione eius.*

Eod. Verum vt cœpit interrita.] *Male Rhen. Manuiuſque, & cupito interitu. Quod Velleius de biennio iacit, XVI. menſibus concludit Plutarchus, neuter exacte.*

Eod. In ſenatu.] *Iterata verba ex præcedenti clauſula monuit Cuiatius.*

Eod. M. Catonem à rep. relegauit.] *Recte* releganit. non enim, *inquit Cicero pro Sextio*, illi ornandum M. Catonem, ſed relegandum, non illi committendum, illud negotium, ſed imponendum putauerunt. *cauſſam expreſſit pro Domo. Prouinc. Conſul Plutarchus, Dio.*

Eod. Vt is quæſtor cum iure Prætorio.] *Bene* Quæſtor. *Ita* Piſo in citeriorem Hiſpaniam quæſtor pro prætore miſſus eſt. *Salluſtius at extra ordinem. Suetonius, Cæſar.* Cn. Piſoni ob ſuſpicionem coniurationis vrbanæ Hiſpania prouincia à ſenatu extra ordinem data eſt, *retineamus igitur vulgatam.*

Eod. Cuius integritatem laudari, nefas eſt.] *Hoc in Catonem conferri, credibile non eſt, ait doctiſſimus Vir in Notis. imo nihil magè credibile: Si illuſtro, quod facile tibi non Suada perſuadeo. Locus deſumtus è Philoſophorum ſcitis, inter quæ & hoc copioſe ab Ariſtotele primo Ethicorum tractatum:* Præſtantiſſimarum rerum, & optimorum, nullam eſſe laudem. laudem enim comparatione conſtare; illorum autem nullam comparationem. vnde dij honorantur, non laudantur, & Eudoxius primas voluptati detulit. *Catonis ideoque Velleius integritatem adeo cognitam & præſtantem eſſe ait, vt piaculi ſit, eam laudare & conferre. cum præſtantiſſimorum nulla laus ſit, nulla collatio. ita dum non laudauit, maxime laudauit. Diſſimile illud Taciti:* præfulgebant Caſſius atque Brutus, eo ipſo, quod eorum effigies non viſebantur.

Eod. Ac ſenatu effuſa ciuitate obuiam.] *More, tam in vrbe, quàm prouinciis vulgato. Cicero alibi:* Quid habet admirationis tali viro aduenienti candidato conſulari obuiam prodiſſe multos. quod niſi eſſet factum, magis mirandum videretur. quod ſi etiam illud addam, quod à conſuetudine non abhorret.

Cap. 46. Inuictum par conſulum.] *Bonhom.* vietus par. *miror, ſed magis, quod illud ipſum in Tacito* 1. *Annal. mihi repertum verbi:* antiquam *(loquitur de Rufo)* duramque militiam reuocabat inuictus operis ac laboris. *Editio Martini Herbipolenſis anno* MDIX. vietus operis & laboris. *mitto lineam aliis expoliendam.*

Eod. Cetera ſanctiſſimus.] *E Græcia vectum ſermonis genus, vſitatum ab optimo quoque. Tacitus*, cetera equeſtri familia; *&* Iuuenis alia clarus. *Agellius*, pleraque doctus. *Apuleius* pleraque mundus. *Et Florid.* 1. Marſias Phryx cetera, & barbarus.

Eod. Diris cum omnibus Tribun. pleb. fruſtra retineri conati.] *Minutius in Octaui.* Et vt Thraſimenus Romanorum ſanguine & maior eſſet & decolor, ſpreuit auguria Flaminius: & vt Parthos ſigna repetamus, diratum imprecationes Craſſus & meruit & irriſit. *Quales fuerint, & quia mire huc faciunt, & antiqui ritus, ſupra repetam ex Appiani Parthico:* Solus Ateius occurrens, primum voce cohibebat, denuntians ne procederet; deinde adparitorem iuſſit detineret eum iniectis manibus. verum id collegis Tribuni non permittentibus, adparitor Craſſum miſſum fecit: Ateius vero ad portam accurrens, poſuit ibi ardentem foculum: & Craſſo prætereunte ſuffitum faciens, libanſque inſuper, diris eum deuouebat exſecrationibus, noua & horrenda nomina Deorum inuocans. eas exſecrationes ſecretas & priſcas Romani talem vim putant habere, vt nemo ſic deuotus poſſit euadere, immo nec illi, qui deuouet, bene cedere: quamobrem non temere his vtuntur, *Gemina germana. Plutarchus in Craſſo.*

Cap. 47. Sæpe in agminibus.] *Ex definitione agminis intelliges quam adpoſite hic noſter locutus ſit. adi Iſido. lib.* 19. *c.* 3.

Eod. Circa Aleſiam.] *Sic malui cum veteribus libris & doctis viris, quam* Alexiam. *Condita autem ab Hercule, totius Galliæ Metropolis, libera ac ſui iuris vſque ad C. Cæſaris ætatem. Diodorus lib.* 5. *Situm eius Cæſar lib.* 7. *bell. Gall. & Strabo habent deſcriptum.*

Eod. Cum medium iam ex inuidia Pompeij male cohærentis.] *Rhen. & Burr. cum monſtro ſuo lectionis Morbaniam ablegauimus. Lucanus, lib. de Iulia:*

—nam pignora iuncti
Sanguinis, & diro feraleis omine tedas
Abſtulit ad maneis Parcarum Iulia, fœua
Intercepta manu, quod, ſi tibi fata dediſſent
Maiores in luce moras, tu ſola furentem
Inde virum poteras, atq; hinc retinere parentem.
Armataſque manus excuſſo iungere ferro,
Vt generos ſoceris mediæ iunxere Sabinæ.
Morte tua diſcuſſa fides, bellumque mouere
Permiſsũ ducibus: ſtimulos dedit æmula virtus.

Eod. P. Clodius à Milone iugulatus eſt.] *Quod tantum tumultum in vrbe exciuit, vt SC. factum ſit:* Dent operam interrex, Tribuni plebis, Cn. Pompeius procos. ne quid detrimenti Reſp. capiat. *Pædian. in Milon Epitome Liuij* CVII.

Cap. 48. Vniuerſa Italia vota pro ſalute eius primo omnium ciuium ſuſcepit.] *Iuuen. Satyr.* 10.

Prouida Pompeio dederat Campania febres
Optandas; ſed multæ vrbes, & publica vota
Vicerunt. igitur fortuna ipſius, & vrbis
Seruatum victo caput abſtulit.—

Primi Neapolitani auctore Proxagora. Plutarchus. Quod ſane, inquit Dio lib. 41. magnum fuiſſe & ſplendidum munus, nemo hominum negauerit, nimirum vlli vmquam alij, præter eos, qui poſt ea tempora ſummam in omnia poteſtatem obtinuere, decretum. *Lubido paucula quædam obſeruate mihi collecta poſt alios adferre de Votis. Quæuut pro Imperatore, aut pro populo. Panegyricus:* Nuncupare vota pro æternitate imperij, & pro ſalute ciuium, immo & pro ſalute principum, & propter illos pro æternitate imperij ſolebamus. *Illa concepta* III. *Nonas Ianuar. non ipſis Kalendis placitum & eruditè probatum ad Tacitum Lipſio, Annal. lib.* 16. *Cui commodo manum, & aſſero porro verbis Caij IC. in l. ſi caluitur,* CCXXXIII. *de verbor. ſign.* Poſt Kalendas Ianuarias die tertio pro ſalute principis vota ſuſcipiuntur. *immo dies hicce ſollemnis, qua concipiebantur, abſolute κατ' ἐξοχὴν dictus,* Vota. *Vopiſcus, Tacito:* Diuorum templum fieri iuſſit, in quo eſſent ſtatuæ principum bonorum, ita vtiiſdem natalibus ſuis, & Parilibus, & Kalendis Ianuar. & votis, libamina ponerentur. *Hæc quæ pro populo, ipſis Kalẽdis. Tacit. li.* 4. *Annal.* Sed Cæſar ſollemnia incipientis anni Kalend. Ianuarias epiſtula precatus. *& ſtatim:* Quem enim diem vacuum pœna, vbi inter ſacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abſtineri mos eſſet, vincula & laqueus inducantur. *Spartianus in Ælio Vero:* Orationem pulcerrimam paraſſet, qua Kalendis Ianuariis Hadriano patri gratias ageret, accepta petitione, qua ſe exiſtimaret iuuari, Calendis ipſis periit, iuſſuſque ab Hadriano, quia vota interueniebant, non lugeri, *Dumuuit inde à tempore Reipub. liberæ, & conſulum, qui vota pro ſalute populi ipſis Kalendis in Iouis opt. max. templo nuncuparunt oſtenſum à doctis ex Ouidio, frequentatum in Liuio. Immo illis ipſis ſibi mutuo populus hinc inde vota ſignabant, ſtrenas mittebant. Ouidius* 1. *Faſtorum:*

At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis?
Et damus alternas accipimuſque preces.

Et Tibullus de Meſſalla, lib. 4.

Nam modo fulgentem Tyrio ſubtemine veſtem
Indueras, oriente die duce fertilis anni; *ſubdit:*
Quin largita tuis ſunt multa ſilentia votis.

Ad ſtrenas referri non inſcitè poteſt locus Paulli IC. inl. 12. *Dig. de adminiſtr. tut. ait:* Sollemnia munera parentibus cognatiſque mittet. *Mittebant & Imperator. teſtis præter Suetonium, Dio lib.* 57. Fuit & alia cauſſa, cur iis Kalendis extra vrbem eſſet, nempe ne hominibus anni auſpicio, & feſto die occupatis negotium præberet, néve ſtrenas ab iis acciperet, quod Auguſtum feciſſe improbabat. *quod tamen deinde tamquam debitum ſibi poſcebãt principes. apud Iuſtinianum. C. de oblatione votor.* Impp. ARCADIVS & HONORIVS A. A. BASILIO P. V. Quando votis communibus felix annus aperitur, in vna libra auri, & ſolidis obryziacis (*de his Cuiac. ad tit. de vet. num. pot.*) principibus offerendi deuotionem animo libenti ſuſcipimus: ſtatuentes vt deinceps ſequentibus annis vniuſcuiuſque ſedulitas principibus ſuis talia ingerant ſemper, & deferant. *Hæc de ſollemnibus votis. moris præterea in aduerſa valetudine principis ſuſcipere clarum ex Xiphilino, Suetonio, Tacito, alijs. & adſcribere Epiſtulis ad principem*, ſe vota ipſi facere. *Dio lib.* 57. Denique tanta vtebatur clementia, vt cum aliquando Rhodorum magiſtratus data ad eum epiſtula non ſubſcribiſſet, illud conſuetum; Quod vota ipſi facerent, celeriter eos excitos, quaſi male multaturus, cum id quod deerat, adieciſſent, indemnes dimiſerit.

Eod. Quam C. Curio Trib. pleb.] *Hic eſt ille C. Curio Tribunorum, vt Appianus tradit, eloquentiſſimus & apud populum gratioſiſſimus, de quo Cælius Epiſt. ad Ciceron.* Quod tibi ſupra ſcripſi Curionem frigere, iam calet, nam feruentiſſime concipitur. belliſſime. n. quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæſare loqui cœpit. *Huc referendum non abſurde putant locum iſtum de Curione ex Varr. lib.* 4. *de Vita pop. Rom. apud Non.* Obſtringillare.

Eod. Facundus malo publi.] *Sæpe ita.* peſſimum publicum, diuinum publicum, *Liuius*, Egregium publicum: *Tacit.* bonum publicum, malum publicum. *Omneis.*

Eod. Accepto centies H-S.] *Vix mutauerim ponamus viri docti correctionem, tamen nihilominus nimium quantum ad Appiani, (agit de M. D. talentis) exorbitat ſummam. ad phraſim, illud Ciceron. in Salluſt.* Ne cauſſam diceret ſeſtertio duodecim cum Cæſare paciſcitur.

Cap. 49. Priuatus in vrbem veniret, & ſe in petitione conſulatus ſuffragiis pop. R. committeret decreuere.] *Ita correxi ad libros, & hiſtoriam, vere. miror hoc leue à docto viro non animaduerſum*, committere decreuerat, *male.*

Eod. In vrbem.] *Et conſulem ſe creauit, Floro. Dictatorem Eutropio. neuter recte & ordine. Conſule Dionem, Plutarchum, Appianum.*

Cap. 50. Maſſilia.] *Celebre Maſſiliæ nomen, cuius diſciplinam atque grauitatem non ſolum Græcia, ſed haud ſcio an cunctis gentibus anteponendam iure dicam. Cicero pro Flacco, & Tacitus ait*, Locum Græca comitate & prouinciali parcimonia miſtum & bene compoſitum. *Mollitiei tamen nomine differt Athenæus, quia credebantur, γυναικωνῖτιν. Hinc Plauto* Maſſilienſes mores, *molles, &* (cum *Apuleio loquar*) partiarij.

Eod. Arbitria captans.] *Trogi Epitoma exordia hiſtoriæ:* Populus nullis legibus tenebatur, arbitria principum pro legibus erant.

Cap. 51. Balbus Cornelius.] *Omnium ſua ætate ditiſſimus, & qui moriens pop. R. viritim vicenos quinos denarios legauit. Dio lib.* 48. *Plin.* 7. *Eius patruus Pliniolib.* 5. *c.* 5. *& Aſinio Epiſtula ad Plancum apud Cicero nominatus.*

Eod. Neque hercules.] *Abſolute Liuius lib.* 22. Neque

Hercules montibus his ab transitu Pœnorum vllo Veragri incolæ iugi eius norunt nomen inditum. *Apuleius Mules* II. Et vellem Hercules materiam reperire aliquam.

Cap. 52. Quod dignatione partium indies ipsis magis prosperum fieret.] *Hoc pacto plana & promta sententia Gryphij secutus edidi. Voce* dignationis *vsus Cicero lib.*10. *ad Atticum & Tacitus sæpe.*

Eod. Effossumque alter. Rom. imperij l.] *Hoc modo cum Rhen. & V.N. Iano Dauæ ad illud in Præcidaneis;*

Effossos oculos voret atro gutture coruus, *legendum. error ex promiscua* v, *&* o *litterarum vsurpatione. Deinde persistit Velleius in schemate; Dixerat,* collisa inter se duo Reip. capita: *subdit,* & alterum Rom. imperij lumen, *siue oculum* effossum esse. *Maro Æneid.* 3. *de Polyphemo.*

—& ad æquora venit
Luminis effossi fluidam lauit inde cruorem.

Laberius apud Agellium:

Democritus Abderites Physicus Philosophus, clypeũ
Constituit contra exortum Hyperionis
Oculos effodere vt posset splendore æreo.

*Et Orosius lib.*1. *c.*13. Deuorandas crudeliter addicebant, atque informe prodigium (*Minotaurum*) effossis Græciæ luminibus saginabant. *Quid multa circuitione? tam in proclivi veritas, quàm olim cum pluit imber.*

Cap. 53. Quos comites ei fortuna adgregauerat.] *Audaces viro docto, qui verba victores darent, delent, ille mihi, qui recepit. repetita namque ex præcedente versu* victor iam daret. *quod notauit Bur. quem sicut & alios non inspexisse miror, certe istis fuisset, Velleij mactius litasset genio.*

Eod. Viri fefellit quinquennium.] *Errorem hunc errarunt Plutarchus & Appianus, vt docuit Sigonius in Fastis.*

Cap. 54. Nusquam erat Pompeius corpore, adhuc vbique Iubæ nomine.] *Bonhom. Gryph.* adhuc vbique nomine. *forte an* Tò Iubæ, *ex similitudine vocis* vbique *natum, quod fieri amat & placet. Scriptura quoque expressa corrigatur sine, siue non, commode tolerari potest. illo pacto; Vt legas* vbique ibat nomine, *hoc modo; Vt sentiat Velleius: esti nusquam erat Pompeius corpore, tamen adhuc vbique Iubæ caussa fama, celebratione, parte. non turbant sequentia hæc;* Quod ciebat rex Iuba. *Similis forma supra:* cum medium iam ex inuidia Pompeij male cohærentis inter Cn. Pompeium & C. Cæsarem concordiæ pignus.

Eod. Victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriæ eius adstruxit.] *Quia hunc* Cæsar adgressus (*Florus*) vno & non toto prælio obtriuit more fulminis, quod vno eodemque momento venit, percussit, abscessit; nec vana prædicatio de se Cæsaris, ante victum hostem, quàm visum: *ideoque his tribus solummodo verbis,* Veni; vidi, vici *victoriam suis significasse, eorumque in triumpho inter pompæ fercula postea prætulisse titulum (non acta belli ostendens sicut cæteris, sed celeriter confecti nota) tradunt Dio, Plutarchus, Appianus, alij. Seneca tamen pater Suasor. lib.*1. *imitatione Tusci hæc tria protulisse Cæsarem significat.*

Eod. Labienum.] *Cuius forti ac fideli operâ vsus Cæsar in Gallijs. Cicero ad Tironem:* maximam autem plagam accepit (*Cæsar*) quod is qui summam auctoritatem in illius exercitus habebat, T. Labienus socius sceleris esse noluit, reliquit illum & nobiscum est. *& ad Attic. lib.*7. Labienum ἥρωα iudicio. facinus iamdiu nullum ciuile præclarius, qui, vt aliud nihil, hoc tantum perfecit: dedit illi dolorem. *causam transitionis exprimit ipse Cæsar.*

Cap. 56. Omnibus qui contra se arma tulerant ignouit.] *De clementia sua Cæsar ipse gloriatur Epist. ad Ciceron.* Recte auguraris de me (bene enim tibi cognitus sum) nihil à me abesse longius crudelitate. atque ego cum ex ipsa re magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te, triumpho & gaudeo. *De magnificentia Cæsaris in muneribus etiam mentio apud Sallustium* II. *Orat.*

Eod. Quinque egit triumphos Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore. Hispaniensis argento rasili constitit.] *Loquitur de triumphi ferculis, simulacris, imaginibus aliis diuersa confectis materia. Sueton. c.* 37. Egit diuerso quemque genere & adparatu. *ita doctis placitum. Non dissentit Dio, qui ebur ad Hispaniensem refert:* Sed Fabio etiam Pedioque (*ait lib.* 43.) legatis suis, quique nihil propriis auspiciis gesserant, triumphandi copiam fecit: quain re id risum multum excitauit, quod iis imaginibus ferculisque nonnullis non eburneis, sed ligneis vtebantur. *Hincque iocus apud Quinctilianum eadem de re lib.*6. vt Chrysippus, cum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, & post dies paucos Fabij Maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit. *Agit enim de triumpho non Cæsaris, sed eius legatorum. & notum ebur omnibus triumphis tralaticium fuisse. Vir clarissimus hic pro* citro, *legendum monet* cedro, *vt pro* lance *accipiatur, quod aperte pugnat cum verbo Velleij deinde telum quod torquet, eadem ratione retorqueo. confer inter se ex variis editionibus hæc capita Plinij lib.*16. *cap.*43. *lib.*12. *c.*3. *lib.*15. *cap.*7. *& aut vehementer fallor, mecum vulgatam defendes. Citreæ mensæ mentio apud Ciceronem in Verrinis & citri vsus iam inde cum cedro in sacro fumo. Plinius lib.*3. Rasile argentum capio, simulacra, ferculaque ex argenteis laminis politis, leuigatis, non cælatis. *Catullus;*

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.

Eod. Paullo amplius Sexies millies H-S.] *Visa hæc quoq; summa oppido tenuis Clar. Iurisconsulto Fr. Hotomano. reponit* sexagies millies. *At deposuit dumtaxat ad Opis septies millies, & ad Persei bellum, non bellum.*

Cap. 57. Plurima præsagia.] *Manilius* 4.

Ille etiam cælo genitus cæloque receptus
Cum bene compositis, victor ciuilibus armis
Iura togæ regeret, toties prædicta cauere
Vulnera non potuit, toto spectante senatu
Indicium dextra retinens, nomenque cruore
Deleuit proprio, possent vt vincere fata.

Eod. Cuiuscumque fortunam mutare.] *Repetit inferius:* Quippe ita se res habet, vt plerumque qui fortunam mutaturus est consilia corrumpat, efficiatque quod miserrimum est, vt quod accidit etiam merito accidisse videatur, & casus in culpam transeat. *plura ad hanc mentem Lipsius in arduo illo opere Constantiæ.*

Cap. 58. Liberos suos obsides.] *Cicero Philipp.* 1. Pax denique per eum (*Antonium*) & liberos eius cum præstantissimis ciuibus confirmata est. *Intelligitur Iunus Antonij filius. nam idem subiungit:* Reipubl. tuus paruulus filius in Capitolium à te missus pacis obses fuit. *& idem Philipp.* 11. Pacem haberemus, quæ erat facta, per obsidem puerum nobilem, Bombalionis filium. *At Liuius & Dio Antonij & Lepidi volunt.*

Cap. 59. Cæsaris deinde testamentum apertum est, quo C. Octauium nepotem, sororis suæ Iuliæ adoptabat.] *Adoptio secundum IC. duobus modis fit; aut principali rescripto, aut imperio magistratus. hic notabis tertium, per Testamentum. Suetonius Tiber.* Testamento adoptatus hereditate adita mox nomine abstinuit. *Eutropius,* Vindicaturus patris sui mortem, à quo per testamentum fuerat adoptatus. *plura reperies apud IC. in Observationum*

libris. De variis modis, per arma, barbam, comam siue capillum sacras preces adoptandi posterioribus principibus placitis, doctissimus Pithœus Aduersar. 1. *ait,* Nepotem sororis suæ Iuliæ, *vere. Suetonius, Dio, Appianus, Plutarchus, Bruto & Antonio; si sequeris Sigonij ac Xylandri correctionem quamuis vulgata eodem argumento defendi possit, quo noster & Suetonius Cæsarem auunculum magnum Octauij, auunculum nominare non erubescunt.*

Eod. Adpellatusque in ea imperator.] *Rhen.* in eam imperator. *antique. Sallustius Catilin.* quod L. Sulla exercitum, quem in Asiam (*ita in veteribus legi & monuerunt quidam, & ipse deprehendi*) ductauerat. *Fragmenta legis Agrariæ:* QVEI. AGER. POBLICVS. POPVLEI. ROMANEI. IN. TERRAM. ITALIAM. P. MVCIO. L. CALPVRNIO. COS.

Et Thoriæ:

QVEI. EORVM. IN. AMICITIAM. POPVLI. ROMANI. BELLO. POINICO. PROXIMO. MANSERVNT.

Eod. Apolloniam eum in studia.] *Rei militaris & litterarum, Appian. Sita in Macedonia ad Mare Ionium, optimis olim institutis & disciplinis. & Strabo.*

Eod. De cæde auunculi.] *Monui, frequenter cognationum gradus confundere scriptores. Vt, Consobrinum cum Sobrino, hic, auunculum cum auunculo magno. ita que Sueton. cap.* 8. Profectum mox auunculum in Hispanias aduersus Cn. Pompeij liberos &c; Nihil conuenientius ducens quam necem auunculi vindicare. *Epitoma Liuij:* vt sibi aduersum auunculi percussores adesset.

Eod. Saluidienus.] *Plautum cum Rhen. Gryph. & Sueton. August. Liuij Epitom. præ illo Manutij,* Saluidenus. *Credo istum esse cui gregem pascenti flamma è capite emicuit, & quem consulatu honestauit Augustus, Suetonius, cap.* 66. *Dio lib.* 48.

Eod. Et, cum intraret vrbem, solis orbis, super caput eius, curuatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens.] *Elegans locus de capite radiato siue radio, qui proprie Deorum. Pacatus:* Si olim seueri credidere maiores, Castores geminos albentibus equis, & stellatis apicibus insignes, puluerem cruoremque Thessalicis equis abluentes. *Suetonius August. c.*94. Sequenti nocte statim videre visus est, filium mortali specie, (*hic nota seorsim ire in præsagio à Velleio*) ampliorem, cum fulmine & sceptro exuuiisque Iouis opt. max. ac radiata corona super laureatum currum bissenis equis candore eximio trahentibus. *Lucanus,*

Fulminibus manes, radiisque ornabit & astris.

Et post modum principum, à Iulio Cæsare, cui populus inter alios etiam hunc honorem tribuit. Florus: Circa templa imagines in theatro distincta radiis corona: suggestus in curia, fastigium in domo. Augustus vero serio se templis & effigie numinum per flamines & sacerdotes coli voluit. *Tacito teste. effigie præcipue Iouis. Lipsius ibi. caussam colliges ex adducto Suetonij loco. Exinde mos transmissus ad posteros. Plinius in Paneg.* Horum vnum si præstitisset alius, illi iam dudum radiatum caput, & media inter Deos sedes auro staret, aut ebore. *Paneg yr. Maximiano dictus:* Trabeæ vestę triumphales, & fasces consulares, & sellæ curules, & hæc obsequiorum stipatio, & fulgor, & illa lux diuinum verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt ornamenta meritorum pulcerrima & augustissima. *Lucanus in Alexandro, Erasmo interprete:*

Romam vrbem repetes, & claras Tibridis vndas.
Vertice certa gerens radiis distincta serenis.

Ad formam refero illud magni Vatis:

Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt.

Silius Ital. lib. 3.

Hospitia excipiunt cæli, solioque Quirinus
Conceder, mediumq, parens fraterque locabunt.
Sidereis iuxta radiabant tempora nati.

Cap. 60. Adiri nomen inuidiosæ fortunæ.] *Adit nomen, qui testamento adoptatus nomen suscipit, quod ferre iussus est. Lucem à Cuiacio pete Obseruat.*7.

Eod. H-S septies millies.] *Cicero Philip.* 11. Vbi est septies millies, quod est in tabulis, quæ sunt ad Opis? tu autem quadringenties H-S quod Idibus Martiis debuisti, quo nam modo ante Kal. Aprileis debere desiisti? *Idem:* Illa vero dissipatio pecuniæ publicæ ferèda nullo modo est, per quam septies millies falsis perscriptionibus, donationibusque auertit. *Philip.*7. *vocat* pecuniam maximam. *Philip.*11. innumerabilem: *Philip.*8. *ad Att. lib.*14. *cum Appiano* 11. *ait Dolabellam collegam pecunia adiunxisse. Frustra igitur adlaborat vir sui æui doctissimus li.*4. *Animaduersorum c.*10. *Tò* septies, *inducendo. At Plutarchus ita suadet, at Cicero dissuadet. Vtri credendum?*

Cap. 61. Veteranus exciuit paternos.] *Hinc* euocati *dicti, quod missi militia rursus ad eam conuocarentur. Dio, plura sed latim scribo.*

Eod. Legio Martia, & quarta.] *Quarum mentio apud Ciceron. Epistul. libro ad Plancum. De Legionum nominibus non exscribo Dionem. litteratissimum Stewechium ad Vegetium, Goltzium, alios quibus hæc cura curata.*

Eod. Proprætorem vna cum consulibus.] Demus imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest, sit proprætore eo iure quo qui optimo. *Tullius Philip.*5. *Manutius hic* proprætorem.

Eod. Cum consulibus designatis.] *A Cæsare, recte & ordine capies.*

Eod. Annum agente vicesimum.] *Parum attente, malim,* vndeuicesimum, *argumentum à consulatu.*

Cap. 62. A volentibus acceperant.] *Forma sermonis non protrita & conculcata, noster infra,* Vatinioque circa Dyrrachium volentes legiones extorserat. *Liuius lib.*21. Grande periculum Lilybæo maritimisque ciuitatibus esse, & quibusdam volentibus nouas res fore. *Sallustius Iugurth.* vti militibus exæquatus cum imperatore labos volentibus esset. *Tacitus in historiis,* In verba adigi volentibus fuit.

Eod. Pansæ atque Hirtij corpora publica sepultura honorata.] *Valerius li.*1. *c.*11. M. Cornuto prętore funus Hirtij & Pansæ iussu senatus locante, qui tunc libitinam exercebant, cum rerum suarum vsum, tum ministerium suum gratuitum politici sunt, quia hi pro Rep. dimicantes occiderant; perseuerantique postulatione extuderunt, vt exsequiarum paratus sestertio numo ipsis addiceretur. *Locum exscripsi ex optimo codice, olim à me collato. cuius bonitatis in eodem eximium specimen hoc esto. Lib.*7. *c.*3. *Vulgatur,* Sordida Magorum dominatione oppressa, Darius Rex adiutoribus eiusdem dignitatis assumtis, pactum cum præclari operis consortibus fecit. *Ita vulgare visum eruditissimo Pighio; Lipsio displicitum. Musæ quam frustra ambo noster:* Sordida magorum dominatione Perside oppressa, Darius adiutoribus eiusdem dignitatis assumtis, cum eos occidisset, pactum cum præclari operis consortibus: *& quæ sequuntur. Ex amussim conuenienter. At ne patricias obiiciant artes, inspiciant licet, editionem Herbipolensem Martini an.* MDVII. *quæ fere accedit. Redeo ad coss. quos Augusti insidiis præter Sueton. alij obisse innuunt. hinc Tacit.* 1. Sue hostes illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, seu milites Hirtium, & machinator doli Cæsar abstulerat.

Cap. 63. Peruersa castrorum.] *Sermo transmarinus. Liuius,* per intima Italiæ vagatus. *Florus lib. 2.* Hæc inter diuersa terrarum pop. Rom. *& lib. 1.* Ad subita belli, *noster infra*, per auia itinerum: *Virgil.* opaca locorum. *Casinum Parmensis:* — & chordis indoctæ dissona vocis. *plurimum Tacitus & Horatius.*

Eod. Gladio seipse transfixit.] *Ob quod Senatus laudationem, statuam publicumque funus decreuit. Dio Cic. Epist. ad Planc.*

Eod. Plancus deinde dubia, id est, sua fide.] *Est ille, qui discipulus Ciceronis, orator disertus, cuius Epistulæ lib. 10. Tullij contra quem Asinius Pollio orationes cum scriberet, ac nollet eas, nisi post obitum suum edi, respondisse Plinius in Prologo scribit*, cum mortuis non nisi laruas luctari. *præfectus Vrbi C. Cæsare Dictatore III. Numi apud Goltzium Consul designatus cum D. Bruto. Arbiter sponsionis Cleopatram inter & Antonium. Auctor Octauio cognominis Augusti. Eius filius credo fuit, qui Tacito lib. 1. cum C. Silio consul.*

Eod. Senatuique se litteris venditans.] *Exstant litteræ eius hac de re in Epistulis Ciceronis ad Plancum VIII.*

Cap. 64. Nomine Capeni.] *Inepte Vir doctus cum Beato præoptauit*, Cameli.

Cap. 65. Iacta mentio.] *Sallust. Iugurth.* Inter alia iacit. *Tacitus historiis:* Iacere fortuitos sermones, *&:* Si qua discordes iecissent. *Manutius*, facta *Burr. coniecturam secutus.*

Eod. Consulatumque iniit Cæsar, pridie quam viginti annos impleret.] *Contra leges annarias seu annales distincte Dio. De ætate Augusti cum consulatum iniret, fere consentit Sueton. scribens,* XX. *ætatis anno innasisse, quod de anno Vicesimo primum capto capiendum paret hinc. natus Cos. Cicerone 9. Kalend. Octob. Interfectis Hirtio & Pansa suffectus Consul 10. Kalen. Octobr. 1. quæsi ad calculum reuocaueris, numerabis 20. annos Vno die minus. ideoque exacte noster. Dio tamen destruit; qui Vita excessisse Augustum 14. Kalend. Septemb. qua die quondam primum consulatum iniret, statuit. Videoque sequi Lipsium ad 1. Taciti.*

Eod. Vidit hic annus Ventidium.] *Huic illustrando Valerius lib. 6. cap. 9. quem consulas. historia apud Dionem lib. 43. Agellium lib. 15. cap. 4. Plutarc. Antonio, Appianum Bel. Ciuil. & Parthico. Plin. lib. 7.*

Cap. 66. Cæsar aliquem proscribere coactus est.] *Notat Manut. Velleium seruire tempori. pro Velleio Dio lib. 47.*

Eod. Dum hoc forte vel prouidentia.] *Vide sis pietatem auctoris nostri.*

Cap. 67. In proscriptos fidem.] *Copiose Appianus.*

Cap. 68. M. Cælius.] Cæcilium Rufum *Liuius lib. 3. corrupte. Cæsar lib. 3. Bel. Ciuil.* Iisdem temporibus Rome M. Cælius Rufus prætor, caussa debitorum susceptа initio magistratus tribunal suum, iuxta C. Trebonij prætoris vrbani sellam collocauit.

Eod. Cum ne in modica quidē seruari possit.] *Gryph. & alij*, cum ne à diis quidem seruari posset. *Bene ad sententiam, non ad verba. persuasum mihi ab audaci correctoris manu esse, qui ad illud Plauti Terentiique*, Ipsa si salus, Iupiter, Iuno, Ops, seruare cupiat, non possit, *respexerit.*

Eod. Marullum Epidium Flauiumque Cæsetium.] *Caussa expressa in Suetonij capite septuagesimonono. Appiani lib. 11.*

Cap. 69. Imperatoribusque prætalidis.] *Quibusdam abest illud* que. *Bonhom.* imperatoribusque validis. *quam rectum puto, peccatum adfinitate* quæ. *&* præ. *Ita in Plauti Aulular. Prologo*, Vbi *vulgatur*, inopemque optauit potius eum relinquere, *editio Meralæ:* Inopem præoptauit potius.

Eo. Laodicea expugnarat; ita tamen.] *Vett.* Laodicea expugnata ea vrbe fecerat ita tamen *Censet Rhen.* Laodicea expugnata interfecerat; ita tamen.

Eod. In quo deformitas corporis.] *Cicero in eum*, cuius testimonium propter turpitudinem vitæ, sordes domesticas nullius momenti putaretur, *Et in Bruto ait, eum* ex summis & fortunæ, & vitæ sordibus consulem factum.

Eod. Agrippæ subscripsit.] *Moris recepti subscribere qua in crimen, qua in pœnam, de illa multi ex Verrinis & Pædiano, de hac quæ principum proprie, Suetonius Nerone.* Cum de supplicio cuiusdam capite damnati, vt ex more subscriberet, admoneretur, quam vellem, inquit, nescire litteras.

Cap. 70. Cum dimississet euocatum.] *Titinium Centurionem Valerius lib. 9. ca. 9. nominat, Vterque bene. Dio lib. 55.* Sicut & euocatorum summam dicere non possum, vti illis Augustus cœpit, tum primum, cum veteranos patris contra Antonium conuocauit, seruauitque deinde, & sunt vna athuc legio, peculiares suas habens vites, (*sic malo cum Cuiacio pro Deos vertere*, vites, *quam Xylandro parum considerato ad ritum*, fasces) quemadmodum centuriones. *Proinde Velleius* euocatum, *quia ex illorum numero Valerius centurionem, quia vite honoratus. Vitis enim insigne Centurionum. Plinius*, Centurionum in manu vitis, atque etiam in delictis, pœnam ipsam honorat. *Et Iuuenali Vitis pro Centurionatu*,

— aut vitem posce libello.

Cap. 71. Hortensium.] *Fallor an eius filij mentio apud Suetonium:* Plerosque modestia & pudore terruit, in quibus Ortalum, Q. Hortensij oratoris nepotem, *& Tacitum II. Annal.* quo magis mirum fuit, quod preces M. Ortali nobilis iuuenis, in paupertate manifesta, superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensij. *Si verum, oppido iuuenem tempore obitus paterni fuisse oportet.*

Eod. Ominatus est.] *Liuius de Æmilio Paullo:* Ac prope certa spe ominatos esse homines; finem esse Macedonico bello.

Eod. Marcus Liuius Iuliæ Augustæ pater.] *Vir doctus* Liuiæ, *reponendum putat, non consisco. Tacitus lib. 1. Annal.* Liuia in familiam Iuliam, nomenque Augustæ adsumebatur. *Et lib. 5.* Iulia Augusta mortem obiit, ætate extrema. *Dio lib. 56.* Et sacerdotem Liuiam, quæ tunc Iuliæ etiam Augustæque cognomen acceperat. *At ita infra. Quitum? Liuiam Vocat, sed non Augustam. Hoc obseruate ex numis, lapidibus, historicisque Verum, cognomen* Augustæ *perpetuo* Iuliæ, Liuiæ, *numquam assignari.*

Eod. Cum se insignibus honorum velasset.] *More priscorum mortalium hoc tali casu. Liuius lib. 5. agens de capta Vrbe à Gallis, prodit:* adeo haud secus, quam venerabundi intuebantur in ædium vestibulis sedentes viros, præter ornatum, habitumque humano augustiorem, maiestate etiam, quam vultus grauitasque oris præ se ferebat. *De Cleopatra Dio, & Florus lib. 4. cap. 11.* In Mausoleum se recepit, vbi maximo, quam solebat, induta cultu, in differto odoribus solio, iuxta suum se collocauit Antonium. *De Olympia Alexandri matre Iustin. lib. 14. Adi Plutarchum. Deinde in violenta morte, suprema illis cura honeste cadere. De Lucretia Ouid. Fastor. II.*

Tunc quoq; iam moriens ne non procūbat honeste
Respicit, hæc etiam cura cadentis erat.

Lege Sueton. Cæsar. Agellius lib. 15. Plutarch. de claris mulieribus passim.

Eod. Nullum statum habentibus.] *Loquitur cum Iurisconsultis. quos Vide de cap. diminut.*

Cap. 75. Tiberius Claudius Nero.] *De quo præter Suetonium cap. 3. Dionem, adi Tacitum 5. Annal. & eius interpretem clarissimum.*

Eod. Quam transgressi ad Deos sacerdotem ac filiam.) *Ita olim editum à Rhen. Bohon Gryph. Volente Lipsio ad 13. Annal Tacit. Dio lib. 56.* Tum vero immortalitatem ei tribuerunt, flamineque & sacerdotem Liuiam constituerunt, lictoresque vti eam in sacrificiis permiserunt. *Ouidius 4. de Ponto.*

Nec pietas ignota mea est, videt hospita tellus
In nostra sacrum Cæsaris esse domo.
Stant pariter natusque pius, coniuxque sacerdos.
Numina iam facto non leuiora deo.

Coniux sacerdos *Liuia, Vt monuit flos litteratorum illibatus. Turbat hic doctissimus Vir, & quod aiunt, in simpulo excitat fluctus.*

Cap. 76. Cum comes esse non posset.] *Vulgat.* cum eum sequi non posset. *Rhenan. corrupte*, cum esse non posset.

Eod. Venetia.] *Sic Liuio lib. II. & Floro lib. III. cap. III. quoque nominata.*

Eod. Paratusque.] *Vtuntur, pro*, apparatu, *Tacitus lib. II.* ne domum, seruitia, & ceteros fortunę paratus reposceret. *Ouidius lib. 3. de Ponto:*

Est opus exiguum, vestrisque paratibus impar. *Manutius maluit cum Rhenan. præparatusque: non belle puto.*

Eod. Rufi Saluidieni.] *Fuit accusatus in Senatu ab ipso Cæsare, populi Cæsarisque hostis iudicatus, iugulatus est, supplicationes eius rei ergo decretæ, Triumvirisque custodia Vrbis mandata: Dio lib. 48. Suet. cap. 66. Et quod Velleius subiungit ex equestri ordine consulem creatum, hoc vult credo, Consulem designatum nondum Senatorem siue Senatorij ordinis.*

Cap. 77. Achaiamque.] *Achaia completi totam Græciam non obscure hic ex Dione colliges, & prouinciæ Achaiæ inesse Græciam docuit è Pausaniæ libro 7. Lipsius.*

Cap. 78. Quippe primipili centurionem.] *In legione tria genera peditum:* hastati, principes, *& qui omnes antistabant*, triarij *In singulis deni centuriones, ab ordine in hastatis & principibus nominati, nimirū primus hastatus primus princeps, secundus hastatus secūdus princeps, tertius, & vsq. ad decimum.* In triariis *dispar, non enim primus triarius, sed primipilus, primipili centurio primus centurio adpellabatur. hic primus in legione post tribunum, qui parebat legato, Vt legatus Imperatori. Hæc strinxi è Vegetio & huberrimo Manutii nostri de hoc tractatu.*

Eod. Ob turpem ex acie fugam fuste percussit.] *Ritu prisco, milites vel fustibus vel vitibus castigare, vitibus plerunque Romanos, fustibus extraneos. Liuij Epitoma lib. 57.* Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset vitibus, si extraneus virgis cæcidit, *Honestior autem pœna vitis quàm fustis. Plinius li. 14. capite 13.* Centurionum in manu vitis, & opimo præmio tardos ordine ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat. *Hinc lex à Gracchis lata, qua fustium pœna eximebant Latinos. Plutarchus in Gracchis. Putidum sit adsuere de militaribus pœnis iam pertractatis plane, pleneque Burr. Ms.* fusti percussit. *Bonhom.* fustem percussit. *fortean* fustim percussit, *eleganti genere, si quid mutandum.*

Cap. 79. M. Agrippa.] Ignobilem loco, bonum militia & victoriæ socium, *Tacitus I. adi Horat. Oda 6. Senecam patrem Controuers. II. Dion Appian.*

Eod. A Titio iugulatus est.] *Phrygiæ in opido Iaio, Vt Dio, an, Mileti. Vt Florus, & Appianus.*

Cap. 80. Quippe cum inermis & lacernatus.] *Adi Dionem cui alia mens sedet.*

Eod. Quam tueri non poterat.] *Manut.* intueri. *Suetonius narrat Lepidum supplicem concessa Vita Circeis in perpetuum relegasse.*

Cap. 81. Plerumque contemplatus frequentiam suam à disciplina defecisse.] *Simile dictum Tacito lib. 1. Annal.* Illi quoties oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis strepere.

Eod. Insigne coronæ classicæ.] *Tangit princeps Poeta:*

Tempora nauali fulget rostrata corona.
Rostrata *Plinio quoque dicta. Vide Agellium.*

Eod. Qua æstate Cæsar tam prospere Lepidum in Sicilia bene fortuna in Cæsare, & Rep. militauit ad Orientem.] *Locus, libris adfectus, & cui nec ego facile medendo. Vulgari nil conferunt, præter Bonhom. qui exprimit;* qua æstate, Cæsar tam prospere in Lepidum. *Si nihil desit tentauerim:* Qua æstate Cæsar tam prospere in Lepidum in Sicilia, pæne fortuna in Cæsarem & Rempublicam (*aut*, in Cæsare & Rep. *antique*) militauit ad Orientem, *sententia clara.* Eadem æstate contra Rempublicam & Cæsarem. (*solens nostro adulationis genus Reip iungere Cæsarem tanquam caput*) fortuna steit ad Orientem. *Leui mutatione To* bene, in pæne, *doctus* b. *& p. cōfundi. in Liuii Viris maximis loco conclamato: Vbi de Atinio Vulgo:* vt proditis pelli VII. vitali iudicio esset, *etiam forteam*, proditis velle. *Sed quis scit an intenebris hic & illic micauerim, Sunt, quibus placitum:* Qua æstate Cæsar tam prospere L. in Sicilia deuicit, bene (*immo male*) fortuna. *Ego nihil adfirmo.*

Cap. 82. Hoc M. Antonio atque illis legionibus.] *Ita legendum, non* octo, *arguunt præcedentia, & Florus, apud quem*, XVI. legiones, *statim male Vir doctus, To* tertia, *omisit.*

Eod. Catenis, sed ne quid honori deesset, aureis vinxit.) *Curtius de Dario:* Agmen eorum tertio affecuti die, ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt, noua ludibria subinde excogitante fortuna. *Moris antiquitus pro dignitate captiuum nunc aureis, nunc argenteis, nunc ferreis vincire catenis. De aureis Clem. in Pædagogo lib. II.* Istæ vero veram pulchritudinem obscurant auro eam adumbrantes, nec intelligunt quantum in se delictum admittunt, se innumerabilibus vinculis alligantes, quemadmodum dicunt apud Barbaros sceleſtos & maleficos homines auro vinciri. Captiuos hos victosque diuites videntur esse æmulatæ mulieres. *Ausonius de Cræso.*

— Cræsum in amicis habet.
Vinctumque pedicis aureis, secum iubet
Reliquum quod esset vitæ, totum degerer.

Propertius lib. II.

Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in sacra currere rostra via.

Et Silius lib. 17.

Ante Syphax feretro resides captiua premebat
Lumina, & auratæ sonabant colla catenæ.

Hinc in Panegyr. Maximiano dicto: Xerxes Persarum Rex potentissimus, pedicas iecit aureas in profundum Neptunum se dictitans alligare. *De argenteis Dio lib. 49.* postquam custodes gazæ non obtemperarunt, & qui in armis erant Artaxam maximum natu inter filios, regem eius loco constituerunt, argenteis Artabazum catenis vinxit, quia nimirum turpe erat, regem ferreis in catenis haberi. *Ammianus de Arsace, à Saporo capto:* Eumque effossis oculis catenis argenteis, quod apud eos vanum suppliciorum existimatur esse solatium, exterminauit ad custellum Agabanum nomine. *De ferreis res protrita, & quædam non è vulgo dicam ad Ammianum mature.*

Eod. Bellum patriæ inferre constituit.) *Ouid. lib. 15 Metamorph.*

Romanique ducis coniux Ægyptia tedæ.
Non bene fiſa cadet, fruſtràque erit illa minata.
Seruitura ſuo Capitolia noſtra Canopo.

De amore Antonij in Cleopatram Horat. lib. Epodon.

Eod. Liberum patrem appellari iuſſiſſet.) Sed etiam Athenis Athenæus è quarto Socratis Rhodij. Seneca Suaſoriari 1. Diſſenſionem Senecæ & Dionis in dote notarunt Iunius 5. Animad. 1. & Lipſius. eandem inſaniam inſanierunt Antigonus & Caligula. Athenæus 4. Herodian. alij.

Eod. Cum redimitus heredis , coronaque velatus aurea.) Eodem habitu Meſſallina apud Tacitum lib. 11. Simulacrum auctumni celebrans: ipſe crine fluxo thyrſum quatiens, iuxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, plura in Commentario Lypſius, addi velim de crinibus fluxis, & hoc Catulli in nuptiis Pelei:

Sæpe vagus liber Parnaſſi è vertice ſummo.
Thyadas effuſis euantes crinibus egit:

Et Macrob. lib. 1. Saturnal.

Cap. 83. Cæruleatus & nudus. caputque redimitus arundine.) Dî enim Marini antiquitus cæruleo habitu. Apuleius Miles 4. de comitatu Veneris: Aſſunt, ait, Nerei filiæ chorum canentes, & Portumnus cærulis barbis hiſpidus. & lib. 10 Ipſe autem color Deæ diuiſus in ſpeciē, corpus candidum, quod cælo demeat: amictus cærulus, quod mari remeat. & capite tecto arundine, Virgil. 8.

— cum glauco tenuis velabat amictu
Carbaſus, & crines vmbroſa tegebat arundo.

Immo & Neptuno glauci oculi, teſte Minutio in Octau. De Glauco poſce Seruium ad illud Poetæ:

Et ſenior Glauci chorus Inousque Palæmon.

Eod. Vir prætorius grauiſſimus, P. Silij ſocer.) Vir doctus & Rhen. vir prætorius, grauiſſimus pater, Silij ſocer. Eſt ille Silius, qui poſtea Conſul, cuius præter Dionem & Appianum Suetonius meminit. Burr. vir è prætorius. forte vir è prætoriis.

Cap. 84. Debellatum apud Actium.] Luculenter deſcribit doctiſſimus Poeta 8. libro ſui operis.

Eod. Nauium hinc magnitudo modica.] Alij, nauiū hinc magnitudo modica, ſed celerior, ex aduerſa illa ſpecie terr. Burr. aduerſa illa ſpecies terribilior. De Antonij nauibus Dio lib. 50. ait, eas ædificaſſe Antonium multo hoſtilibus maiores. paucos triremes, reliquas omnes à quaternis vſque ad denos ordines remorum capaces. Vide Florum lib. 4.

Eod. Inde illius exemplo vir audax Dolabella.] Sarta lectio, ſarta mens. Cum Beato vir doctus: nam de illis exēplis vitæ natura Dolabella, nullo ſenſu. Matthæus Clock accutiſſimi ingenii iuuenis ex Rhenani, non male, emendat, inde illius exemplo mature Dolabella ad Cæſarem.

Cap. 85. M. Lario.] Percipio aliorum relatu humaniſſimum, & de antiquitate ſumme meritum virum Fulu. Vrſinum, libro mihi inuiſo de familijs Romanis legere, Lurio.

Cap. 86. Facturus fuerit ...... ad ſolium alarunt.] Tuam fidem Apollo non ego diuinus. Recte Rhenanus plura deeſſe arbitratur.

Cap. 87. Spiritum reddidit.] Anno ætatis 39. viſe Horatii Odam 37. 1. Carmin.

Cap. 88. C. Mæcenas equeſtri & ſplendido.] Quid, equeſtri, ſed ſplendido. à taciturnitate commendatus Horat. lib. 2. Sermon. 6.

Et quæ rimoſa bene deponuntur in aure.

Adi Suetonij cap. 66.

Eod. Anguſti claui contentus.] Gryph. auguſto clauo Equeſtri ordine. nam clauo equites & ſenatores diſcreti. Lāpridius in Seuero: Tum ſatis eſſe conſtituit, vt equites Rom. à ſenatoribus clauo diſcernerentur. quid fuerit, erudite ediſſerit Cuiac. lib. 12. Obſeruat. cap. 39.

Eod. Nec minora conſequi potuit, ſed non tam concupiuit.] Proba ſcriptura. tam pro valde, vt ſupra Plaut. Ferocem facis, quia te herus tam amat. Et Plinius notante Ampliſſimo Briſſonio: Oratores quidem ambo, ſed tam diſpari ingenio. Cuidam placet Rhen. nec maiora conſequi non potuit.

Cap. 89. Viceſimo anno bella ciuilia.] Nam à Lentulo & Marcello coss. quibus ciuilia arma primum ſumta, vſque ad Cæſarem V. & Sex. Apuleium coss. quibus poſita ſunt, tot anni numerātur Quæ deinceps Auguſtus geſſerit. habes quoque apud Virgilium 8. & Ouidium 15. Metam.

Eod. Octo prætoribus allecti duo.] Ad Lipſii traditionem 1. Annal. contra Pomponii Iuriſconſuli mentem, iam dixi.

Eod. Nam dictaturam, quam pertinaciter deferebat populus, tam conſtanter repulit.] Sueton. Dictaturam magna in offerente populo, genitu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus eſt. Eutropius at lib. 1. ſub dictaturæ nomine & honore regnaſſe docet.

Cap. 91. Signa Romana Auguſto remiſſa ſunt.] Recepta à Tiberio Sueton. Auguſt. 21. Tiber. 9.

Eod. Quod cognomen.] Illi Placi ſententia ſenatus indidit. ex ante diem 15. Kal. Februar. Cenſorinus cap. 21. Contra Ouidius Idibus Ianuariis: Faſt.

Idibus in magni cuſtos Iouis æde ſacerdos
Semimaris flammis viſcera libat ouis.
Redditaque eſt omnis populo prouincia noſtro:
Et tuus Auguſto nomine dictus auus.

De vocis ſignificatione idem Suetonius, Dio, Eutropius.

Cap. 93. Deceſſit, admodum iuuenis.) An in Stabiano? viſum nunquā ſatis laudato Scaligero ad Propertium: non Lipſio, cui, Baiis: quem alij ad Tacitum.

Cap. 94. Regnum eius Artauaſdi tradidit.) De Artauaſde legere non memini, de Tigrane monet Dio: Suetonius Tiberio 9. Deinde ducto ad Orientem exercitu, regnū & Armeniæ Tigrani reſtituit, ac pro tribunali diadema impoſuit. Tacitus 2. Annal. Datus à Cæſare Armeniis Tigranes, deductuſque in regnum à Tiberio Nerone. nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis eius, quamquam ſociatis more externo in matrimonium, regnumque dein iuſſu Auguſti impoſitus Artauaſdes, & non ſine clade noſtra deiectus, Paret diſſenſio, non cōciliatio, niſi ſi forte dixeris cum Velleio, & iſtum à Tiberio deductum. nam erroris Velleium qui eius æui, arguere haut auſim temere.

Cap. 95. Plurimo cum earum ſanguine perdomuerunt.] Florus lib. 4. Strabo in fine 4. Horat. libro 4. Carm. od. 4. & 14.

— milite nam tuo
Druſus Genaunos, implacidum genus,
Brennoſque veloceis, & arceis
Alpibus impoſitas tremendis,
Deiecit acer, plus vice ſimplici.
Maior Neronum mox graue prœlium
Commiſit: immaneiſque Rhetos
Auſpiciis pepulit ſecundis.

Ad quod vir doctus, hic Velleium adulari opinatur Tiberium quia conſtet ex Suetonij Auguſto tantum coërcuiſſe. non rectè. deceptus fuit mendoſa Suetonij ſcripturâ: nam ita in eo, vt in plerisque vulg. legendum: Domuit Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni: item Rhætiam & Vindelicos ac Salaſſos inalpinos: coërcuit & Daconum incurſiones, tribus eorum ducibus cæſis. & vero apertè adſtruit Strabo dicto loco.

Cap. 96. præpoſitis Caij & Lucij nominibus, adoptauerat) Emtos à patre Agrippa per æs & libram. Suet. Aug. cap. 6. Tacit. 1. Annal.

Cap. 97. Accepta in Germania clades.] Maioris infamiæ quàm detrimenti. Suetonius hiſtoriam Dio 54. & Euſebius.

Eod. Druſo Claudio.] Periit lapſu equi, fracto crure intra triceſimum diem, Liuius. Conditum corpus in tumulum Cæſaris Auguſti, Dio. Laudes eius apud Horat. l. 4. Carmin. & Albinouanum elegia ad Liuiam matrem.

Cap. 99. Conſortione.] Vſi hanc vocem Cicero libro tertio Offic. Diſſoluatur neceſſe eſt omnis humana conſortio. Lucillius libro 19. apud Nonium: Conſortium.

Eod. Diſſimulata cauſſa conſilij.] Verampete Suetoniū & Dionem. non illa quam monſtrat mancipium iſtud Tiberianum. intimam cauſſam Tacitus fuiſſe ſcribit Iuliam.

Eod. Viſendi eius gratia ad eum conuenientes ſemper priuato) ſi illa maieſtas priuata vmquam fuit (faſces ſuos.] Hoc pacto nulla, certe leui licentia reſcribo: cum antea, viſendi eius gratia, ad quem conuenientes ſemper priuatos illa maieſtas p. v. fuit. Hinc Rhenan. vt omnes qui procoſſ. & legatis i. t. p. p. v. e. g. atque conueniendi (ſemper priuatus ille maieſtas pr. nunquam fuit) faſces ſuos. Doctiſſ. vero Lipſius, viſendi eius gratia atque conueniendi, ſemper priuato(ſi illa maieſtas priuata vmquam fuit) faſces. Verum ſententia nimium pendet.

Cap. 100. Quippe filia eius Iulia.] Seneca l. 6. cap. 32. de Benefic. D. Auguſtus filiam intra pudicitiæ maledictum impudicam relegauit, & flagitia principalis domus in publicum emiſit admiſſos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comeſſationibus vrbem, forum ipſū ac roſtra, quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in ſtupra placuiſſe. Quotidianum ad Marſyam cōcurſum, cum ex adultera in quæſtuariam verſa, ius omnis luxuriȩ ſub ignoto adultero appeteret. De quo & illud, Quod nunquam niſi plena naui vectorem tollat. Macrob. lib. 2. cap. 5.

Eod. Tum Iulius Antonius.] Malim, Iulus Antonius, Horatius lib. 4. Carm. Od. 2.

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari,
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis.

Tacitus. 1. Annal. Lollianos, Varianoſque, clades, interfectos Romæ Varrones, Egnatios, Iulos. Diuerſus tamen Dio libro 55. qui & Iulium vocat. & non ſibi ipſi necem conſciuiſſe, verum morte multatum cum alijs tradit.

Eod. Sempronius Gracchus.) Tacitus libro primo Annal. Par cauſſa ſæuitiæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, ſolers ingenio, & praue facundus, eādem Iuliam in matrimonio M. Agrippæ temerauit. nec is libidini finis. traditam Tiberio, peruicax adulter contumacia, & odiis in maritum accenderat. litteræque quas Iulia patri Auguſto, cum inſectatione Tiberii ſcripſit, à Graccho compoſitæ credebantur. Igitur amotus Cerinnam, Attici maris inſulam, quatuordecim annis exilium tolerauit. Tunc milites ad cædem miſſi, inuenere in prominenti littoris nihil lætum operientem, quorum aduentu breue tempus petiuit, vt ſuprema mandata vxori Aliariæ per litteras daret, ceruicemque percuſſoribus obtulit.

Cap. 101. Ad ſedandum obitis.] Ita loqui amat abſolute: pro ad ſedandos motus. ſupra: in conuiuio refrigeratus ab Antonio. alii: adſidendum, aut adſidendo. Bonhom. ad ſedendum, etiam non recte. quamuis ſciam ſedere vſurpatum. pro, iudicare.

Eod. Viſis prouinciis.] Sana ſcriptura. male vir doctus vſus prouincijs.

Cap. 102. Cæſari fama vulgauit.] Rhen. Cæſaris iam a uulgauit. inde rectiſſime Lipſius: Cæſari fama vulgauit. A liis probatum: Cæſaris ira euulgauit.

Eod. Mox in colloquium circa Artageram grauiter à quodam, nomine Adduo, vulneratus.] Narrat Florus lib. 4. Armenios victo rege Tigrane, in hoc vnum ſeruitutis genus Pompeius aſſuefecerat, vt rectores à nobis acciperent. Intermiſſum ergo ius, per hunc (Caiū) recuperatum non incruento, nec multo tamen certamine: quippe Domnes (noſtro, Adduo) quem rex Artaxatis (noſter cum Zonara, Artagera, præfecerat, ſimulata proditione adortus virum intentum libello, quem vt theſaurorum rationes continentem ipſe porrexerat, ſtricto ferro cruentat vulnere in tempus. Et quod noſter hic initio ſpeciatim Tacitus lib. 12. Annal. generatim narrat: Et quia experimentis cognitum eſt, Barbaros malle Roma petere reges, quàm habere. tranſiens moneo rectius hic in Tacito. Herbipolenſis liber: malle Romam petere reges. vt Plinius lib. 3. Qui Tarraconenſem accolunt iura Cordubam petunt: & Liuius: Sagmina te poſco. Et in eodem poſt tres verſus, vbi ablectiſſima editio, quod vnum reliquum, idem liber, quod vnum erat. eleganter ad illud Græcorum: Omnia ſunt. nec ſecus coniunctim hunc locum laudari video ab iis, qui nobis patrum memoria Grammatica tradiderunt.

Eod. Deinde reluctatus.] Burr. Din reluctatus: aut, De reditu luctatus.

Eod. In vrbe Lyciæ, Limyram vocant, obijt.] Sueton. Caium & Lucium in duodeuiginti menſium ſpatio amiſit ambo. Caio in Lycia Maſſiliæ defunctis. Senecæ tamen patri in Syria mortuus, cui accedit Rufus: Caius, inquit (male vulgo Claudius) vulneratus reuerſus in Syriam obiit. Et Florus lib. 4. in M. ss. & veteribus libris: Maſſiliæ quippe Lucius morbo ſoluitur, in Syria Caius ex vulnere. igitur aut errant, aut corrigendi.

Eod. Cum ante annum ferme.] Suetonius ſibi ipſi contrarius in Auguſto, cap. 65. in duodeuiginti menſium ſpatio: in Tiberio cap. 15. intra triennium defunctos firmat. Forte emendandum biennium, aut tranſpoſite, Caio & Lucio defunctis, intra triennium (recte intra, nempe tertii anni initium, non exacte, & toto cælo errat vir doctiſſimus qui Lucium DCCLII. an. periſſe non dubitat ſcribere) adoptatur ab Auguſto. volentibus memorijs.

Cap. 103. Ælio Cato & Sentio Coss.] Ita edidi cum Leopardo Miſcellaneorum lib. 8. cap. 8.

Cap. 104. Fructus ſum] Lucretius lib. 3.

Sin ea quæ fructus cumque es, periere profuſa.

Cicero in Hortenſ. Et amœnitate ſumma perfructus eſt. Adi inuidiam ablectiſſima & laborioſa illa Conlectanea humaniſſimi, Iuris antiquitatiſque conſultiſſimi viri Hub. Giphanii noſtri.

Eod. Et ſalutationis noua quædam exſultatio.] Dicā cum Deo, de hoc ritu plenis tibiis ad Ammianum.

Cap. 105. Caput Iuliæ fluminis.] Malo cum doctiſſimo homine in Epiſtulicis, Lupiæ fluminis. facit Dio lib. 54.

Cap. 106. Senonum.] Lego, Semnonum, qui inter Sueuos. Tacitus 2. Annal. Igitur non modo Cheruſci. ſociique eorum, vetus Arminii miles, ſumſere bellum ſed è regno etiam Marobodui Sueuæ gentes. Semnones & Longobardi defecere. Et in Germania: Vetuſtiſſimos ſe, nobiliſſimoſque Sueuorum Semnones memorant. Et cum Ptolemæo Strabo libro 17. καὶ τῶν Σουήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας.

Cap. 108. Maroboduus.] Cuius apud Tacitum Tiberij eulogium in hæc verba: Non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuiſſe. Exſtat oratio, qua magnitudinem viri, violentiam ſubiectorum ei gentium, & quam propinquus Italiæ hoſpes, ſuaque in deſtruendo ea conſilia extulit. Conſule Strabon. lib. 7.

Cap. 109. Legiones Boiohæmum.] Strabo libro ſeptimo.

bienum, *ſiue* Boyhaimum, *regiam Marobodui facit.* In hoc tractu, *inquit*, ſita eſt Hercynia ſilua, & Sueuorũ natio, ex quibus nonnulli intra, aliqui extra ſiluam habitant, ſicut & Colduorum (Caluconum *forte*) plerique in quibus & Bubiemum Marobodui regia. *malim igitur in Velleio* Boyhaimum: *quod patriam ſiue domum Boiorum interpretatur Rhenanus recte.*

Cap. 110. Ex conſtituto.] *De compacto, Plautus.*

Eod. Parentis acerrimis ac peritiſſimis ducibus.] *Rhenan.* multitudinis pars acerrimis & p. ducibus properare in Italiam decreuerat i. s. N. ac T. c. pars in Macedoniam effugerat.

Eod. Batonibus.] *Placet Delbenij emendatio ex Steph. & Bohom. ſublecta libris: vulgaris tamen ferri poterit. Nam duorum Batonum (dux alter Brencorum, Delmatarum alter) apud Dionem mentio.*

Eod. In omnibus autem Pannoniis non diſciplinæ tantummodo, ſed linguæ quoque notitia Romanæ.] *Aduerte ſtante Repub. exteris ſua lingua vſum concedere apud Romanos ſingularis beneficij & fauoris. Liuius lib.* 40. *de Cumanis*: Cumanis, *inquit*, petentibus, permiſſum, vt publice Latine loquerentur, & præconibus Latine vendendi ius eſſet. *Hic tibi in parte Clariſsimus Lipſius De Pronunciatu, cap.* 3.

Cap. 111. Etiam deſignatus tribun. pleb.] *Vir doctus & diligens*, tribunus militum. *Ego nihil temere mutauerim: præcedentia propter & ſequentia. tum quod tribunatu & præfectura equitum functus diſceſſerat ad ciuilia, hoc eſt, Tribunatum & Quæſturam, in qua legatus miſſus ad Tiberium: cum alias poſt quæſturam ante præturam moris colliges ex hoc Taciti* 2. *Annal.* Cenſuit in quinquennium magiſtratuum comitia habenda: vtque legionum legati, qui ante præturam ea militia fungebantur, iam tum prætores deſtinarentur.

Cap. 112. Monte Claudio.] Alman *vocat Dio lib.* 56.

Eod. Rhæmetalces, Thraciæ rex.] *Ita legendum & Tacito* 2. *Annal. & Dione lib.* 55. *adparet, in quis* Rhomotalces, *&* Rymetalces *exprimitur. Burr. & vir doctus*: Mætalces, *imperite.*

Eod. Sed Romana virtus militi.] *Alii*, militis, *ideoque doctiſsimus Manutius vt fractum, notauit locum.*

Eod. Interemto præfecto caſtrorum.] Ad quem (*ait Vegetius lib.* 2. *cap.* 10.) caſtrorum poſitio, valli & foſſæ deſtinatio pertinebat Tabernacula vel caſæ militum cum impedimentis omnibus nutu ipſius curabantur. Præterea egri contubernales, & medici à quibus curabantur, vehicula, ſagittarii, nõ nec ferramenta, quibus materia ſecatur vel cæditur: item ligna vel ſtamina, arietes, onagri. balliſtæ, ceteraque genera tormentorum procurabant aliquando ne deeſſent. *Iſtud munus in libera Repub. non lectum. cui omnia, Lipſio. Tribunis poſtponit Sueton. Veſpaſ.* Polla patrem habuit Veſpaſium Pollionem ter tribunum militum, præfectum que caſtrorum. *Mentio infra Velleio plurium in exercitu*: At è præfectis caſtrorum duobus quàm clarum exemplum L. Eggius, tam turpe Ceionius prodidit. *quo recte cum doctiſsimo viro colligas licet, cuique legioni ſuum præfectum tributum fuiſſe.*

Eod. Mira prauitate animi.) *Æquior Tacitus*: Vt nepotem, *ait*, Agrippam Poſtumum in inſulam Planaſiam proiiceret, rudem ſane (*vet. q.* inſane bonarum artium, & robore corporis ſtolide ferocem, nullius tamen flagitij compertum. *Itaque Velleius Comico Paraſito ſua genera adſtruit.*

Cap. 113. Et partem digredientium ſuorum metu vniuerſi.] *Satis commoda ſententia. Vir doctus cum Rhen.* partem digredientium ſuorum quiſque metu finium vniuerſi t. n. poſſent. *Hiſtoriæ cauſſa omnino legendus Dio libro* 56. *quem puto veriora.*

Cap. 114. Cenauit ſedens.] *An vt circa rem militarem videri voluit vir antiquis moribus, ſimiliter hic. priſci enim ad cenam ſedebant. Iſidorus lib.* 20. Sedes dictæ ſunt, quod apud veteres Romanos non erat vſus accumbẽdi. vnde & conſedere dicebantur. Poſtea vt Varro ait de vita pop. Rom. viri diſcumbere cœperunt, mulieres ſedere. *an imitari Heroes, qui ſedebant, auctore Athenæo, lib.* 1. Καθέζοντο ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες οὐ κατακέκλιντο· τοῦτο δὲ καὶ παρ' Ἀλεξάνδρῳ τῷ βασιλεῖ ἐνίοτε ἦν, ὥς φησι Δίυλλος.

Cap. 115. Quæ ſi propriis geſſiſſet auſpiciis triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus.] *Recte*, non propriis auſpiciis. *Auſpicia enim primitus tanquam Imperatori ſibi reſeruabat Auguſtus. Hinc Suetonius in relatione deuictarum Auguſto imperante, nationum, ait.* Domuit partim ductu, partim auſpiciis ſuis. *Ideoque & triumphus negatus, qui ne libera Repub. alienis auſpiciis victori decretus, cõceſſa honoris ergo dũtaxat ornamenta triumphalia poſtmodũ. Dio libro quinquageſimo quarto*: Ob hæc ſupplicatio Agrippæ nomine fuit; neque tamen is triumphum, etſi decretum ſibi, egit. ſicut neque initio quidquam de his rebus geſtis ad Senatum perſcripſit. Cuius exemplum pro lege quadam acceptum poſteriores imitati ne ipſi quidem ſenatum per litteras de re geſta certiorem fecerunt, vt neque triumphum duxerunt: ideoque, vt ego cenſeo, nulli etiam alij, qui eius ſimilis eſſet, triumphus deinde conceſſus eſt, ſed ſolis triumphalibus honoribus ſunt ornati. *Primum auctorem huius moris hic laudat Agrippam, diſcedentem Suetonio capite* 9. *qui Tiberium*: Curiu, ait, ingreſſus eſt primus, vt quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, nouo, nec antea cuiquam tributo genere honoris. *Inſignia fuerant, corona, patera aurea. ſella curulis, ſcipio eburneus, tunica palmata, toga picta, laurea. quibus doctiſsimus & de antiquis litteris vnice promeritus Onuphrius, adpellationem imperatoris adijcit falſo. Refutatur à Tacito libro tertio qui Auguſtum id honoris quibuſdam, non omnibus, & Tibereum Blæſo poſtremum contuliſſe prodit. & à noſtro, infra De Blæſo.* Qui poſt paucos annos procos. in Africa ornamenta triumphalia cum (*vides diſcernere, adpellationem Imper. ab ornamentis tamquam auguſtius quid*) appellatione Imperatoria meruit.

Cap. 116. Q. Iulius Poſtumus.] *Puto illum eſſe, quem Seianus poſt Druſi mortem ad tollendos Germanici liberos dilegerat ſocium. Tacit. lib.* 4. *Annal.*

Cap. 117. Ne occupato duce . . . . . . & cauſſa perſona.] *Locus defictus, & cui facilius mentem, quam verba des. parum confert Delbenius. Et quid ſibi illud*: ſaltem, (*fortaſſe* ſalutem) *niſi tu* tantum modo?

Cap. 118. Natumque mendacio genus.] *Deteſtare peſſimi adfectus mancipium.*

Eod. Tum iuuenis genere nobilis Arminius.] *Verum Germaniæ decus, Tacitus lib.* 2. *Annal.* Arminius abſcedentibus Romanis, & pulſo Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium aduerſam habuit, petituſque armis cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit. liberator haud dubie Germaniæ, & qui non primordia populi Romani, ſicut alij reges ducesve, ſed florẽtiſſimum imperium laceſſierit: prœliis ambiguus, bello non victus: ſeptem & triginta annos vitæ (*ergo patrauit hoc anno ætatis vigeſimoſexto*) duodecim potentiæ expleuit: caniturque adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui ſua tantum mirantur: Romanis haut perinde celebris, dum vetera extollimus recentium incurioſi.

Cap. 119. Nunc ſumma deflenda eſt.] *De clade a. d.* 4. *Non. Quinctileis vide Sueton. Tacit.* 1. *&* 2. *Germania,*

Dionem, Strabonem lib. 7. *Florum lib.* 4. *Oroſ. lib.* 6. *Eſt & eximius locus apud Senecam Epiſt.* 46. Variana clade, quã multos ſplendidiſſime natos, Senatorium per militiam auſpicantes gradum, fortuna depreſſit? alium ex iis paſtorem, alium canis, alium caſæ cuſtodem fecit. *Scio hic libros omneis (excipio nuperam editionem nondum viſam mihi) vulgatos vulgare*, Mariana clade. *Verum noſtram ſcripturam prodit manuſcriptus codex, qui publice in Bibliotheca Bibraci, oppidi Imperialis liberi adſeruatur: cuius copiam mihi iam nuper fecit lectiſsimus & has litteras doctus iuuenis, Matthæus Klock Bibracanus.*

Eod. At Valla Numonius.] *Omneis præter Rhenanum, edunt* Volumnium: *quod purum putum commentum Burrerij Rhen.* Val. Numonius, *& in ora libri.* Val. Numonius. *igitur legendum*, Vala Numonius, *præpoſtere vt notaui. In numis.*

C NVMONIVS VALA, *ſiue* VAALA.

Cap. 120. Arminio territo.] *Rhen.* arma interfecti, quæ arguiſſe. *ex quo Lipſius*, arma infert, quæ arcuiſſe. *Non ſolum, inquit, Tiberium repulit, & arcuit arma Germanorum, ſed vltro etiam intulit.*

Eod. Vna circumdati Aliſione.] *Forte quod Ptolomæo* Ἀλεισον. *Rhenano hodiernum Alkheim, prope Vangiones. In eo lapſus, quod eiuſdem Tacitum meminiſſe putauit. nam clarum ex Dionis lib.* 54. *non locum, ſed fluuium hoc nomine Tacitum inſinuare.*

Cap. 121. Quam erat ipſi.] *Non hæc à gloſſatoris manu imperita, ſi verba*, poſtulante patre eius, *cum Beato incluſeris parentheſi, imo tum neceſſaria. Burr.* Senatus pop. q. R. p. p. e, vt equum e. i. i. o. p. p. eſſet, quas erat ipſe decreto complexus. Eſſet etenim abſurdum. *Oſcitanter ad ſuperiora.*

Cap. 122. Cuius capiti inſigne regium ſua manu impoſuerat.] *Intellego*, Tigrani, (*ſupra docui*) *regium inſigne, hoc eſt, diadema impoſitum. quod reabſe faſcia tenuis circumdans caput. Valerius lib.* 6. *cap.* 2. Cui candida faſcia crus alligatum (*vet.* colligatum. habenti, Fauonius, non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema. *Hinc Suetonius cap.* 79. *Iuliæ Cæſaris* ſtatuæ coronam lauream candida faſcia præligatam *ſuſpicionem propter adfectati regii nominis impoſuiſſe quemdam narrat. Ad ingenium hinc verum capies Lampridij hunc Diadumeno locum*: Solent pueri pileo inſigniri naturali, quod obſtetrices rapiunt, & aduocatis credulis vendunt: ſiquidem cauſidici hoc iuuari dicuntur. at iſte puer pileum non habuit, ſed diadema tenue, & ita forte, vt rumpi non potuerit, venis intercedentibus ſpecie nerui ſagittarii. *An vero & Reginæ diademæ non temere pronunciauerim, Saltim etenim eximium imperantis, aperte colligas è Trebellio Pollione* Zenobia: Quæ ſe, *inquit*, de Cleopatrarum Ptolomæorumque gente iactaret, poſt Odenatum maritum imperiali ſagulo perfuſo per humeros habitu, donis adornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum Herenniani & Timolai diutius, quã fœmineus ſexus patiebatur, imperauit.

Cap. 123. Animam cæleſtem cœlo reddidit.) *Non ſine ſuſpicione veneni à Liuia dati. Dio lib* 55. *Sueton. cap.* 98. *Tacit.* 1. *Annal. Eutropius Atellæ oppido Cãpaniæ obiiſſe tradit.*

Cap. 124. Candidatis Cæſaris.] *In duplici diſcrimine candidati Cæſaris. Alij*, candidati magiſtratuum, *quos princeps populo commendabat: Sueton. Aug.* Quoties magiſtratuum comitiis intereſſet, tribus cum candidatis ſuis circumibat, prenſabatque more ſolemni. *Et de his noſter hic. Alij*, candidati Quæſtores, *qui libris principalibus vacabant, & quas voces regiæ linguæ Caſsiodorus vocat: dicti & Quæſtores principis, ſiue Cæſaris. Tacitus.* Oratio eius per quæſtorem eius audita eſt. *Sueton. Neron. cap.* 15. *Tito c.* 6. *Ideo opinor ſic nominati, quod ad exemplum veterum quæſtorum, quibus actorum publicorum & Senatuſconſultorum cura commiſſa, creati. Dignitatem ſiue munus vir doctus facit perpetuum, nõ ego. Lampridius in Alexandro.* Quæſtores candidatos ex ſua pecunia iuſſit munera populo dare, ſed vt poſt quæſturas præturã acciperent, & inde prouincias regerent. *Statuit hoc, metus, l. vnica, D. de offic. Quæſtor. Vbi Vlpianus*: Sane non omnes quæſtores prouincias ſortiri, verum exceptos fuiſſe candidatos principis, *non dubitat ſcribere. at Vlpianus Alexandri æuo ad hunc ictum eludendum ſatis ab elegantiſsimo IC. to Eguinarth. Barone ad hanc rem dictum.*

Cap. 125. Quippe exercitus qui in Germania.] *Multis dicit Tacitus* 1. *Annal. & Dio* 57.

Eod. Vt pleraque ignaue Germanicus.] *Immo omnia gnaue. nihil mutandum. nouimus te, nouimus mancipium Tiberianum. tu rectum Germanici ingenium apud Suetonium, Dionem, & eximie Tacitum tacitus mirare.*

Eod. Ornamenta triumphalia, cum appellatione Imperatoria.] *Dixi, eſt ille, quem Tiberius poſtremum hoc nomine inſigniuit, teſtis omnium inſtar. Lipſius.*

Cap. 126. Compreſſa threatralis ſeditio.] *Etiam hoc inter eulogia. Hercle vero ſerio. nam theatro ſuæ factiones, ſui duces. Hinc ſæpe tumultus cædeſque, de quibus Lipſius in Corneliano Commentario, & Epiſtul. lib.* 1. *cap.* 1. *Ducem factionis depingit Tacitus lib.* 1. Erant in caſtris Percennius quidã dux olim theatralium operarum, deinde gregarius miles, procax lingua, & miſcere cœtus hiſtrionali doctus ſtudio.

Cap. 129. Raſcupolim.] Reſcuporim *Tacitus.* Ρασκύποριν *Dio lib.* 54.

Eod. Simplicique virtute merentis ſemper, quàm captantis gloriam.] *Intelligitur* magis, *frequenti locutione Tacito. Valerio lib.* 1. *c.* 1. Factũ Maſſaniſſæ animo quàm, Punico ſanguine conueniens. *Comicus*: Tacita mulier quàm bona. *Hæc occurrerunt. ſexcenta licet obſeruare apud IC. tos noſtros.*

Cap. 130. Sine trepidatione dilectus.] *Dilectus enim ſuapte natura grauis, ait Tacit.*

Eod. Dolore, indignari coactus eſt.] *Burr. codex*, dolere, indignari, erubeſcere coactus eſt. *non male dixit*, veniendum ad erubeſcendum.

Cap. 131. Iupiter Capitoline & auctor & ſtator Romani nominis.] *Seneca de Benefic. lib.* 4. *cap.* 7. Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum & naturaturarum compellare. Et Iouem opt. max. rite dices, & Tonantem & Statorem, qui non, vt hiſtorici tradiderunt, ex eo quod poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtitit, ſed quod ſtant beneficio eius omnia, ſtator ſtabilitorque eſt. *Igitur nihil tentandum & docti viri hic ſcirpum in ſcirpo quærunt. Locum Senecæ expreſsi cum Lipſio: quem vt vnice miror, ita ſumme veneror diligoque plurimum: tollo manum, & acquieſco.*

Vſus ſum, beneuole Lector editionibus

Rhen. *Rhenani, excuſa Baſileæ, Anno* XX.
Burr. *Alberti Burrerii variis lectionibus. quas ille ex manuſcripto Velleio ad Rhenani anquiſite nimis collato, confecerat.*
Bonhom. *Antonij Bonhommæi, Auenion.* XXXII.
Gryph. *Sebaſt. Gryphij Lugdun. Anno.* LII.
Steph. *Henr. Stephani, Anno* LXVIII.

VALENTINI ACIDALII IN P. VELLEII PATERCVLI LIBRVM PRIMVM LECTIONES.

CAP. 1. Publij Velleij.] Iam inde à principio Lector, aliena me vestigia sequi vides. Id ego neque diffiteor, neque facere, hanc viam ingressus, aliter possum. Quæ enim aliorum mihi diligens industria reliquit, ea sublegere hic saltem licet: præter hæc, tentare nihil etiam libet Segetes nullius incidam, nullius inuadam horrea: solum in communi agello vbi messem ante nos alij fecere diuitẽ, paupertinũ ingrediar facere spicilegium. Atque hic quidem, in nomine astruendo auctoris, ampliter à doctissimis viris iam olim, & vero nupere quoque præstitum, qui, vti nos secuti sumus, P. Velleiũ, ex Taciti auctoritate. aliisque rationibus præiuerunt: quibus à me noua quæ adijciam argumenta, nulla reperio. Sed horum vestigijs nos quidem audaciori pede & firmiori institimus, quam ipsi ea primi impresserunt. Publij prænomen, altero Caij abiecto prorsus, omnibus præfixi paginis, quos ij præscripserant primæ tantum in libri frontispicio. Nec in eo temeritatis reprehensionem ab eruditis metuo eruditissimorum & certam auctoritatem. & minime dubium, etsi verecundius, liberiuscule secutus exemplum.

Eod. Tres ibi vrbes statuit.] Leuissimum est primum quod noto: Virgilium sic locutum, Vrbem quam statuo, vestra est. Iterum eundem: Vrbem præclaram statui. Et alia sæpius. E quo nolim omen tibi captes: futura eadem, quæ deinceps omnia. Vt quidque legenti ordine incidit, ita huc conijciam siue graue illud, siue leuius: moneri non indignum tamen.

Eod. Nam quod pactæ eius.] Non mouenda lectio est quã frustra solliciti sunt qui sollicitant. De Speratis, Dictis, Pactis Sponsis, nihil addo, res iam trita: & cui non iampridem hic clamatus Hylas?

Cap. 2. De industria rixam ciens, imprudenter interemptus est.] Sic verba de industria traieci, neque puto imprudẽter. recte sane ad auctoris mentẽ, historiæ fidem, & sermonis æquabilem structuram. Nam quæ illa confragosa & tortuosa, in omnibus ante hac, oratio? Immistusque castris hostiũ de industria, imprudenter, rixam ciens, interemptus est. Quod ad historiam: præter alios paullo aliter narrat Iustinus, fortean & fidelius, lib. 2.

Cap. 3. Quo nomine mirari conuenit eos.] Hic mihi non optime conuenire videtur illud, conuenit. malo subuenit: facillima mutatione. Quis enim in his literis mediocriter versatus, c in s, o in u, n in u, u denique in b, & contra vicissatim conuerti nescit? Hic, inquit auctor, in mentem mihi venit mirari scriptorum imprudentiam. Ita, si exemplum vis Apuleius lib. 3. Metam. Sed mihi sero quidem, serio tamen subuenit, ad auxilium ciuile decurrere. Cui loco magnam venustatem recentissima editio detraxit, pro serio sedulo nobis obiiciens: minime se dolo id quidem, hercle vero serio.

Cap. 4. Columbæ antecedentis, volatu.] Quid? peccemne, si anteducentis legam? non mihi videar, cui elegans hoc visum: tibi nouum, scio erit: sed spero, etiam probum. Diuersus tamen abit à me iudicio, qui animo & voluntate nunquam, literatissimus amicissimusq. noster Bucretius: qui coniectauit item, sed forte (nec enim aut negem, aut affirmem) felicius: ante se dantis. Atque ita, cum recogito, meminisse videor Ennium, pariter in auspicio siue augurio, loqui de auibus.

præpetibus sese pulcrisque locis dant.

Eod. Magna vis Græcæ iuuentutis.] Exosculor ingenium & industriã elegantissimi Scegkii, Græciæ reponentis è Rhenano: quod mecum amplexabitur qui Gellium, siue rectius Agellium scripserim, auctorem tristissimum & iam scholasticum legerit saltem. Præter notata Sch. exempla, itaque quoque Gallias Prouincias ipse Cicero mihi dixisse videtur. 1. Philip. Antonium repudiatis malis suasoribus. remissis Galliis prouincijs ad auctoritatem Senatus esse redíturum. Pariter Apuleius Græciam sapientiam. De Deo Socr. Tacent nempe muta duo illa sapientiæ Græciæ summa cacumina. Ithacensis & Pylius.

Cap. 6. Et disciplinæ conuenientissimæ vir.] Absit eruditorum vt conatum reprehendam: sed quam non εὔστοχοι heic fuerint nostra patefaciet lectio, quam duplicem dabo, alterutram certe veram, nisi ego non ipso scopo, sed cælo toto aberro. Aut distinctionem solam muto, aut voculam etiam eiicio, temere iteratã. Quid enim in eo, vt nunc interpungitur, elegantiæ, bis τὸ vir repeti? Itaque posterius abijcies, & leges: Vir generis regij fuit seuerissimarum iustissimarumque legum auctor, & disciplinæ conuenientissimæ: cuius quamdiu Sparta diligens fuit, excelsissime floruit. Sensum pulcerrimum ita nemo non videt: quem quid ego explicem? Tantum, diligens disciplinæ, sic moneo dictum, vt in Gellio. Plauti non indiligens: & Apuleio, sedulus Naturalium quæstionum, in quo vir magnus hoc temere mutat, prorsus præter solitum stultiuidus, Apolog. 1. Verum si retinere tibi lubido, quod non male abiectum, ecce etiam ita bonam facies sentẽtiam si punctis bene verba interstinguas: legum auctor, & disciplinæ conuenientissimæ, vir: cuius quandiu Sparta, &c. Vim quandam & affectum peculiarem sic exprimimus. Vtram ergo nunc vis? de me, si quæris: neutrã reiiciam, priorem tamen priorem habeo.

Cap. 7. Inter hoc tempus.) Quæ hæc verba præcesserant alia pluscula, consulto consilio è contextu remoui: quæ Velleii non esse, non clarissimi Delbenij tantum auctoritas, sed mea quoque mihi opinio, qui ea nihil huc facere, & nexum Velleianæ orationis interrumpere viderem, persuasit. Audaciæ, quamquam ea hac in re nulla est, si quis tamen accusare me parabit, veniam deprecor: simul inde sublata, si in editione nostra desiderabit, hic extra ordinem & numerum legitimæ historiæ repono. Æmilius Sura de annis populi Romani. Assyrii principes omnium gentium, rerum potiti sunt, deinde Medi, postea Perseæ, deinde Macedones. exinde duobus regibus Philippo & Antiocho, qui à Macedonib. oriundi erant, haud multo post Carthaginẽ subactam, deuictis, summa imperij ad populum Romanum peruenit.

Eod. Pace diligentiæ Catonis dixerim.] Nihil huc pertinet, quod afferam: sed locus hic ipse in alterius me Gelliani memoriam inducit, quem vitiosum etiam, magno emendato-

rum

rum probro, non tempero mihi, quin alieniore loco, & quamuis præter rem, non præter rationem tamen, hic corrigendum suscipiam, lib. 15. cap. 3. legitur: Præterea vix acerrimæ in studio literarum licentiæ M. Tullius non sola esse hæc duo verba diuisset, si reperiri posset vlum tertium. Quæ sanitatem quidem specie mentiuntur, penitus introspecta non consistunt: & falsa libri quoque variantes arguunt. Ego in voce licentiæ capitalem arbitror syllabam fugisse, qua reprehensa scripserim diligentiæ. Nam c quoque in g abijsse nõ mirum: nisi si literarum quis non videt affinitatem. Vir autem pro vix libri vetustiores omnes habent: cui hærere nequaquam potest vox licentiæ idque cum animaduersum ab aliis in alterum istud conuersum. Omnium ad rem, qua de agitur, aptus dixerit Gellius, virum fuisse M. Tullium acerrimæ diligentiæ, quam vix acerrimæ licentiæ. Nam quid tandem ita acriter, etsi non acerrime, licere sibi in studiis Cicero voluit, aut putauit? quæ ve licentia, negare id esse, quod reperiri non posit, aut id quod non sit, affirmare? hoc ne licentiæ potius nomine, quã quouis alio criminabimur? Sed vix est, vt ego non sim dignus crimine, qui in reclaradiutius tricor, diligẽtiæ vir acerrimæ Tullius quod latere eũ nequaquã potuerit, si aliter sit in re, nõ maximi quidem illa momenti, atque ab ipso pronunciatum. Ergo sic tãdem rescribe: præterea vir acerrimæ in studio literarum diligentiæ, M. Tull. non sola esse hæc duo verba dixisset, si reperiri posset vllũ tertiũ. Ciceronis autẽ locus est, quo respicitur, in Orat. ad Brut. Quid si ẽt absfugit, turpe visũ est: & absfer noluerũt, aufer maluerunt; quę præpositio præter hæc duo verba, nullo alio in verbo reperitur.

Cap. 8. Olympiorum initium habuit, auctore Iphito Elio.] Manutianum hoc, quod expressi. Editio recentissima secuta vetustiores, habuit auctorem Iphitum Elium. Inde verum elicui, sicque totum locum censeo emendandum: Clarissimum deinde omnium ludicrum certamen, & ad exercitandam corporis animique virtutem efficacissimum, Olympicum, (siue, vt infra eandem vocem alij legere præoptant, Græca forma, Olympieum) initium habuit & auctorem Iphitum Elium. Porro exercitandam malui, quàm quod alijs arrisit excitandam. Præter cæteras rationes, ita infra: Semper aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit.

Eod. Latini aui sui: (libenter enim ijs qui ita, &c.] Sublata parentheseos nota, filum orationis exibit rotundius. quæ caussa est, vt interpungere & continuare omnia sic malim: Id gessit Romulus, adiutus legionibus Latini aui sui. Libenter enim ijs, qui ita prodiderunt, accesserim: cum aliter firmare vrbem nouam, tam vicinis Veientibus, aliisque Etruscis ac Sabinis, cum imbelli & pastorali manu vix potuerit: quamquam iam Asylo facto inter duos lucos, auxit. Quibus in postremis frustra est vir doctissimus, optimeque de hoc nostro meritus, cum vice τοῦ, quamquam, reponere quam nititur. Etenim, auxit, quod illi miror imponere potuisse, vt apud alios frequenter, hic a gendi terminatu, significatum habet patiendi: ac de manu illa pastorali amat intelligi, non de Romulo. In hanc rem exempla si congeram, stultus sim: rectius illud, commodius quidem certe, quam paullo ante, facturus videor, Gellij si quemdam, & eius porro occasione, aliorum locum vnum atque alterum emendem Lib. 18. cap. 12. Id quoque habitum est in oratione facienda elegantiæ genus, vt pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent: ac deinde hac vice inter se mutua verterent. Terent. in comœdia:

Palium, inquit, face vt splendeat.

Nonne hoc impendio venustius gratiusque est, quàm si diceret, ne maculetur? Hic primum, fragmenti illius auctorem quem dicat, nescio. Quis enim Terentius iste? an Varro, an noster ille Afer? aut quis alius horum cognominis? Nusquam reperio, etsi diu diuque vestigatum. Deinde, splendeat verbum relinquo Grammaticis disceptandum agendi ne significatum habeat. Hic vero dici mihi velim, pro passiuo, vt vocant, quomodo sit collocatum. Nam quæ hæc interpretatio splendere, vt sit non maculari? Quod hoc exempli genus? Agendi figuræ verbum, pro patientis, vsurpari Gellius docet: eius rei hoc exemplum: Pallium face vt splendeat, hoc est, ne maculetur. An non dormiuit? quid? an non eum nocturni lemures infestæque laruæ agitarunt, cum in Noctibus illud suis inscripsit, si inscripsit tamen? quod mihi nemo, ne ipsa Suada persuaserit: aut Gellium prius Gellium non esse ostendat necesse est. Verum homini suspicioso, heic quidam, mihi quid videatur, aperiam. Aut exemplum hoc interpolatum è duobus diuersis (id quo, cuius ve, lapsu ne an fraude, quo ve alio vitio vitijque occasione, haud quisquam assequatur) in vnum abijt ita vti nunc est, alienum, vt exemplum esse desierit: aut insignita iniuria illata est Gellio temeritate nasutuli cuiusdam librarioli, qui sic exarauit, vt hodie procuditur, cum deberet, vt ego corrigendum censeo:

Palium face vt ne maculet:

Ita ad traditionem auctoris est, ipso præterea interpretante ne maculetur: agendi figura, patiendi intellectu. Omnino hoc teneo, neque ipse si reuiuiscere posset Gellius, aliam vt scripturam fuisse suam profiteatur, fieri posse iudico. Quam autem ipse in hoc genere loquendi frequens est? Verba maculantia & sordida, cum alibi sæpius, tum lib. 16. cap. 7. Res item mouentes pro mobilibus: lib. 11. cap. 18. Quin & gerundia illa minuendi & augendi, lib. 20. cap. 8. παθητικῶς posita: Quia solum olerum omnium contra lunæ aucta atq. damna vices minuendi & augendi habet contrarias. Sed minuere sic etiam in Sallustio è vetustis membranis rescribendum, quas mire alioqui bonas, cum Daniele Bucretio meo, iuuene vt liberali omni eruditione ornatissimo, sic fraterno amore mihi coniunctissimo, ad libros vulgatos in Iulia Helmæstadij comparaui. Catilin. Neque tamen Catilinæ furor minuebat: sed indies plura agitare, arma per Italiam locis oportunis parare, pecuniam sua, aut amicorum fide sumptam mutuam, Fæsulas ad Mallium quemdam portare. Hodie in optimis etiam editionibus, minuebatur: non modo hinc vt apparet, false, sed ferme & contra Sallustii morem, qui quam hac forma vti capiatur, est nimirum in aperto. Idem verbi timidius ponã, positum sic quoque apud Petronium: Et harundinem ab hostio rapuit, iterumq. nihil respondentem multauit: ac nisi primo ictu harũdo quassata verberantis impetum minuisset, forsitan etiam brachia mea caputque fregisset. Sed demum si scribatur: nisi primo ictu harundo quassata, verberantis impetu minuisset. quod de nihilo forte suspicor, bona præsertim & liquida alias quoque sententia. Extra limites euagatus sum longius, quàm debebam: sed sumpta semel audaciã lubet etiam porro Diducere in Propertio sic quoque olim memini me accipere, lib. 4. Eleg. 1.

Nunc tua vel mediis puppis luctetur in vndis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cauo tellus diducat hiatum,
Octipedis cancri terga sinistra time.

quod non est, nisi vt tum volui, mecum etiam nunc legere sustineas.

Vel tremefacta cauo tellus diducat hiatu.

Dubie tamen hoc pariter, atque quod præcessit. E libro correctio rectior & certior hæcerit. Florus lib. 2. cap. 15. Quum bellũ sederet, de belli fine tractatum est. Editio vetus, & quãtum scio Florentina, sedaret. Bellum sedat, in Virgil. venti ponunt: in Liuio, Tempestas sedat. Neque nescio tamen, sedere frequenter esse, quiescere: & hic quoque posse ferri non nego, alterum nihilominus vt illi præferendum affirmem. Iam illud Iustini: Conuertere, caue aliter audias, lib. 36. Quod ex causa factum, paullatim in disciplinam religionemque conuertit. Terentij denique Andria, Mutare, cõtrà interpretum mentem, nihil tertius est, quàm ita capiendum,

niſi Venuſtatem loci omnem velis tollere. Act. 1 Scen. 1.

Quid Chremes? qui denegauerat, ſe commiſſurũ
mihi gnatam ſuam vxorem: id mutauit,
Quoniam me immutatum videt.

Vbi monendus mihi ſimul es id, *valere*, propter id. *neque enim aliter ſenſum, quem volo erueris. Quia, inquit, me videt immutatum, eam ob cauſſam ſtatim mutatus eſt & ipſe. Quid autem ni, ſiue obiter, ſiue vt in Terentio etiam firmem*, id *ſimiliter & Plauti Moſtel. interpretandum adjciam? Scena, Iampridem.*

Numquam ego illi poſſum gratiam referre, vt
meritu' ſt de me,
Scapha. id tu mihi ne ſuadeas, vt illum minoris
pendam.

Non teneo calamum, quin & Hoc *eadem figura* ἀλληλάωσ *vſurpatum appingam iſto Catulli Epigrammate:*

Flaui, delicias tuas Catullo,
Ni ſint illepidæ atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere poſſes:
Verum neſcio quid febriculoſi
Scorti diligis. hoc pudet fateri.

Quo ipſo cum loco, vt aliud ex alio incidit, bene iſtum Horatij conſuleris, Od. 17. lib. 1.

Quæ te cunque domat Venus,
Non erubeſcendis adurit
Ignibus.

Sed iam tempus, de ſemita in viam. Iam diu, nimium vaga hæc & inſtabilis ſcriptio, lector: at vetus verbum noſti, Vara vibiam ſequitur.

Cap. 9. Adeo varia fortuna cum conſulibus conflixerat, vt plerumque ſuperior fuerit.] *Potius eſt*, foret. *nam ſequitur*, perduceret. *Verum hoc leue, & per ſe obuiũ cuique.*

Eod. Et rex Eumenes in eo bello medius fuit animo.] *Mirifice delector ſimilium collatione locorum in ſcriptoribus, neq. in delectari elegantium literarum ſtudioſos alios opinor. Itaque huius notabo interdum aliqua, quæ memoria ſuggeret, inter legendum minus quam curioſe mihi obſeruata.* Medium eſſe *re quapiam, valde placita noſtra formula. Infra, de Cn. Pompeio*: medius eloquentia. *Item*: ita ſe dubium medium que partibus præſtitit. *Propius finem, de Tiberio*: Agebatque medium, plurima diſſimulantis, aliqua inhibentis.

Eod. Tam fortiter in ea mortem obierat.] *Non neceſſariam mutationem recentiores moliuntur*, in eo Matte. *quam illi tamen & veram audent ſcripturam affirmare. At quid quæſo, vulgato iſto non dicam in aliis auctoribus tritius, ſed in hoc ſaltem ipſo frequentius? Taceo, quod vis ſententiæ ſic infringitur, & oppoſitionis obſcuratur quæſita & in ſenſus diuerſitate, & verborum pæne eorundem ſimillimo ſono, venuſtas.*

Eod. Cum Anicij Octauijque triumphum nemo interpellaret, fuere qui Paulli impedire obniterentur.] *Magis ad vulgi guſtum*, adniterentur. *non mutandum tamen: vti nec lib. 2.* occlamaſſet *ſubſtituendum pro* acclamaſſet *alij monuerunt: idemque ego nunc moneo, nec in Seneca tentandum, Epiſtola 47.* Viue cum Seruo clementer: comiter quoque & in ſermonem admitte & in conſiliũ, & in conuictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum: nihil hac re humilius, nihil turpius. *Nec item in Cicerone. In L. Piſonem*: Da te populo committe ludis. ſibilum metuis? vbi ſunt veſtræ ſcholæ? ne acclametur? ne id quidem eſt curare Philoſophi. *Denique nec in hoc alibi, neq. in aliis vbicumque idem occurrerit. Enim* ob *&* ad *vicißim inter ſe commeant, quod vel è Feſto didiceris. Sederit nihilominus, cum de toto hoc genere pluribus agam ad Apuleium, in quo talia multa, nondum aliis obſeruata quæ vti reliqua omnia, vellem nunc communicare tecum licuiſſet. Verum quid me moretur, dixi alibi ante: & doleo ego fortaſſe vehementius, quàm tu expectas ardentius.*

Cap. 10. Miſſus eſt ad eum legatus M. Popillius Lænas.] *Diſſenſus eſt auctorum in legati nomine.* C. Octauiũ *Pliniusnominat, lib. 34. cap. 6. cuius verba adducere alij occuparunt.* C. Popilium *Cicero Philip. 8.* Pro Dijimmortales, vbi eſt ille mos virtuſque maiorum? C. Popil. apud maiores noſtros, cùm ad Antiochum regem legarus miſſus eſſet, & verbis Senatus denunciaſſet, vt ab Alexandria diſcederet, quam obſidbat: cum tempus ille differret, virgula ſtantem circumſcripſit, dixitque ſe non ante renunciaturum Senatui, niſi prius ſibi reſpondiſſet, quid facturus eſſet, quàm ex illa circumſcriptione excederet. *Vbi emendandum obiter*: Vbi eſt ille animus virtuſque maiorum? *quod videtur magis accommodatum. Iuſtinus lib. 34.* de Popilio *affirmat, ſed ſine prænomine: qui rem tamen plenius aliquanto narrat. Eius verba nulla adferrem, niſi pauca ſuaderet paruæ quædam macula, quam hic eluam opportune:* Prolatoque Senatus decreto & tradito, cùm cunctari eum videret, conſultationem que ad amicos referre: ibi Popilius virga, quã in manu gerebat, amplo circulo incluſum, vt & amicos caperet, conſulere iubet: nec prius inde exire, quã reſponſum Senatui daret, aut pacem aut bellum cum Romanis habiturum. *Verba*, vt & amicos caperet, *languent prorſus, nec quid velint, plane video. Scripſerim itaq.* vt vt amicos: caperet *auſtera & imperioſa increpatione, dignaque perſonæ quam gerebat auctoritate & populi Romani maieſtate. De nomine amplius non habeo dicere, niſi Valerium Max. etiam in* Caium, *pleroſque alios in M. Popillium inclinare.*

Eod. Sic cogitationem regiam Romana diſiecit conſtantia.] *Nemmem futurum arbitror, qui venuſtiorem, etiã veriorem lectionem meam neget*: Sic conſtationem regiam R. deſiecit conſtantia. *Amat noſter illam παρόμοιον & reſonantem verborum ſimilitudinem. Sic infra hoc libro*: Neque ante inuiſum eſſe deſinit, quàm eſſe deſiit. *lib. 2.* Natione magis, quam ratione barbarus. *Sed enim* conſtari *an* cunctari *ſcribas, hilum non intereſt. A voce* cunctus *autem, veluti fonte quodam & hæc, alia omnia deriuantur*, Cunctio: Percunctari, *ſiue* Perontari: *quod à* conto. *futilis ratione, magiſtelli ſpinoſi, nimium inſiceti homines, deduxere.*

Cap. 12. Vir auitis P. Africani, paterniſque L. Paulli virtutibus ſimillimus.] *Notiſſime cuſi*, ſimillibus: *non tam editoris cura opinor, quàm operarum incuria. lib. 2.* Qui Tib. Gracchum, idem Caium, fratrem eius occupauit furor, tam virtutibus eius omnibus, quàm huic errori ſimilem. *Pæne geminum hoc illi. Tamen ibidem placuit aliquando magis*: tam virtutibus ei (*ſiue etiam* eius omnibus, quàm hoc errore ſimilem. *Nunc abſtineo.*

Eod. Magis inuidia imperii, quàm vllius temporis noxiæ inuiſam R. nomini.] *Cui dubium, rectius à me legi*, noxia? *nec igitur verbum addo, vt probem.*

Cap. 13. Neque enim quiſquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio diſpunxit.] *Erit forte, qui* diligentius *malit. Ego pro hoc idem iſtuc eſſe ajo. idque atteſtabitur mihi. qui paullo diligentior fuit Gellij lector. Et vero* eleganter *quid eſt, niſi cum electis ſeu dilectus: quis* elegans, *niſi qui eligit, diligit, lectaque amat & vſurpat?*

Eod. Vt capta Corintho.] *Opera Corinthia in magna dignatione Romanis: at ipſum præcipue, quod orbe toto etiam nobile, ipſa opulentiſsimæ vrbis, vti Florus ait, iniuria & ruina factum pretioſius. Huc inter ſexcentos alios Propertius reſpexit. lib. 3. Eleg.* Arma Deus Cæſar:

Nec mihi mille iugis Campania pinguis aretur.
Nec miſer æra peto claſſe Corinthe tua.

Quem locum adduxi. ea potißimum cauſſa, vt à mendoſa doctiſsimi & acutiſsimi hominis emendatione vindicarẽ. Quid, inquit, eſt, claſſe Continthia æs petere? potius clade ſcribendum: & hic nota de æris, auri, argentique venis, Corintho incenſa, in commune fluxis, totaque memorabili miſtura illa refert. At vel puer viderit, tangendum non claſſe tua, *ſed* æra tua: *& dehinc*, claſſe petere. *quod diſſimulauit ille potius, vt acumen oſtenderet, quàm non vidit, vt vltra vulgum nihil ſapere hæc neceſſe foret. Eandem reprehenſionem nõ ſpero me quoque ſubituru, ſi monuero, aut* miſer Corinthe, *pro homine Corinthio capiendum: quod ſane duriuſculum videtur: aut* miſera *diſertim ſcribendum, vt ad ipſam Corinthum referatur. Nam ad Propertium nulla cauſſa eſt, cur trahas.*

Cap. 15. Cui in demoliendo.] *Non placet ſane & mihi, diſplicitum alijs, deriuatum pro primæuo: nec ſcribo tamen cum iiſdem. Simplicius ac nulla mutatione, conglutinatis ſaltem, quæ diſſilire, ſyllabis malo*, Cui inde molliendo: *id eſt, cum iam in eo eſſet, vt moliretur, παρωπικῶς. Ita 1. Æn. Maro:*

Triginta magnos voluendis menſibus orbes
Imperio explebit:

Eclog. item:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Idem Georgicis:

Vritque videndo Fœmina.

Propertius item lib. 3.

Creſcit enim aſſidue ſpectando cura puellæ.

Nec aliter Cicero ad Attic. lib. 4. epiſt. 1. Quo Sc. recitato eum continuo, more hoc inſulſo & nouo, plauſum, meo nomine recitando, dediſſet. *Illud denique veterum ſcriptorum*, Ad imperandum, *de quo Tullius epiſtola ad Pætum, eſt patiendi eodem ſenſu. Ne mirere autem paßiuũ etiam* Moliri, *exemplum tibi ecce è Iuſtino, libro 38.* Quod vbi Ariarathes iunior moliri cognouit, grauiter ferens interfectorem patris per auunculum potiſſimum ab exilio reuocari, ingentem exercitum contrahit. *Poſſis quoque, ſi velis*, Cui inde molienti. *ſed in priore mecum acquieſces.*

Cap. 16. In eam formam, & in idem artati temporis congruens ſpatium.] *Hinc ſi quis expedire ſe poteſt, miror: tam ſunt depranata magis, neminem emendaſſe ante me: tam ſunt non omnino difficilia. Lege à principio*: Quis enim abunde mirari poteſt, quod eminentiſſima cuiuſque profeſſionis ingenia, in eandẽ formã & in idẽ artati (*vel*, artata) temporis congruant ſpatium.

Eod. Et quemadmodum clauſa capſa.] *Ea vero ſuperioribus multo vitioſora, neq. corrigi ita faciliat Periclitemur tamen ingenium.* Et quemadmodum clauſa capſa, alioue ſæpto diuerſi generis animalia, ſeparata quæque alienis, nihilominus in vnum corpus congregantur: ita cuiuſque clari operis capacia ingenia in ſimilitudinem & temporum & profectuum ſemetipſa ab alijs ſeparauerint? *Traiectionis aliqua licentia opus fuit, ſine qua locum qui conſtituet, is equidem rex eſto. Illud vero acute dictum*, in ſimilitudinem ſeparauerint. *Vult autem, in diuerſis quibuſque artibus, vno tempore, profectu ſimili, ad eandem præſtantiam eminentiamque clara ingenia ſimul omnia peruenisſe, vt quamuis profeſſa diuerſiſsima, profectu alia alius inuicemque ſibi omnia videantur quàm ſimillima. Ita diſſimilitudine quadam ſimilia, & ſeparatione à ſe inter ſe fuere comparata, Locus hic certe non vulgaris, quem ita recte me correxiſſe non diffido: quamquam & alia poteram ingredi via, ſi libertate libet vti paullo maiore. Sed ne hoc quidem te ælabo, ſi forte probabis impenſius. Ergo igitur omnia tibi ſic reſcribe, mihi modum priorem relinque.* Quis enim abunde mirari poteſt, eminentiſſima cuiuſque profeſſionis ingenia, in eandem formam & in idem artari temporis congruens ſpatium: vt quemadmodum clauſa capſa, alioue ſæpto diuerſi: *& reliqua deinceps, vt præmiſi. Non enim fruſtra chartam implebo.*

Eod. At nouam comicam Menandrus.] *Ejcio*, comicam: *qua voce quid opus, nullo cum interuallo præceſſerit*, comediam.

Eod. Neque imitanda reliquere.] *Eſt ne quiſquam ita hebes animo, ſiue ſine oculis*, imitandam, *qui videre nequeat ſcribendum?*

Eod. Philoſophorum quoque ingenia Socratico ore defluentia, omnib. quos paullo ante enumerauimus.] *Et hic poſtrema delenda putem. quando enim aut vbi philoſophos enumerauit? aut legam*, quos quando enumerabimus? *Neque hoc ſententiæ diſconueniat, ſi ſcripturæ conueniat paullo magis. Tamen nec nimium mihi indulſi: & ſuſpicatus aliquando ſum, ipſam philoſophorum, de quibus ait, enumerationem periiſſe, vt lacuna hoc ſit faciendi, defectus index. quod nunc difficile eſt, vt mihi probem. Bene namque oratio ex ſuperioribus apta, & connexa mutuo videtur. Vnde fit, vt vel exterminanda verba pauculaiſt a ſint, vel corrigenda. quod ſi quis me felicius poterit, laceto.*

Eod. Adeo quidem artatum anguſtiis temporum.] *Nec iſtud ſanum: hoc erit forſan.* Adeo quidem artati ijs anguſtiis temporum: *aut propter vocalium, concurſum, traductum*, artati ij temporum anguſtiis. *De cetero*, nequiuerit, *an* nequiuerint. *legas, parum mihi curæ Nec in eo enim ſita Græciæ fortuna.*

Cap. 17. Per Cæcilium: Terentium que & Afranium ſub pari ætate nituerunt.] *Scribe iunctim*, ſuppari ætate. *Nam interuallo aliquanto ſe conſecuti ſunt, &*, vt *noſter alibi gradibus quibuſdam ætatis fuere dirempti Ceterum in hoc Comœdiæ cenſu Plautum non cenſeri miror principem non vulgi, ſed principum eruditorum ſententia, cui quemadmodum multi, ſic noſter, vt eſt affectuum varius ſæpe in alterutram partem nimius iniquior fuiſſe videri poteſt.*

Eod. Vt delectari ante eum pauciſſimis.] *Sic expreſſi cum Aldino: recentiſſimum exemplar.* ante etſi. *qui lapſus operarum videtur*, etſi *cogitantium.*

Eod. Sed fortaſſe veriſimiles, inter quas has max.] *Cõcinnius*, interq. eas has maxime *Mẽdas ſimilesbinas infra ſuo loco notaui. Omniũ earũ originẽ cernere cuiuis facile eſt, & erit.*

Eod. Alit æmulatio ingenia, & nunc inuidia, nunc admiratio imitationem (*apage*, incitationem) accendit: naturaque, quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcẽdit in ſummum.) *Quid hic*, natura? *lege*, matureque. *Vti ſæpe & vbique ſcriptorum, voces hæ mutuiter erraruut. Sententia nihil clarius, nihil elegantius.*

Eod. Ita vbi aut præteriri, aut æquari eos poſſe deſperauimus.] *Fortuitã in meo libro mendam opinabar, compoſtea in aliis & veterioribus eandem deprehendi*, præteriti: *Itaque noluipreterire, vt notarii indignam: quæ dignior eo ipſo quod præterita nec notata alijs. Nemo autem, cui paululum aceri ſit in pectore*, præteriti *mecum non præoptabit. Non enim hoc vult auctor, cum præteriti nos ſumus: id multo minus, cũ præteriti illi ſunt: Verum cum aut gradu illos antecedere: aut æquare nobis deſperatum eſt.*

Cap. 18. Vna vrbs Attica pluribus annis.] *Interpolata hæc à variis varie. Ni mea ſcriptura verior eſt, pignus dabo in omnes fortunas meas. Totam locum ſic reſtituo.* Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentia, quam vniuerſa Græcia operibus, floruit: vſque adeo, vt corpora gentis illius ſeparata hinc inde in alias ciuitates, ingenia vero ſolis Athenienſium muris clauſa exiſtimes. *Abolitã quædam literarum ſyllabarumque affinitate, quædam alio tradutta: omnia recte, vt ſpero, nunc & ordine poſita Athenas, inquit, longius dicendo, quàm Græciam vniuerſam agendo floruiſſe. Et certum, vt quidam vult, de eloquentia ſolũ inſtitui comparatione: ſed inſtitui, quod neſcio idem ne ille putarit cũ vera actione. lectio quã adfert, id certe nõ exprimit: manifeſto & liquido noſtra. Sed pro rebus geſtis* Opera pone-

re, Velleio vt & alijs tralatitium. Ante paginas aliquot præcessit de L. Paullo: Vt si quis eorum inuideret operibus ac fortunæ suæ. De Athenis bene ad meam sententiam Cicero, Bruto. Nam antequam delectata est Atheniensium ciuitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia & in domesticis & in bellicis rebus effecerat. Hoc autem studium (eloquentiæ) non erat commune Græciæ, sed propriũ Athenarũ. Inde oratore, idem. Atq. illas omniũ doctrinarũ inuentrices Athenas, in quibus summa dicendi vis & inuenta est & perfecta. Sed ille quidem & alibi innumeris locis. Iustinus lib. 5. Patriam communis eloquentiæ vocat: de eademque idem sic lib. 2. Literæ certe ac facundia & hic ciuilis ordo disciplinæ, veluti tẽplum Athenas habent.

Eod. Quæ vrbes, & multæ aliæ, talium studiorum fuere steriles.] Magis ridet, vt multæ aliæ. Cui tamen lectioni neminem adstrinxerim, ne me ipsum quidem.

Hæc ad primum librum habui, lector: quæ quia modica sunt ne parum videar liberalis, alia insuper quædam aspergam tibi corollarij vice: pauca tamen & ipsa, & quæ in solutũ venient. Terentii primum locus occurrit, Heautontim. Act. 4. Sc. 1.

SO. meministin' me esse grauidam & mihi te maxumopere interminatum,
Si puellam parerem, nolle tolli; CH. scio quid feceris:
Sustulisti. SY. si sic factum est domina, ergo herus damno auctus est.
SO. Minime: sed erat heic anus Corinthia haud impura, &c.

Quibus in verbis quis de vitio suspicatus est? inest tamen nec leue sed ita latet, haud facile vt se cuiuis prodat. Ego forte quadã vidi, neque alijs inuidebo, quin monstrẽ, & e latibulo protrahã, adeoq. procul eijciam. Sic Scribendũ igitur edico omnibus.

SY. sic factũ est: domina ego, herus dãno auctus est.

Ita belle, ita festiue nihil vt Terentiana scena dignius. Cum de verbis vxoris sublatam filiam coniiceret Chremes, quam interimi voluisset: astutus seruulus & mores mulierum optime doctus, idem statim conijcit, & secum, siue adeo adspectato es, plane istuc est, inquit: mihi hera noua nata est, domino malum. Licentia emendationis, vt vides, minima: immo ferme nulla est. Nam τὸ si ex manuscripti, & veteris Veneti, quo & Muretum vsum video, auctoritate deletum. Ergo in Ego vnius literulæ ablatione conuersum: cuius iactura quanto sententiæ pulcherrimæ lucro pensatur? Interponuntur Syri verba velitationi Chremetis & Sostratæ: hæcque non seruo respondet, Minime, sed marito: Retineri etiam possit, Si sic factum est. quomodo idem Syrus infra: Nostra est, ita si est. de quo, vt quisque voluerit. In eadem fabula, eodem actu, sc. 7. personarum distinctio laborare mihi videtur.

C. Quæso, quid hominis es? M. quid? C. Iamne oblitus es.
Inter nos quid sit dictum de fallacia,
Vt ea via abs te argentum auferretur? M. scio.
C. Ea res nunc agitur ipsa. M. quid narras Chreme?
C. Imo hæc quidẽ, quæ est apud te, Clitiphonis est
Amica M. ita aiunt C. & tu credis? M. omnia.
C. Et illum aiunt velle vxorem: vt cum desponderim
Des. qui aurum ac vestem atque alia quæ opus sunt, comparet.
M. Id est profecto: id amicæ dabitur.

Si diligenter omnia atque ordine consideres, omnino non probabis, vt Chremes de Clitiphonis sui amica prior vltro excipiat. Nam contentio certe omnis ita languet. Nec alia item conueniunt: in quibus refellendis ne longius sim, ponam tantum, vt vere emendari iudico.

C. ea res nunc agitur ipsa M. quid narras Chreme?
Imo hæc quidem, quæ est apud me, Clitiphonis est
Amica. C. ita aiunt, & tu credis? M. omnia.

Simulabat aduersum Chremem Syrus, Cliniæ se argentum fallacia sua auferre ab Menedemo, cum operam vero daret Clitiphoni, vt ab ipso. Nihil suspicatus autem ille aliter, ad Menedemum venit, quo cum interlocutus erat antea, clam vt seruuli astu argentum Cliniæ pateretur ab se, quod cupiebat etiam maxime ipsius, abstrahi. Nunc Menedemus amicam esse Clitiphonis Bacchidem, & Cliniam suum recens inuentam Chremetis filiam vxorem cupere, id quod res erat, persuasus mentionem de filia cum hoc instituit: qui quidem ex Syro paullo ante id futurum, etsi renuisset, intellexerat. Suspicacissimus igitur & cautissimus senex, qui argentum iam tamen Clitiphoni ad Bacchidem ferendum, etsi aliam, ac valde quidem illam probabilem ob caussam, dederat: nunc balistam in Menedemum intendi ratus, orantem eum de filia increpat: & quid hominis es? inquit: an illius fallaciæ oblitus, de qua ante inter nos, vt pecunia circumducereris? Nam hoc nunc quidẽ agitur, & iam sub cultro es, vt te attondeant. Tum ille, Qui vero hoc potest? cum amicam filius nullam habeat, vxorem tuam poscat filiam? etenim quæ nunc ad me est Bacchis, amica tui Clitiphonis est. Ita quidem illi aiunt, Chremes inquit: sed tu ne audes credere? Hic Menedemus, Quidni credam? vt illi mihi quidem omnia tam perspicue atque ordine narrant. Suscipit Chremes, At ne fallaris, o bone, illum tuũ Cliniam vxorem velle aiunt, vt cum filiam ego desponderim, tu argentum numeres affatim, quo aurum, vestes, alia omnia ad nuptias comparet scilicet. Hæ illæ autem technæ, vt cum obtinuerint, amicæ statim detur. Ita ergo resipiscit alter: etsi falluntur vtriq. in processu comœdiæ, & hic quidem magis, qui quam maxime cauisse, itaque firmiter se præmuniisse rebatur, vt fallacijs à nullo peti posse, iam petitus tamen, & petendus porro amplius, videretur. Etiam alia e Terentio pro mantissa supra constitutum adijciam, Enucho Act. 5. sc. 1.

TH. Scelesta, ouem lupo commisi dispudet.
Sic mihi data esse verba. quid hominis illic est?
Py. Hera mea tace, obsecro: saluæ sumus: hominẽ
Habemus ipsum. TH. vbi is est; PY. hem ad sinistrã. non vides?
En. Th. video. PY. comprehẽdi iube, quantum potest.

Et hic personarum collocatio peccat, quod nõ obseruatum à quoquam hactenus, miror. Nam quid ita manifeste contra omnem rationem, quam Thaidem ista loqui, Quid hominis illic est; quæ quidem post statim ex ancilla quærit, vbi is est: & hac monstrante demum ait, video Distingue igitur.

Sic mihi data esse verba. PY. quid hominis illic est?
Hera mea tace, obsecro: saluæ sumus: &c.

Dum Thais stomachatur & quæritur, ecce interim Pythias aduenientem commodum Chæream eminus videt: ac secum primo noscitabunda, quis illic homo est mox agnito. ad heram, tace tace hera mea, adest homo: opportune in nos ipsa præda incidit Hoc quidem ita clarum, vt vel Thamyræ omnes non possint non videre, quod legentes per otium ego & Bucretius meus, pariter vterque animaduertimus: nec interest, vtri debere potius lector velit. Ibidem quod statim sequitur:

TH. Quid illi facies, Stulta? PY. quid faciam, rogas
Vide amabo, si non, cum auspicias, os impudens
Videtur. TH. non PY. tũ, quæ eius confidentia est.

in eo quoque lapsus forte & distinctionis est & ipsius lectionis. Nam quid quod respondet Thais, non? quam vero apte illi ancillulæ sequentia inferuntur? Veteres habent, non est: vitiose ipsum quoque, sed è quo parum nobis radius obscuræ veritatis allucet. Scribo enim:

Vide amabo, si non, cum aspicias, os impudens
Videtur. monstrum, quæ eius confidentia est?

Velut scena proxima: Monstrum, etiam vltro derisum aduenit. Facile quidem ex tribus illis, non est tum, confit monstrum, & sensui non discrepat: non tamen asseuerare au-

sim germanũ, quia latere aliud etiam videtur, & habeo alias quoque ipse plures coniecturas enimuero earum earum nulla dũ rei satis, vel magis, quam ista, facit. Eiusdem comœdiæ Act. 4. sc. 6 de illo dubitaui.

T. O, mi Chreme, te ipsum expectabam:
Scin' tu turbam hanc propter te esse factam? & adeo ad te attinere hanc
Omnem rem? C. ad me? qui? quasi istuc.
T. quia dum tibi sororem
Reddere, &c.

& potius iudicaui: C. ad me? qui quæso istuc? quod notare visum, etiamsi scitam ἀποσιώπησιν alteram non plane abnegem, neque quid intelligi Chremes velit, nesciam.

Eram adiecturus plura eiusdem generis: sed ad alios auctores descendens, vereor, vt redire satis naturæ queam: neu copia te ampliore in fastidium dem & languorem. Sed & hæc tibi satis, vel etiam nimia sunt. Itaque ne sinistra liberalitate vti videar, hic modus esto, forte erunt etiam, immo vero futuros certo video; qui me & huius auctarij nomine, & aliorum omnium, quæ sparsim aliunde Velleianis inserui, grauiter accusabunt. Sermones enim quorumdam iam percipio, qui aliena me nimiæ, & nimis alieno loco tractare inter se consusurrant. Et sane his quid respondeam, ambiguo: nisi me cum aliorum exemplo, quos idem fecisse plurimos notum omnibus est, tum ea ratione tuear, quam initio duplicem posui: quippe veritũ me: ne ieiunus labor in vno esset, ac voluisse eadem auxilij opẽ aliquam pluribus afferre. Quod consilium nemo nisi ingenio malus, aut voluntate in nos maliuolus, contemnet. Præter hoc tamen, alio quoque me impulsum nunc, etsi dissimulare antea constitueram, fatebor. Quædam sub signis diutius esse pati non potui, & his locum, vbi se non obtulit, etiam sponte quæsiui. Id vero, mi lector, ambitionem aut ostentationem interpretari caue. Vrgebant me duo, grauia sane, & quæ animum quantumuis modestum vltra limites agere non minus merito debuerunt, quam facile potuerunt. Etenim nec omnem emendationũ nostrarum farraginem coaceruare vnum in locum, eoque reseruare institutis meis aliis conueniens erat: & periculum mihi faciendum fuit vndequaque iudicij doctorum, quod tentari non ita paucis, neque ijs vnius tantum generis, oportuit. Denique quid de loco illi tantopore turbant? Nos suo quæque loco, vt volunt, tractare: id est, quæ in quemque auctorem habemus, ad quemque seorsim dicere non possumus: neque est, vt postulari id a quoquam debeat. Nec autem meo animo, refert multum, vbi quidque emendentur, dummodo emendetur. Neque tu aliter sentis, scio, intelligens lector: quem mihi item non diffido patrocinio tuo aduersus Liuoris & Inscitiæ calumniam adfuturum. Et hac te lege nunc mitto, vt respires paullum, ad reliqua plura accessurus alacrior.

IN LIBRVM SECVNDVM.

CAP. 1. Plura quam x. millia.] Manutij coniecturã contextui inferre non dubitaui. quid ea enim certius? aut vulgata lectione illa quid putidius? numquam x. millia plura, quàm propriæ.

Eod. Hic primus è Pompeiis consul fuit.] Parenthesin hanc suo loco excidisse arbitror, in quam retraho, scriboque: Tum Pompeium (hic primus è Pompeiis consul fuit) magni nominis virum, ad turpissima deduxit fœdera nec minus &c. Cui sensus harum literarum aliquis est, à me penitus non dissentiet. De hoc ipso Pompeio primo eius nominis consule infra clarius, adhibita temporis luce. Seu duæ, seu tres Pompeiorum fuere familiæ, primus eius nominis ante annos fere CLXVIII. Q. Pompeius cum Cn. Seruilio consul fuit.

Cap. 2. Tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta & natura & industria mortalis conditio recipit.] Formula gemina propius ad libri finem. Druso Claudio, fratri Neronis, adolescenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit. Quis contentione digna hæc ista neget.

Cap. 3. Qui censor porticus in Capitolio fuerat.] Aut legendum fecerat, quomodo alibi ante (nec exemplum adscribo, quo quid esset ieiunius?) aut inserendum, molitus vel tale quid aliud, sed hoc tamen præ cæteris, quod paullo superius eadem in re eodem isto vsus est.

Eod. P. Africani patrui? is priuatusque.] Et hic Manutij lectionem amplexus sum lubens sed & merito: quo enim vsque legitimorum sedem spuria ista obsidebunt?

Eod. Patriam cognationi præferens.] Ita in Iustino legatus ad Antiochum Popillius, de quo supra, oblato à rege osculo, facessere interim priuatam amicitiã iubet, cum mandata patriæ intercedant. lib. 34.

Eod. Ob quas virtutes primus.] Non potui non reprobare vulgatum, ob eas, præ hoc Aldino. Scilicet antique cas fuerat scriptum, consuetudine c pro q. & contra mutandi: id mox deinde ab insciis in eas errore facillimo deformatum. Ab hinc altera linea, circumdata quoque eiusdem rescripsi, altero manifeste vitioso in marginẽ, vt in his talibus quisquilius soleo exturbato. Sic pariter & vera Velleio paullatim restituũtur, & vulgaria si quis requirat, etsi falsa, ei tamen exhibentur.

Cap. 4. Et P. Scipio Africanus Æmilianus.] Deleo & repetitum è verbi præcedentis vltima syllaba, intermisisset.

Eod. Quorum nouerca est Italia.] Similiter Petronius in Eumolpiano carmine, quod vulgo inscribunt, De mutatione Reip. Rom.

Aut qui sunt, qui bella iubent? mercedibus emtæ,
Ac viles operæ: quorum est mea Roma nouerca.

Cap. 5. Quem moriturum miserat militem, victorem recepit, tantum effecit mistus timori pudor, spesque desperatione quæsita.] In vltimis desperatio sæpe in virtutem vertit militi, estque

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Vnde illud iam in vulgi ore:

Heu quam timendus ille est, qui mori tutum putat?

Sed Iustinus insigne Locrensium exemplum memorat: cuius pauca verba non est alienum adscribere. lib. 20. Omissa spe victoriæ, in destinatam mortem conspirant: tantusq. ardor ex desperatione singulos cepit, vt victores seputarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honeste quærunt, feliciter vicerunt: nec alia caussa victoriæ fuit, quam quod desperauerunt. Tacite huc quoque forsan respicit in Didone sua Maro:

Verum anceps pugnæ fuerat fortuna fuisset.
Quem metui moritura.

quod minus esse, quam dixi, ipse tamen sentio.

Cap. 6. Longe maiora & acriora repetens.] Mutaturus eram reputans. mox pressius aliquanto formula sermonis considerata, me repressi. Est enim cusum istuc idem cum primæuo suo, petens: quod vel ex eo perspicias: non lõge post quod sequitur interpretamento quasi præcedentis: æque praua cupientem. Et solemne bonis auctoribus, compositum eiusmodi pro simplici vsitare: neque tantum in vario significatu veteribus Re præpositio, quod bene alij notarunt: sed aliquando etiã si recte ita quod sentio eloquar, nullo. Addita namque verbis eorum sæpe vim nihil mutat, vt compositum inde si quod audias sensum non nisi simplicis percipias. Paret hoc ex eo ipso Restituere, de quo ad Velleium is quem dixisse me sentio, eruditissimus iuuenis, Germaniæ nostræ futurus ornamentum singulare monuit: patet ex τῷ Reddere quod locis pænæ infinitis Apuleio, nec infrequẽter aliis, est tantum dare qui idem Apuleius Resurgere quoque sic posuit, vt aliter non intelligas, quam surgere lib. 5. Metam. At Psyche statim resurgentis eius crure dextro manibus ambabus arrepto. idem etiam Recipere, quod nec aliis infrequentius pro,

capere. *Apol.* 1. Audi sis Tannoni Pudens, quam multa nescieris, qui de piscibus argumentum Magiæ recepisti. *Denique* Repetere *ipsum, cuius caussa alia notamus exemplum est huius rei clarissimum, vt plura sim omnino frustra collecturus.*

Cap. 7. Scelus vnicum.] *Recte accipe pro summo, & vnici velut exempli. quod monuisse satis, aut etiam forte super est: nimius vt certe futurus sit vel minimus aliorum locorum in explicationem apparatus.*

Eod. Quin tu hoc potius, inquit, facis] *Anne potius ait,* agis? *Non affirmem: quamquam protritum illud, & quod in ore omnes habent, nemo aut pauci in mente,* HOC AGE, *sic suadere videatur.*

Eod. Quod iam nullum esse spatio annorum colligi potest.] *Plin. lib.* 14. *cap.* 4. *suo etiam tempore, & per annos ducentos ferme durasse testatur.* Durantque adhuc, *inquit,* viua ducentis fere annis, iam in speciem redacta mellis asperi, *&c.*

Cap. 8. Adeo illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum.] *Seuere. sed hercle vere: neque constant aliter illa tremenda Iustitiæ sacra. Non absimiliter* in maleficiis etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc, vindicari, cruenta mente, pura manu: & sufficere ad pœnam vel meditari punienda, *ait* 4. *Florid. Apuleius, pæne vel ob hanc vocem alta voce exclamarim, noster.*

Eod. Non minus clarum exemplum, & adhuc vnicum Fuluii Flacci.] *Bucretius meus, has literas doctissimus iuuenis, indubitanter scribit,* & ad hoc vnicum. *Nota iam è Sallustio, & plerisque omnibus alijs hæc locutio, pro præterea: neque tamen non in multis etiamnum deprauata ignoratur. In Maudaurensi Philosopho eandem nos suo loco à corruptela vindicabimus.*

Cap. 9. Namque Mucius iuris scientiæ.] *Man.* Nam Q. Mucius. *quod non improbo. Forte idem error nomine apud Florum lib.* 3. *cap.* 21. Namque Mucius Scæuola Pontifex vestales amplexus aras, tantum non eodem igne sepelitur. *Florentinus enim,* Nam cum Mucius *è quo conijcere cuiuis facile:* Nam Q. Mucius. *Quippe* Tò cum *nō aliūde est nisi è τῷ* Quin. *dimidiato.*

Eod. Mucius iuris scientia, quam propriæ eloquentiæ nomine celebrior fuit.] *Non omnem ei laudem dicendi omnes detrahunt: quem Tullius quidem in Bruto* iurisperitorum eloquentissimum *satis quam magnifice prædicat: oratorum tamen in numero non collocat. Sed quid* propria eloquentia *heic sonat? Forte verius legerim,* iuris scientiæ prope quam eloquentiæ nomine celebrior. *Forte, posui. nam nunciam video, sic me posse interpretari: vt eloquentiæ studium. sic laudem minus illi propriam, quam iuris scientiæ fuisse. Quod vt sit, vt est quidem certe, non deero tamen eadem traiectione, nulla alia mutatione. sic rescribere: iuris sciētiæ propriæ, quam eloquentiæ nomine. Denique. si nihil velis mutare, saltem* scientiæ *legere sustineas, vtcunque de cetero statueris.*

Cap. 10. Vt clarissima, ita artata numero felicitas.] *Itane vero artata numero, quæ in septenarium processerit aut laudationi conuenit, quod vti magnum quiddam extollas, id parum esse simul dicere? Lego, nec quidquam hæsito.* sacrata numero felicitas *Septenarius numerus sacer & mysticus, è quo constare omnia Pythagorici tradebant. Hinc & Lucius noster in asini etiamnum facie, ante preces nocturnas, purificandi studio, marino se lauacro tradens septies caput fluctibus submergit:* quod eum numerum, *ait,* præcipue religioni aptissimum diuinus ille Pythagoras prodiderit. *Eum locum posui, magis quia memoriæ à recenti eius auctoris & satis diligenti lectione maxime erat obuius, quam quod ex aliis alium anquirere, aut adeo vllum ponere, in re nota necessum arbitrarer.*

Cap. 12. Quibus nomen erat Raudis.] *Monitum ante me veteres quosdam* Raudium *exhibere, quod ego pro nihilo minime habeam. Est ea loquendi forma, de qua lib.* 15. *c.* 29. *Gellius: allato è L. Pisonis Annalibus. exemplo.* L. Tarquinium collegam suum, quia Tarquinium nomen esset metuere. *Quod & ipse est imitatus l.* 17. *c.* 5. Histrio in terra Græcia fuit fama celebri, qui gestus & vocis claritudine & venustate ceteris antistabat. nomen fuisse aiunt Polum. *Nec secus de illo Senecæ mihi videtur: ep.* 12. Ideo Heracletus, cui cognomen Scotinon fecit orationis obscuritas.

Eod. Consul armis compescuit.] *Abundare putem vocem* Consul. *quid enim ita opus erat,* consulatus, quo consul? *aut reponendum,* consilio & armis. *Sed tertia coniectura verissima est.* consularibus armis. *Nimirum heic quoque vt pluribus nostri locis, pridem animaduersis, decurtatio illa vulgaris fraudem frausa est. COS. enim nota, non* consulem, *tantum, sed &* consulatum, consularem, *quæque inde alia, omnia inquam ista veteri scriptura signauit: è qua post noui exscriptores* Consul *tantummodo concinnarunt. Eius exempla dat aliqua doctis. Scegkius: quem heic facem nobis alluxisse, ingrati aut inuidi simus, si negemus, immo vero etiam si taceamus.*

Cap. 14. Immensa illa & incognita.] *Mei res arbitrii sit,* incondita *multo malim. Tu quoque cogita lector, & non noles, intelligesque turbam, quæ temere & gregatim circumfuga comitabatur.*

Eod. Neque quisquam in eam despicere posset.] *Nō heic pertendam suspicionem, quæ me initio prehenderat.* espicere *legendum. Video enim nunc proprius, illud alterum quid velit: etsi antiquum hoc plerumque sic interpolatum scio. Sed exemplorum vim hic mihi non quæram quibus iam tum alius est à me locus destinatus.* E *Iustino tamen haud parco bina promere. dubia mihi, vt eruditiorum iudicio vel erigantur vel euertantur. lib.* 2. Interea rex velut spectator pugnæ, cū parte nauium in littore remanet. *In veteribus legi* expectatæ *monuit vir maximi nominis, & cui ille scriptor, quod alij fecerat, pæne idem passus, integritatis & salutis suæ maximam partem debet, Iacobus Bongarsius, inde fortean* exspectator *verius sit. Idem lib.* 13. expectabant *in vulgatis omnibus spectari notauit eo loco, vbi nunc.* Sed nec amici Alexandri frustra regnum spectabant: *vt suspicari & heic liceat* exspectabant *fuisse ab auctoris, alterum à descriptoris manu. Facilis enim ad mendam lapsus è scribendi consuetudine prisca, qua* x *pro* s. *& contra poni nihil prorsus intererat. Hoc etiam cum alibi prolixe ago, tum hic breuiter vno Ciceronis exemplo libabo. Tuscul. quæst.* 1. *multa ex Platone conuersa, quæ ad iudices morti iam addictus Socrates dixerat, in disputatione Tullius recenset: post illa, sua pauca infert:* Et hoc modo. nihil autem melius æstimo. *Hic Lambinus* extremo *reponit: ego hac vsus literarum inter se, ac diphthong i simul cum vocali simplici permutatione, scribo,* extimo *quod est idem cum* extremo. *Qua de correctione dubitandum quidem arbitror nemini: de superioribus dispiciant me superiores, & in iis ipse præ cæteris Iustini iustissimus arbiter Bongarsius.*

Cap. 15. Vitauerant, vt ciues Rom.] *Oratio concinnior est, si &* pro vt, *mox* reuocauerant, *pro* reuocauerint *legas. Aut quod nunc primum incidit, si relatiuam voculam immittas:* vt qui ciues Romanos. *At tum quidem* vt *pro* vt pote. *quomodo frequenter, erit.* Qui *vero facile sequentis syllabæ contagione periit: cū ἀρχαϊκῶς scriptum esset,* vt ei ciues.

Cap. 16. Fluentem procumbentemque Remp. restituentibus.] *Non optime ad metaphoram, quæ continuari in his talibus amat, coniungi duo ista, quæ vocant, participia videntur. Itaque iam labebar, vt* ruentē *substituerem. Nihilominus Virgil. quoque memini:*

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaum.

qui me inhibet & retinet. Sed commodum Senecæ locus incidit, quem ex ea Metaphoræ ratione fortassis emendabo, Libro ad Serenum, Quod in sapientem non cadat iniuria. *cap.* 8. Nihil humile concupiscet, nihil flebit, qui rationi innixus per humanos casus diuino incedit animo. *Ex* flebit *veluti fragmento colligo, quod scripturæ cōpendio amissum,* fluctuabit. *Nam tale quid illa postulant, quæ ex opposito adiuncta,* innixus rationi, casus, incedit. *Quoniam autem hic sumus, alia quædam simul eodem libro, vitiosa adhuc, vt videntur, persanemus. cap. eod.* Si maximum illud, vltra quod nihil habent iratæ leges, ac sæuissimi domini quod minentur, in quo imperium suum fortuna consumit æquo placidoque animo accipimus, & scimus mortem malum non esse, ob hoc ne iniuriam quidem multo facilius alia tolerabimus. *Antiquiores libri* quod *non agnoscunt, agnoscunt autem &* minantur, *non* minentur. *Vnde primum suspicabar:* vltra quod nihil iubent iratæ leges, aut sæuissimi domini minantur. *Quæ structura sermonis habet non modo maiorem elegantiam, sed nescio quam etiam viuidiorem efficaciam:* leges iubent, domini minantur. *Deinde* impetum *fuit cum magis probarem; nunc non item: postquam alibi sic quoque loquentem Senecam inueni:* In quo ius fortuna suum perdidit. *Cap.* 10. Alia sunt quæ sapientem feriunt, etiamsi non peruertant, vt dolor corporis & debilitas, aut amicorum liberorumque amissio, & patriæ bello flagrantis calamitas. *Vidi scriptum alibi,* etiamsi non penetrant. *quod tum opinabar melius, sed neque hoc nunc tamen certo. Illud certius, cap.* 11. Præterea cum magnam partem contumeliarum superbi insolentesque faciant & male felicitatem ferentes, habet quo istum affectum inflatum respuat, pulcherrimam virtutem omnium. *&c. Lego.* cum magnam partem contumelias sup. insol. fac. *quod corruperunt,* qui magnam partem *esse* plerunque, *siue quod alter dicitur,* magna ex parte, *ignorarunt, Gell. lib.* 2. *cap.* 29. Amici isti magnam partem cessatores sunt. *Illud postremo certissimum. cap.* 19. Quis omnium est, qui non possit contumeliam facere, si quisquam potest? *Scribo plane,* si quidquam potest. *Erant & alia non his grauiora, sed quæ alibi referentur opportunius.*

Cap. 17. Romanis victis afflictisque ipsi exarmati, quam integris vniuersis.] *A valetudine metaphoram duci, innuere videntur ista:* afflictis, *&,* integris. *in qua persistetur aptius, si* exanimati *legeris. Verum hoc inter ea censebis, quæ leuia ipse & superuacua censeo: nec id minus, quod sequitur.*

Eod. Eius claritudo intermissa esset.] *Si quæ ad libr.* 1. *de agentium verborum patiendi significatu dixi, probas; tuo periculo & hic lege,* intermisisset.

Eod. Petensque consulatum, pæne omnium ciuium suffragiis factus est.] *Mihi nescio quid rancidum hæc scriptura sapit. nec abnuam, quin meo periculo potius scribas,* aptus est. *Proculcatum iam ex antiquitate verbum* apisci.

Cap. 18. Apud populum maximam quæsisset dignitatem.] *Vt supra pro simplici compositum ita hic pro composito simplex.* Quærere *est enim* acquirere: *neque nostro solum. sed plerisque probatis omnibus. Iustinus lib.* 2. Imperium Asiæ ter quæsiuere. *lib.* 1. Regnum quod fraude quæsierant. *At hic quidem trecentis locis, quæ cui bono quæram? Propertius autem, qui* sectari, testari, vagari, *& alia talia, hoc pariter de Hercule:*

dextra quum quæreret vrbes.

Maro etiam in hac figura non infrequens. Æn. 10.

Auri atque argenti memoras quæ multa talenta
Gnatis parce tuis. *Georg.* 4.
vltroque animam sub fasce dedere. *Apuleius Apol.* 1.

Meminerat Homerum Poetam multiscium, vel potius cunctarum rerum apprime peritum, vim medicaminum non mari, sed terræ scripsisse. *Idem Apol.* 2. Improbo ac nefario homini per alienas literas falsum facere tentanti ne auscultarent. sibi potius audirent. *pro* adscripsisse, *&* obaudirent. *Sed Propertij & Iustini mentione memoria mihi refricatur locutionis similis in vtroque. quam liceat hic mihi, quamquam ἀπροσδιόνυσον proponere* Brachia muri *aliter bis dixit lib.* 5. Si demissa Pyreum versus muri brachia deiicerent. *Ibidem.* In brachiis muri, quæ diruta fuerant, habitare. *Alter* viæ brachia *semel.*

Scandum Thesææ brachia longa viæ.

Hinc nimirum, quod instar brachiorum porrecta in longum sint, vt via, sic & muri. Quin etiam Ouidius de Oceano in eundem modum:

Nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Hanc mihi breuem peregrinationem beniuole condona, lector: nunc ecce domum redeo, mansurus tamen non nimium diu.

Cap. 19. Auctores nouarum pessimarumque rerum, inter quos Marium.] *Certa diuinatio,* interque eos. *Eadem mēda Ciceroni quoque fortean insedit, li.* 6. *ad Att. ep.* 3. Quod ego nemini tribui negotiatori, non C. Vennonio, meo familiari; non tuo, M. Læuio, & quod tibi Romæ ostenderam me seruaturum, in quo perseueraui. *Scribēdum forte inquam:* quod & tibi Romæ ostenderam me seruaturum, inque eo perseueraui. *Nisi potius, vt censuit Bucretius noster:* quod tibi Romę ostenderam me seruaturum, & in quo perseueraui. *Aut aliter quoq; etiam, vt vir clarissimus, summæq; eruditionis, Ioannes Caselius: præter quem qui literarum hodie dignitatem & verum decus in Germania sustineat, in tanta literatorum copia, vix habemus. cuiq; vt præceptori & amico omnem obseruantiam, & quæcunque à grato animo proficisci queunt officia ac studia, debeo. Sic ille igitur:* id quod tibi Romæ ostenderam, *&c. Et quoniam viri illius hoc foras eliminaui, ipso quidem, fateor, insciente, nec scio satis an & volente: neque enim ille hoc genus laudis affectat, quod etiam infra se existimat, & ita omnes in huiusmodi auctorum loca censuras & obseruationes suas inter legendum vltro ac temere nascentes, quas magno alij venditarent, premit non promit: familiaribus tamen, aut vlli adeo, qui vti frui velit, qua est humanitate, & aduersum omnes obuia beneuolentia, non inuidet: sed quoniam, inquam, semel furtim proferre istud non sum veritus, non ero verecundior deinceps in proferendo eiusdem ex iisdem Atticis epistolis, quas ipsius olim commendatu ac mandatu primum amare ac volutare cœpi, etiam altero. Li.* 10. *ep.* 5. Quod mihi mandas de Q. regendo, ἀρκαδίαν. tamen nihil prætermittam, *Inibi Græcam vocem varie alij interpolant: qui hanc ipsam retinent, illud minus considerant, non denegare prorsus Ciceronem suam Attico operam: qua in re vsurpari solitum, quod afferunt, adagium. Caselius igitur è* ῥᾴδιον, *rescribit. sed ecce etiam iterum Bucretius ex manuscriptorum lectione,* ἀφηλίαν, *quam posuit Cl. Turnebus,* βαρὺ λίαν *iterumque ego, vt numerum expleam,* ἀργαλέον. *Quæ lectiones tres vnum omnes sensum pariunt. Ac Cicero quidem sæpe de difficultate eius negotij conqueritur. bis epistola sequenti, magnum inquit opus esse; alia quadam, in eo vim incredibilem molestiarum. Harum igitur vna vera & sincera Ciceronis erit scriptura. De mea, cedo Caselianæ lubens meritò: nec præferri eidem se vult Bucretiana, qui enim debemus vterque aut possumus aliter?*

Eod. Magno eiulatu expromenti indignationem casus tanti viri.] *Quæcunque aliis, mibi vero mens sedet,* expromens *vel* exprimens *legere. Vocis* indignationis *explicationem & exempla vberiora dabo alibi, nisi fata, meis vsque adhuc semper aduersa conatibus obstiterint.*

Cap. 20. Opus erat partibus, auctoritate, gratia cuius augendæ C. Marium.] Mirum ni rectius distingues partibus, auctoritate, gratia: cuius augẽdæ. quamquam scio relatiua nostrum sæpe postponere. Sed absque eo illud venustius tamen, & hoc, quia vetustius, vt subintelligatur, gratia vel caussa. hic infra: Dissimulata caussa consilij sui commeatum ab socero atque eodem vitrico, acquiescendi à continuatione laborum, petiit. In hanc faciem Gellius mihi emendandus lib. 10. cap. 24. Is autem erit, perpetuæ veterum consuetudinis demonstrandæ gratia, verba solemnia prætoris ponere, quibus more maiorum ferias concipere solet, quæ appellantur compitalia. Hic gratia illud à Gellio esse, credat, qui Gellium non nouit. Itaque sic lege: Satis autem erit perpetuæ veterum consuetudinis (potes eodem sensu, paullo alia figura, consuetudini) demonstrandæ, verba solemnia. Vbi & satis initio reconcinnaui, cuius prior syllaba, magno & sententiæ & cohærentiæ cum prioribus intertrimento, interierat.

Cap. 22. Neque licentia immediocri sæuitum, sed excelsissimi quique.] Tam apertam mendam fallere tam oculatos Argos potuisse? Nam ipsa se quidem verba refellunt. Quomodo mediocris sæuities, quæ in tot talesque viros varie grassata? Nec εἰρωνεία heic Velleium agnosco. Sed emendetur quamprimum me auctore: Neque licentia in mediocris sæuitum, sed excelsissimi quique eminentissimique (sic enim & heic malo) ciuitatis viri variis suppliciorum generibus affecti. Antiquus scilicet accusatiui flexus errorem peperit, vt capiti vocis præpositio assueretur, caudæ sibilus præcideretur: cui tamen etiam verbi sequentis initialis litera occasionem fecit proniorem. Vtinam omnes in Velleium coniecturas nostras tam facile præstare æquis arbitris possim, quàm hanc probatum iri vel iniquissimis confido.

Eod. Conclusit se loco nuper calce arenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret.] Non absimile exitij genus subiit ille in Milesia fabella mœchus, quem astuta mulier, fullonis vxor, inopinato aduentu mariti & vicini turbata, subitario consilio, viminea cauea subiectum contegit: & cauea quidem, vt ille describit. quæ fustium flexu in rectum aggregata cumulum, lacinias circumdatas, suffusa candido fumo sulfuris, inalbabat. Sub qua iuuenis acerrimo grauique odere sulfuris inescatus atque obnubilatus, intercluso spiritu diffluebat, & ex ingenio viuacis metalli, crebris sternutationibus succutiebatur. Sed quid ego hic & verborum & narrationis ordinem carpo? Festiuissimam fabellam dignamque auribus & tuo cachinno, ex ipso potius auctoris ore, nequaquam certe asinino, accipe. Iuuenes lib. 9. Met.

Eod. Et qui fuisset locuples, fieret nocens, sui quisque periculi merces foret.] Desideratur copula: qua inserta lege, suique quisq; periculi. Infra & sententia, & verba, & horum structura gemina: Fieretque quisque merces mortis suę. Illud paullo diuersius, simile tamen, quo ad sermonem, supra: Bellaque non caussis inita, sed prout eorum merces fuit. Simillimum hoc Flori. lib. 3. cap. 13. Sed hæc ipsa in perniciem redibant, & misera respublica in exitium suum merces erat. Simile item Petronij ab alio ante nos allatum, itemque Sallustij indicatum.

Eod. Ne quidquam vi leretur turpe, quod esset quæstuosum.] Fuit & supra illud huic prorsus simile, Nec quisquam sibi putat turpe, quod alij fuit fructuosum. Vt videas, quam sæpe sui ipsius sit imitator Velleius.

Cap. 23. Transgressus deinde in Asiam Sulla, parentem ante omnia supplicemque Mithridatem inuenit.] Lego ex auctoris perpetua consuetudine, in omnia. Id illi est, prorsus. Infra: M. Lollio homine in omnia pecuniæ, quam recte faciendi cupidiore. Superius item: Meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna vsus, quod videri tamen dictum aliter queat. ita nempe, vt hoc libro alibi: Segnitia ducis in occasionem sceleris vsus est. Item. Quippe cum semper somno & cibo in vitam non in voluptatem vteretur. Cuius præpositionis vt magis notescat elegans hic vsus, ecce alia quoque exempla duo. Hoc libro, vbi de Cæsaris & Antonij pugna: Pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicauere. Et eadem pug. Desperata victoria, in mortem dimicabatur. Sed has minutias non libet vlterius sequi. Illud addam aliquãdo dubitatum mihi, parentem etiam, an pauẽtem rectius legerem.

Cap. 24. Forte Mithridatem pepulerat prœlio.] Hic vero quis dubitet, forte, scribendum? Neque enim puto, frequenti. Propertio ritu, per secundam vocalem auferendi casum terminauit absque vlla necessitate noster, ad quod poetam lex sæpe carminis videatur coegisse, quanquam eum veteres imitandi plerunque impulit lubido.

Eod. Reuectus in Italiam.] Non temere nunc mutem, quod mihi primitus arrisit, reuentus. Nam & priori libro, peruectus in Italiam, & hoc inferius, reuectus ad mare, & alias ita sæpius: quibus locis aut intẽtanda singulis eadem, aut abstinenda simul omnibus nouatio. Cur intentetur autem? quasi ex nostra libidine sana etiam membra inuolanda. Tamen quia ea forma prisca, & infra liquido vsurpata; nescio quomodo mihi non de nihilo suspicatus videor. Cæsar autem, inquit infra, reuersus in Italiam, atque vrbem occursus. id est, cum occurrisset. Ita hominem aduentum, Andria, patrem ventum. Phormione dixisse volunt Terentium. Et quid notius eo legis XII. tabul. exemplo, Sol occasus?

Cap. 25. Optimo quoquo & sanissimo.] Magis sincerum, quod ad marginem, sanctissimo, non nisi quia magis ex vsu Velleiano. Si attendisti, vbique sanctos, sanctissimos laudat, quos à vitæ integritate & morum prisca simplicitate commendat: sanum, quanta mea memoria est, etsi laudis in ea voce non minus aut tantumdem etiam, nusquam quemquam dixit.

Eod. Aquas salubritate in medendisque corporibus nobiles.] In exprimenda connexione hac tota, recentissimam sequor editionem, quæ antiquissima. De ea tamen mihi quid videatur, hic non celo. Multi iam multimodis grassati sunt: ego forte non minus. Trigam lectionum afferam, quarum quam probabunt plurimi, eam sum habiturus & ipse probissimam. Placuit copulæ traiectio, aquasque salubritate in medendis corporibus nobiles. Et ita bene quidem congruent membra ista, aquasque, agrosque. Placuit item eiusdem minima mutatio. aquas, salubritate in medendis quæ corporibus nobiles. Denique ex inductis istis duobus, vt potius, si alterum retinendum, non displicebit lectio sic concinnata, aquas salubritate potius in medendis quæ corporibus nobiles. Tu quisquis iudicio vales, indica: ego in tam ancipiti nimium trepido. nec quæ deinceps, tango. Cl. Puteanum potius audio, qui hic videtur sanissima

Cap. 26. Et ne quid vnquam malis publicis deesset.] Acute & argute heic Bucretius meus, Et ne quid iniquum malis publicis deesset. arbitror etiam vere. nam profecto tale quid voluisse Velleium series orationis reliqua ostendit: & sine eo languere mihi sensus nescio quomodo videtur. Ad mala publica iniquitatem accessisse vult, & miseriam fuisse sceleratam.

Eod. Quantum huius gloriæ famęque accessit: nunc virtute eminet, patria latet.] Fors erit, qui timide mihi probatum, magis probet, sua virtute.

Cap. 28. Magnificis præliis.] Magnis præoptat vir doctus. Vt quid autem? Magnificum pro magno sæpe, sic tamen vt innuere aliquid videatur magnificentius. Apul. de Dogm. Plat. Quam etsi oratione (sic legemus, non ratione) diligenti & magnifica instructam videbar. Tullianum hoc ex Offic. quis puer nescit? Magnifica vero vox & magno viro ac sapiente digna.

Eod. Cuius honoris vsurpatio per annos cxx. intermissa. nam proximus post annum quam Hannibal Italia excesserat.] Quid hic pridem alij, scio: nec deterior, quin proferam meum. Neque enim dubitet quisquam, leuiori mutatione quæ corriguntur, ea vero propria. Scribo: intermissa iam protinus post annum, quam Hannibal.

Eod. Nec tamen in eos, qui contra arma tulerant, sed in multos insontes sæuitum.] Obserua mihi, non muta, tamen pro, tantum. Quæ particulæ, & cum his tandem quomodo alterius altera, & vna omnium; omnesque vnius vicem subeant in veterum scriptis, alibi mihi propositum diligenter ostendere. Hic illud saltem Iustini ponam è lib. 2. Lanæ iis (Scythis) vsus ac vestiũ ignotus: & quanquam continuis frigoribus vrantur, pellibus tamen ferinis ac murinis vtuntur. Vbi collatum ambigue tamen videbit qui accurate verba pensitabit, sic vt vtra potius, an adeo vtraque simul ratione accipiendum, hæsurus sit. Nam certe & tamen, illud inquam vulgatum, ratione præcedentis quamquam, & illud alterum, tantum, ratione sentẽtiæ requiritur. Hoc misso autem, eodem loco vtuntur malim, vt fiat manifestior allusio & collisio verborum, huius ad illud vltimum similis soni, vtuntur. quam figuram non semel auctor idem studiose captauit.

Cap. 29. Sed ex dignitate constantiaque in illam conueniens amplitudinem.] Vide. si tam insigni loco sic felicius aliis medebor: licentius, ipse agnosco. sed quid aliud vulneribus facias ita penitus adactis? Nec vnum hoc aut nouum in Velleio traiectionis exẽplum. Sed quę in illã conueniens amplitudinem, dignitatem & constantiam; fortunam quoque eius ad extremum vitæ comitata est diem. Aut minus licenter ita: sed quæ dignitate & constantia in illam conueniens amplitudinem, fortunam, hocque posterius teneam lubentius, ac tuear facilius.

Eod. Pæne omnium votorum expers.] Profecto non hæc tam sincera lectio, vt sit verior Aldi coniectio, quæ fuerat eadem & mea. Nam sequentia attende: vnum ait fuisse Pompeium, liberum & immunem ferme omnibus vitiis, nisi maximum illud tamen esset, neminem quemquam parem ferre potuisse. Certo igitur vitiorum rescribendum. Sic de Catone Porcio infra: Omnibus humanis vitiis immunis. Exempla in alteram partem allata, si vere volumus iudicare, minus etiam cogemur, quam ad rem minimo minus facientia fateri. Taceo, quod quiuis videt, quàm illam ipsam lectionem insequentia aduersis veluti cornibus impugnent.

Cap. 30. Gentis clarioris, quam animi.] Locutiones geminas libenter, vt vides, noto: inter eas & hæc erit, sed similis quidem dissimilis. quippe in formam eandem, mentem contrariam Infra igitur de Messala. Qui vir animo etiam, quam gente nobilior.

Eod. Inuidiam rerum non ad caussam, sed ad voluntatem personasque dirigere.] Etenim vt est non multo post, interdum persona, vt exemplo nocet, ita inuidiam auget, aut leuat. Et, raro inuidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur: sed qui eos suo arbitrio aut deposituri, aut retenturi videntur, & modum habent in voluntate.

Eod. Cuius Sulla imaginem sine re reliquerat.] Ita fidenter edidi, quamquam in nouissimis in vnam vocem coaluerat, sinere. quod vitiosum nemo tam stipes qui non animaduertat per se & corrigat. Nec ego de hoc vel monendum mihi putassem, nisi magis vitiose haberi deprehendissem in exemplari Aldino, in iure.

Cap. 31. Et pæne homine maior habebatur.] Vulgatum hoc nec mihi displicet: quia tamẽ è Rhenano (per omnia maiore vi habebatur) alij tentant, ludam eandem & ipse aleam: per omnia maior æuo habebatur: siue etiam propius ad scripturam, maior æui. quo de Græcismo alibi, cum Deo. Sic autem sæpe noster in laudibus magnorum virorum: sui æui maximus, princeps eminentissimus: item sui & omnis seculi optimus. quæ passim legenti sponte occurrent. Per omnia vero creberrimum dicendi genus, idemque cum eo quod supra tetigi, In omnia. infra. Per omnia repugnans naturæ suæ Cassius. Item Iulia per omnia tanti parentis ac viri immemor. De ipso Pompeio præclare multis locis Tullius: ad hunc Velleij apposite, pro Cornelio. In quo vno ita summa fortuna cum summa virtute certauit, vt omnium iudicio, plus homini quàm decet tribueretur.

Cap. 32. Sunt qui hunc carpant.] Momenti fere nullius est, quod dicam: dicam tamen, hoc legi sincerius.

Cap. 33. Et bello pæne inuictus, pecuniæ expellebatur cupidine.] Mancus Aldi conatus, ipso fatente. Vide si ego fortius: excellebatur. id est, superabatur. Mihi quidem verius, sed & literis simul quod vim minorem inferat excogitari nihil posse videtur.

Eod. Neuterque ab eo quod arguebatur, mentitus argui posset.] Stabile mihi, legere: neuterque adeo. quæ vox eodem forte modo corrupta inferius, eodem restituenda. Vbi de Cæsaris nece: Et libelli coniurationem nuntiante, dati, ab eo neque protinus lecti erant. Nam profecto efficatior oratio: Et libelli coniurationem nuntiantes dati adeo, neque protinus lecti erant. Hoc primum. Deinceps est, quod arguebatur. id ego potius quam retineam, mutem vel, quod arguebat, id mentitus argui posset: vel, quod arguebat, vt mentitus. Sic addetur vt (est autem quasi) leniendi criminis: & præter hoc, sæpe ita παρέλκει. Ad alios non abeo, in nostro maneo: qui infra: totam victoriam vt suam interpretaretur. Item: Interdum vt supplicem commendabant, interdum vt pro pari loquebantur: Non procul à principio huius libri: At hunc si quis tanti habitet, vix vt senator agnoscitur.

Eod. Nam neque Pompeius, vt primum ad Remp. aggressus est, quemquam animo parem tulit: & in quib. rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat.] De re notissimum hoc Lucani:

Nec quemquam iam ferre potest Cæsarve priorem,
Pompeiusve parem.

Cui respondet Florus lib. 4. cap. 2. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Quæritur & ipse Cæsar lib. 1. belli ciuilis: Ipse Pompeius ab inimicis Cæsaris incitatus, & quod neminem dignitate secum exæquari volebat. Noster paullo ante, Ciuis in toga, nisi vbi vereretur, ne quem haberet parem, modestissimus. Ibidem: In ciuitate libera dominaq; gentium, indignari, cum omnes ciues haberet pares, quemquam æqualem dignitate conspicere. De verbis, hoc muto, quemquam omnino parem tulit. neque quidquam verius. Eadem vox infra similiter destructa, iterum astruenda. De C. Curione, Cuius animo voluptatibus vel libidinibus neque opes vllæ neque cupiditates sufficere possent. Lego, Cuius omnino volupt. hoc tamen incertius; sed aliis forte, mihi sane certum. Sunt item Apuleij loca aliquot in eodem mendo; quæ ad istam faciem mihi iampridem emendata, nunc hoc ipso quasi digito aliis demonstrata, non vereor, ne nostris Quæstionibus præripiantur.

Eod. Qui eos, vt libentissime iniret, ita finiret æquo animo, & quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret.] Scribe, libentissimo. Exin quadra orationis postulat, & quod cupisset, arbitrio suo sumeret, alieno deponeret. Quod tamen non quiuis mihi assentietur; sed is demum, qui diligenti veterum, quique minus veterum accurate scripsere, auctorum lectione probe subactum habebit ingenium.

Eod. Et Lucullus, summus alioqui vir.] Leges, At Lucullus. siue mauis. Set Lucullus. Hoc quoque mendæ genus alibi multis exemplis persequor.

Cap. 34. M. Cicero qui omnia incrementa ſua ſibi debuit.] *Hinc ipſe Tullius in L. Piſonem.* Me cum quæſtorem in primis, ædilem priorem, prætorem primum, cunctis ſuffragiis populus R. faciebat; homini illi honorem, non generi: moribus, non maioribus meis, virtuti perſpectæ, non auditæ nobilitati detulerunt. *Item Philipp.* 7. Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos à ſe ortum hominibus nobiliſſimis omnibus honoribus prætuliſtis? *Sed & aliis locis ita de ſe, vt eſt hominis ingenium, frequentiſſime.*

Eod. Vir nouitatis nobiliſſimæ.] *Hac quidem forma ſermonis nulla eſt alia Velleio familiarior: cuius exempla ſi velim adſcribere, neceſſe habeam omnes fere paginas exſcribere.*

Cap. 35. Vt ardore oris orationem omnium, lenitatem ſuadentium ſocietate conſilij, ſuſpectam fecerit.] *Non damno, malui nihilominus olim:* orationem omnium lenitatem ſuadentium, ſociati conſilij ſuſpectam fecerit. *quod nemo neget apertius: aptius ego non affirmabo.*

Eod. Sic impendentia ex ruinis incendiiſque vrbis, & commutatione ſtatus publici pericula expoſuit.] *Vana ſcriptura vanum ſenſum gignit. Quæ pericula ex vrbis interitu & reipub. commutatione impendere dici poſſunt? immo erant hæc ipſa pericula, quæ Cato præuidebat, & Senatui tanta animi vi, tanto orationis ardore exponebat, vrbis ruina & incendium, ſtatuſque publici mutatio. Diſtingue igitur & ſcribe:* Sic impendentia, & ruinis incendiiſque vrbis, & commutatione ſtatus publici pericula expoſuit. *quod quo genere dicatur, intelligat quiſque facilius, quàm explicer.*

Cap. 36. At Catilina non ſegnius vota obiit, quam ſceleris conandi conſilia inierat.] *Varietas hic lectionum magna. Sed vbi multi conati ſunt, mihi non tam animus infringitur, quam inſtinguitur. Legam ergo:* mota obiit. *quod fateberis non inidoneum. Hoc enim vult, non fortius conſilia ſceleris iniiſſe, quam obiiſſe, cùm mouiſſet. Formulæ huius locutionis apud hunc frequentes. Supra de C. Flauio.* Quæ peſſime auſus erat, fortiter exſecutus. *De Cinna item,* Auſum eum, quæ nemo auderet bonus: perfeciſſe, quæ à nullo niſi fortiſſimo perfici poſſent: & fuiſſe eum in conſultando temerarium, in exſequendo virum. *Et hæc quidem in malam, iſta in bonam partem. De Cn. Pompeio ſupra:* Priuatis vt opibus, ita conſiliis magna auſus magnificeque conata exſecutus. *Sed dum hæc ſcribo, ecce alia mihi nata coniectura, neſcio an verior, priori ſcio argutior,* non ſegnius conata obiit, quam ſceleratius conandi conſilia inierat. *Penes eruditum lectorem vtriuſq; iudicium eſto.*

Eod. In ſuſpecti operis ſui carmine.] *Laus eximia Catulli, quam hodie multi ſunt Suffeni Catulliani; qui deterunt; homines venuſti, dicaces, et vrbani, longe plurimos item verſus facientes: ſed qui ſimul aut hunc ipſum aut huius ſimilem ex prima claſſe poetam attigere, caprimulgi rurſus aut foſſores videantur, adeoque inficeto omnes rure ſint inficetiores. tantum abhorrent ac mutent. Hoc tamen præter inſtitutum aut morem meum.* Suſpectus *ita poſitum vt in Apuleio* Conſpectus. *lib.* 10. *Metam.* Iamque rumor publice crebuerat, quo conſpectum atque famigerabilem meis artibus effeceram dominum.

Eod. Et conſecutus Salluſtium Liuius.] *Anxium hic locus virum doctum habuit, niſi dicendum potius, habuiſſe ipſum ſeſe. Nam quid illo clarius; Non hic ſui æui poetarum tantum catalogum recenſet Velleius, ſed plane clarorum hominum, qui, vt ait, oculis ipſis etiamnum inhæreant. Supra, quo ille hæc retrahere nititur, æui aliquanto ſuperioris enumerauit, in quo non collocauit Liuium, neque per ætatem certe potuit, cuius gradibus viros eminentes diſtinguit.*

Cap. 37. Prior filius Tigranis, ſed diſcors patris.] *Niſi me fallo,* diſſors patris, *ſcripſit auctor. Id eſt, diſſimilis: vt Propertio* conſors, *ſimilis.*

Tu qui conſortem properas euadere caſum.

Nec alio ſenſu infra capio, & ſcribo; L. Antonius conſul, vitiorum fratris ſui conſors, ſed virtutum, quæ interdum in illo erant, exſors. *quamquam non pugno, idem ſi cum vulgo & legas & intelligas. mihi opinari ita libuit.*

Eod. Mox ipſe ſupplex & præſens ſe regnumque ditioni eius permiſit.] *Verbum reſtituo notæ melioris, quàm quod adhuc legis,* quæſens. *Id ſi hic probem conuenire, operam inanem ſumam; inaniorem, ſi exẽpla anquiram. Norunt iam omnes è Plauto & Apuleio,* Quæſere *blandientis eſſe, pro Orare: mutata canina ira in ſerpẽtinum ſibilum: à* Quærere. *vt ſolebant in plurimis. Atque ita Bucretius meus obſeruauit in veteri Pariſienſi ſcriptum iſto quoque Terentij loco, Heaut.*

Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis;
Dum id quæſo, tibi qui filium reſtituerem.

Eod. Quæ omnis ſicuti Pompeio moris erat, redacta in quæſtoris poteſtatem.] *Recte hoc notatum Pompeio non peculiare, ſed commune omnibus. Igitur ego, quod aliis minus tentatum, voces aliter colloco:* Quæ omnis Pompeio, ſicuti moris erat, redacta. *Præpoſitionem omittere noſtro familiare. Supra de Ariſtonico;* ductuſq; in triumpho ſed M. Aquillio. *Et abhinc paullo poſt.* vbi nunc ſumus, Gallias primum Domitio & Fabio intratas cum exercitu. *Quibus locis de ſuo tamen Aldus, nimis forte liberaliter,* a *præpoſitionem addit. Nam & puerorum, qui triduum aut amplius qui ſub Orbilio meruerint, conſtructionis huius regula animi callent non minus, quam manus & coſtæ virgis.*

Cap. 38. Quæ cuiuſque ductu gens ac natio redacta in formulam prouinciæ.] *Fatebor, malui:* cuius quæque ductu: *neque hoc negabo, fruſtra. Eſt enim ſenſus, quæ & cuius ductu. Vt illud lib.* 1. Atque huic loco inſerere, quæ quoque tempore. *eſt, quæ & quo tempore.*

Eod. Notabimus, vt facilius è partibus ſimul vniuerſa conſpici poſſint.] *Hic ego Delphicam mihi cortinam optem, non modo vt alienarum mire variantium, verum & mearum vnius lectionum quæ veriſſima ſit, verare poſſim. Sed nequidquam opto. Tu qui Phœbi laurum momordiſti, ades age & reſponde de meis mihi. Placet coniungere cum prioribus? hoc quidem modo,* ſtipendia pacta ſit: notatis vt partibus, facilius ſimul vniuerſa conſpici poſſint. *An magis hoc?* Notabimus partibus, vt facilius ſimul vniuerſa conſpici poſſint. Partibus notare *eſt per partes ſeu particulatim notare. Sic ab aliquot lineis,* Inde varie poſſeſſa & amiſſa partibus, vniuerſa ductu Auguſti facta ſtipendiaria eſt. In partibus *pro eodem infra,* Horum XVI. annorum opera quis, cum inſerta ſint oculis animiſq; omnium, in partibus eloquatur? *Nihil agimus, tertium dabo, in quo manebo, Apolline volente. Exemplaris Aldini ſcriptura eſt,* notabimus facilius, vt quæ partibus ſimul vniuerſa conſpici poſſint. *Hinc ego nulla vocum mutatione, leuiſſima traductione, errantes & fluctuantes lectiones ſic ſtabilio,* vt quæ partibus notabimus, facilius ſimul vniuerſa conſpici poſſint. *Sententia pæne eadem eſt, quam pluribus extulit lib.* 1. *vbi colonias deductas enumerat.* Cum facilius cuiuſque rei in vnum contracta ſpecies, quàm diuiſa temporibus, oculis animiſque inhæreat; ſtatui priorem huius voluminis poſterioremq; partem non inutili rerum notitia diſtinguere. *Poteram ſuperioribus adiicere plura, niſi eſſent & hæc nimia. quæ ego ſimul vniuerſa notaui, vt quid partibus verum, facilius conſpici poſſet.*

Eod. Certum recepit imperij iugum.] *Eleganter* certum iugum, *pro firmo & perpetuo. Sic Florus lib.* 4. *cap. vlt.* Certa mox fides & æterna pax cum ipſorum ingenio in pacis partes promptiore & cum conſilio Cæſaris. *Martiali* Certus *frequenter pro duro & obſtinato, lib.* 5. *in Marianum.*

Nil mihi reſpondes? vxoris res agit, inquis.
Iſte meæ: ſane certus & aſper homo eſt.

Lib. 1. *ad Phœbum.*

Fac rata vota patris. ſic te tua diligat vxor;
Gaudeat & certa virginitate ſoror.

Cicero epiſt. ad Att. 21. *lib.* 5. *certum hominem, pro graui & moribus antiquis.* Q. Voluſium, tui Tiberij generum, certum hominem, ſed mirifice etiam abſtinentem miſi in Cyprum. *Sæpiſſime & Propertius de Cynthia rigidiore, & in ira pertinace, cuius te exemplorum congerie non onerabo.*

Eod. Cypro deuicta, nullis aſſignanda gloria eſt.] *Viſitatius erat,* Cypri deuictæ nullis. *niſi diſpectim legas potius,* Cypro de victa. *Sed ecce imprudẽti excidit* diſpectim, *vox tibi fore nouæ, mihi ſane antiquæ monetæ, ſed nihilominus etiam nouæ. Alia enim figura hic à me percuſſa. In Gloſſis veteribus, quas Henrici Stephani beneficio litteraria Reſp. recuperauit, legimus:* Diſceptim, σαφῶς, φανερῶς. *mendoſe abſque dubio: verum iam aliquot annos eſt, cum lux horum ſtudiorum & Germaniæ vniuerſæ Ian. Guilielmus, quem vnum Galliæ & Belgicæ ſupercilio obducere poſſumus, emendandum cenſuit,* Diſertim. *Ego pace manium eius, quem viuum (ſerio doleo) nec vidi per ætatem nec noui, mortuum è ſcriptis viſum & notum optime, amore & honore pio veneror maxime, ſeorſum ab hoc iudicio abeo: propiuſque fortean vero, minori certe licentia, coniicio,* Diſpectim. *Id erit à diſpiciendo, deque eo dicetur, quod σαφὲς aut φανερὸν eſt, planeque diſpici & perſpici poteſt. Hanc formam eius antiquam habes: nouam nunc à me indidi, modo hoc licere mihi putas per ſenatum Antiquariorum. Sed periculum ſubij, & formaui à* Diſpectum. *quod à* diſpeciſcor *eſt, notum non nimis ſupinis ſupinum. Sed hæc quoque, mi lector, fuerit quædam velut ἐκβολὴ τοῦ λόγου· immo verius ἐμβολὴ τοῦ λόγου.*

Eod. Regis morte, quam ille conſcientia acciuerat.] *Potius eſt, vel* ipſe, *vel* illi. *quod poſterius cenſeo potiſſimum.*

Eod. Creta, Metelli ductu, longiſſimæ libertatis fine multata. Et Syria Pontuſque.] *Diſtinguo & ſcribo:* fine multata eſt, Syria Pontuſque. *quod quiuis verum ſtatim agnoſcet.*

Cap. 39. Ignauum conferunt ſtipendium.] *Manutij coniectura non diſpliceat, niſi videatur ſuperuacua. Inſultat enim quodammodo auctor contumelioſa voce Gallis: qui bello celeberrimi & ante hac inuicti, nunc velut fracti & ignaui ſtipendium Romanis pariter cum aliis gentibus ſoluant.*

Eod. Ab eodem facta Numidia.] *Sequendi Sol Italiæ Sigonius, & flos ſubnaſcẽs Germaniæ Schegkius. Alij nimium diuini ſunt. quos ſi imitari luberet, ne nobis quidem appoſite aliquid comminiſci foret difficile.*

Cap. 40. Tribuni legem tulerunt.] *Conſidera orationis & hiſtoriæ ordinem & rectius,* tulerant, *videbitur.*

Eod. Itaque & Lucullus, memor tamen acceptæ iniuriæ.] *Striga, & ſiſte aliquantiſper ad illud* tamen. *Nec enim accipies vulgariter. Aut enim abundat in ornatum, quomodo in Propertio ſæpe: notante omnis eruditionis principe Scaligero: aut quod nouitius ego, vereor ne & vitioſus cenſor iudico, poſitum ſignificatione τοῦ* etiamnum, *ſiue* adhuc. *Nimis noue, inquies: ſed vide opinionem vnde hauſerim. Eram in Atticis M. Tullij epiſtolis, quas amo cum iis, qui vehementiſſime. Inibi li.* 4. *Ep. vt hodie numerãt,* 16. *locum iſtum legebam, à Mureto iam olim tentatum.* Quid aliud noui? & tamen, abſoluto Gabinio, ſtomachantes alij iudices, hora poſt, Antiochũ Gabinium, neſcio quem è Sopolidis pictoribus libertum, ac accenſum Gabinij, lege Papia condemnarunt. *Eum corrigere tentabam & ipſe, non mihi ſatisfaciẽte viro, quem dixi, clariſſimo, ſi ita legeremus.* Quid aliud noui? etiam. Abſoluto Gabinio. *Et eſt hoc quidem ex more Ciceronis, cum exhauſta iam ſcribendi materia noua quærit litterarum capita. Vt vel fine ſextæ lib.* 2. Aliud quid? etiam: quando te proficiſci iſtuc putes, fac vt ſciam. *Nec aliud fere frequentius hac iſta cogitandi velut & captandi formula:* Quid? quid? etiam: *Poſtea viſum mihi, quod vulgatum, retinere mutata leuiter interpunctione.* Quid aliud noui? & tamen. Abſoluto. *Vt ſit idem cum illo altero* etiam: *quomodo capiendum forte & ep.* 6. *lib.* 10. Meas cogitationes omnes explicaui tibi ſuperioribus literis. quocirca hæ ſunt breuiores: & tamen, quia feſtinabam, eramque occupatior. *Idem de Senect.* Ceteraque grauiſſime. notum enim vobis carmen eſt. & tamen ipſius Appij extat oratio. *Nec aliter Apul. Florid.* 4. Nihil quidquam homini tam proſperum diuinitus datum, quin & tamen admiſtum ſit aliquid difficultatis. *Nam ſic in veteribus: quod hac forma ſe facile tueatur à correctorum ſtilis. Propertij illud certe ſic intelligi velle tantum non clamat. lib.* 2. *Eleg. vlt.*

Sed non ante grauis taurus ſuccumbit aratro,
Cornua quàm validis hæſerit in laqueis.
Nam tu tam duros per te patieris amores?
Trux tamen, à nobis ante domandus eris.

Quorum verſuum primo ſcribi etiam malim graui: *vt graue aratrum reſpondeat duris illis amoribus: in qua oppoſitione vis eſt aliqua ipſius comparationis: quam eandem & aliter expreſſit eodem libro Eleg.* Qui nihilum.

Ac veluti primo taurus detrectat aratra;
Mox venit aſſueto mollis ad arua iugo:
Sic primo iuuenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti poſthæc æqua & iniqua ferunt.

Cap. 41. Hic nobiliſſima Iuliorum genitus familia, & quod inter omnes antiquiſſimos conſtabat, ab Anchiſe ac Venere deducens genus.] *Non incongrua lectio: ſed vel deierarim non Velleij. qui mihi quidem ſcripſiſſe ſic videtur:* & quod inter omnes conſtat, antiquiſſima ab Anchiſe.

Eod. Munificentiæ effuſiſſimus.] *Legendum* munificentia, *vt forma ſermonis vſquequaq; par ſit. Nam præceſſit,* vigore acerrimus, forma excellentiſſimus. *Et hoc ad elegantiam ſtructuræ in oratione multum facit. Alias ſcio noſtrum illud quoque locutionis genus amare, in quo & à nobis emendabitur. ſed qui,* effuſus munificentiæ, *latine dici poſſe mihi perſuaſerit, omnia deinceps, quæ non ſunt perſuadebit.*

Eod. Qui denique ſemper & ſomno & cibo.] *Subiit aliquando Plautinum* quippini *reponere:* quippini? qui ſemper & ſomno. *Sed nec opus eſt, nec Plauti ore, quamquam illa vox & aliorum, noſter loqui fortaſſe velit.*

Eod. Diſſimilemque fortunæ ſuæ indutus habitum.] *Sequar heic delicium illud humanitatis, & leporis vernuli fontem, Ian. Palmerium: quem cum nomino, ſubit animum idem ille dolor, qui ad Gulielmij noſtri mentionem. Ah fata. neutrum igitur fas fuit ſupereſſe, qui ad ſolidam gloriam & ſuam & patriæ matureſceret? quæ inuidia, in ipſo flore ætatis vernantium ingeniorum indolem exſtinguere? Vere inuidia. Florere vix inceperat Palmerius; ecce à tergo Mors cum falce, & incidit rapitque nouellam Germaniæ ſtirpem, ne palmam doctrinæ ceteris populis omnibus raperet. Huic noua ſuboles Gulielmius ſuccreſcebat. non paſſa eadem peſtis & illũ ſternit liuido telo, quo ſtrata ſimul ſeges omnis famæ: in cuius erecta ſpem & fiduciam Germania damnum alterius acceptum obitũ iam ferebat facilius, & caput erigebat altius, vt infra ſe gentes alias deſpiceret. Heu, quàm fruſtra. Deiecit verticem illum ſubita vertigine lethalis inuidiæ plaga, ne quidquam eſſet, quo non iactare ſe, ſed vel ſolari caſus ſuos poſſet. Illi vero tamen viuunt viuentq;, dum litteræ viuent: nec abolere aut corrumpere fructus illos ſcriptorum vlla poterit inuidia. quos quidem vterq; vere primo tales edidere tantoſq;, vt auctumnis aliorum niſi tempore, quo & præcedunt ipſi, concedant nihil. Sed miſſo, qui me numquam mittet, dolore, quo abrepti ab inſtituto ſumus longius: ſequar tandem Mellerum, melleum mihi ſimul*

& felleum nomen. & quomodo ille primus in Plauto nouam vocem repoſuit, Simulus: *ita hic ego formatam ex ea re reſcribere conabor genuinam germanam,* Diſſimulus. *Nam obſecro, quid maiori cum elegantia erit, quam ita ſi legamus?* diſſimulumque fortunæ ſuæ indutus habitum. *Habitu enim illo diſsimulabat fortunam ſuam, ne qui eſſet, noſceretur. Sic eo, quem dixi, Plauti loco, Trinum.*

Sed quis hic eſt, qui in plateam ingreditur, cum
nouo ornatu ſpecieque
Simula?

Species ſimula, ſimulata eſt & quaſi perſonata. Itidem ſimule *pro ſimulate legit idem ille in Quadrigario, cuius locum non parcam, ſed alia cauſſa adſcribere.* Fabius de nocte cœpit hoſtium caſtra ſimulè oppugnare: eum hoſtem delectare, dum collega id caperet, quod captabat. *Hic fuiſſe memini, cum auderem aliter:* cum hoſte deluctare. *ſed debet retineri* delectare, *non vna ratione. Cuius ipſius verbi quod Palmerius ibidem exemplum affert ex Thyeſte Ennij:*

Nec me Apollo ipſe delectat, ductat Delphicus.

in eo ſic potius videbatur. Heu me. Apollo ipſe delectat, ductat Delphicus. *ſiue* Hei, *aut* Væ: *aliud ve quid tale, vt exclamatio ſit ipſius Thyeſtis, conquerentis, adeo ſibi rem iam rediiſſe, vt fides nuſquam ſit, ne apud Apollinem ipſum quidem, qui ſe vanis & incertis reſponſis ludos faciat. Poteſt etiam,* Nunc me Apollo. *Vetuſte enim omiſſo* n, *& o vicem* u *exarato, ſcriptum fortaſſis* Noc: *quod in* Nec *poſtea inſcitia commutauit. Sed hoc totum & coniectura & re ipſa leue. quippini? ſpicam è ſpicilegio.*

Cap. 42. Lætuſque nocturnæ expeditionis triumpho, ad ſuos reuectus eſt.] *Aliam diſtinctionem adhibuerim:* Lætuſq; nocturnæ expeditionis, triumpho ad ſuos reuectus eſt. *Nam triũphum expeditionis non intelligo aut intelligere nolo, vt vulgus.* Lætus *autem &* Lætor *genitiuo iũgi, nemini nouum, niſi cui latinum cœlũ non notum. Et quod ſequitur* triumpho; cum *ſubintelligitur. ne id quidem inſolenter. Redibat Cæſar exultans & triumphabundus.*

Eod. Tum idem enim Aſiam obtinebat.] *Non aſſeuerabo rectius;* commodum enim, *deterius negabo, quam quod alij afferunt. Quin edico nihil mutandum.* Idem *pro* Is *perſæpe in Apuleio, etiam Gellio: qui lib.* 16. *cap.* 8. Item quod illi συμπεπλεγμένον, nos vel coniunctum, vel copulatum dicimus, quod eſt eiuſdem modi. *pro eiuſmodi. Nam exemplum ſubiicit. Vt appendix prouocabulo,* Dem, *ornatus ſaltem gratia addatur. Sed iam quid iis fiet vocibus, ex hac, vt & priori editione eiectis? Nam in vetuſtioribus:* Aſiam eam quam obtinebat. *Placet ne recipere & legere,* Aſiam eandem? *Vt formam, de qua modo, iterauerit. Eam quidem Aſiam, interpreter illam oram Aſiæ ſeu partem. quomodo Cicero ad Att. lib.* 5. *epiſt.* 21. Iter igitur ita per Aſiam feci, vt etiam fames, qua mihil miſerius eſt, quæ tum erat in hac mea Aſia (meſſis enim nulla fuerat) mihi optanda fuerit.

Cap. 43. Viri in tantum boni, in quantum humana ſimplicitas intelligi poteſt.] *Sic fere ſupra de Paullo:* Virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus poteſt.

Cap. 44. Nec minus diuerſo quoque tempore, ipſis exitiabilis fuit.] *Leuis error leuiter corrigetur,* Nec minus, diuerſo quoque tempore: *Omnibus exitialis ſocietas, ſed diuerſo cuique tempore.*

Cap. 45. Conſeruatæ patriæ pretium calamitate exſilij tulit.] *Minimo minus turpe monere, legendum,* calamitatem.

Eod. Idem P. Clodius ſub honorificentiſſimo.] *Voculas,* in ſenatus, *vulgo inſertas deleui. Sic monuit Iuriſconſultorum & Antiquariorum maximus, ipſa imo Iuriſprudentia & Antiquitas, Cuiacius: & inſcite repetitas è ſuperiori verſu docuit.*

Cap. 46. Inuictum par conſulum.] *Quomodo inuictum video, ſed profecto aliter Velleium ſcripſiſſe, mihi ſubolet, neſcio vnde. neque ſum tam ſagax coniecturæ, vt veri veſtigia inueniam, etſi animum verto in omnia. Forte* inuiſum: *vt quorum occultam conſpirationem iam populus olfecerat. Forte,* inuinctum: *vt ſimul reſpiciat, de quo ſimul agit, ad Cæſarem, cum quo hi potentiæ ſocietatem inierant. Inuinctos ergo dixerit, quaſi complices, & vinclo coniurationis mutuo innexos. Nihil definio.*

Cap. 47. Septimo ferme anno.] *Menda hæc eſt, & non eſt. Antiqua ſcilicet ſcriptura, pro* ſeptimum ferme annum: *quomodo hodie velim reponi. De ſequentibus ita Florus lib.* 4. *cap.* 2. Exinde quoniam mutuo metu tenebantur, Craſſi morte apud Parthos, & morte Iuliæ, Cæſaris filiæ, quæ nupta Pompeio, generi ſocerique concordiam matrimonij fœdere tenebat, ſtatim æmulatio erupit. *Simillima Lucanus lib.* 1.

Cap. 48. Cuius animo, voluptatibus.] *Supra* omnino *legendum videri monui. quod quo conſidero magis eo placet magis.*

Eod. Et coaleſcentis conditiones pacis.] *Parum forſan intereſt, ſed è conſuetudine Velleij verius,* coaleſcentis. *Sic infra:* Sepultis, vt prædiximus, bellis ciuilibus, coaleſcentibuſque reipub. membris, quæ tam longa annorum ſeries lacerauerat. *Venit hic in mentem Iuſtiniani loci, quem operæ pretium erit, à doctiſsimi hominis correctione vindicare, lib.* 18. Hoc igitur modo Tyrij Alexandri auſpiciis conditi parcimonia & labore quærendi cito conualuere. *Mutat quidam,* coaluere. *minime ad Iuſtini genium: cui* conualeſcere *ſignificat creſcere, ſeu potentia augeſcere, lib.* 3. *vbi de Carillo Polybytæ filio Lycurgo:* Medio igitur tempore, dum infans conualeſcit, tutelamque eius adminiſtrat, non habentibus Spartanis leges inſtituit. *Et ibidem paullo poſt:* His igitur moribus ita breui ciuitas conualuit. *Idemque verbi reſtituo lib.* 36. *vbi de Ægyptiis & eorum ſacris;* Semperque exinde hic mos apud Iudęos fuit, vt eoſdem reges & ſacerdotes haberent: quorum iuſtitia religione permixta, incredibile quantum coaluere. *Indubie ſuperiorum locorum exemplo,* conualuere, *ſcribendum.*

Cap. 49. Et illa glorioſa, hæc terribiliora ducet.] *Coniectaui aliquando,* hæc vero vtibiliora. *Alterius enim, vt ſupra eſt, cauſſa melior videbatur, alterius erat firmior: apud alterum omnia ſpecioſa, apud alterum valentia. Quamquam nunc vulgatum non reiicio, & ſcio quo genere defendi poſsit.*

Cap. 50. Duce aliiſque qui voluerant abire ad Pompeium, ſine dilatione dimiſſis, perſecutus Brundiſium.] *Leuiter hæc traiicienda ſic videntur:* ad Pompeium, dimiſſis ſine dilatione perſecutus.

Cap. 51. Quominus &, cùm vellet, ipſe exercituſque claſſibus perueniret.] *Meo animo rectius,* & quo vellet. *alterum quam vim habeat, (non pudet fateri) neſcio.*

Eod. Quibus non Hiſpaniæ Gadibus natus, ſed Hiſpanus in triumphum & Pontificatum aſſurgeret.] *Fœde corruptus locus, in quo alij & ante conniſi, non profecerũt hilum. Si eiicere iſta liceret,* ſed Hiſpanus; *rem factam habebam:* quibus homo Hiſpaniæ Gadibus natus, in triumphum. *Alias, mutabam:* natus, ab Hiſpanis in triumphum. *quod ſic probo, vt quod paullo plus, quàm nihil. Etiam traiectio mihi tentata:* quibus homo Hiſpanus, & Hiſpaniæ Gadibus natus, in triumphum. *Eamque non ſpernandam putem. Obiectum enim illi, Gadibus natum eſſe, in accuſatione, vt minus honorificum, ex Ciceronis oratione pro eodem paret. Occurrunt & nunc alij modi, quos premo, ne ſine modo vanum hoc diuinandi genus habeam. Fortuna quadam in talibus opus eſt, quæ conatus noſtros in hac arte, ſiue ſtudium eſt tantum, emendandi, ſæpius auerſa deſtituit, vbi reſpicere etiam propitia putatur. De ipſo Cornelio Balbo, quem ſuo modo noſter Balbum*

noſter Balbum Cornelium, verſo nominum ordine, vt in aliis plerumque (& hoc pridem homines docti accurate notarunt) multa præclara Tullius memorat loco, quem dixi: ſed ante hæc tempora & hoc facinus.

Cap. 53. Quos comites ei fortuna aggregauerat.] *Vates,* victores darent, *contra virum doctum, ſpuriæ mihi & irreptitiæ cum elegantiſsimo Schegkio iudicatæ, damnatæ.*

Eod. Viri in id euecti, ſuper quod aſcendi non poteſt.] *In laudibus Pompeij, Iupiter, vt luxuriat vbique Cicero. cui innatum Pompeianarum partium amorem noſter ſcripſit. Poſt reditum in ſenatu.* Cn. Pompeius omnium gentium, omnium ſeculorum, omnis memoriæ facile princeps. *Ad Quirites:* Cn. Pompeius vir omnium, qui ſunt, fuerunt, erunt; virtute, ſapientia, ac gloria princeps.

Cap. 54. Nuſquam erat Pompeius corpore, adhuc vbique Iubæ nomine.] *Meam hic quoque ſymbolam conferam:* adhuc vbi vbiq; nomine. *Sic fere dictum,* vt longe longeque, magis magiſque, nimium nimiumque.

Cap. 55. Ibi primo varia fortunam expugnauit via.] *Hoc quidem inſanum, cui nec medicina viri docti multum profuit. Ego videor perſanaſſe:* Ibi primo varia fortuna, mox pugnauit ſua. *qua lectione quicumque lector nihil eſſe lectius fatebitur.* Sua fortuna, *de eo, cui Reſpiciens & Obſequens. Proprie vero de Cæſare, cuius omnibus conatibus fortunam ſcripſiſſe Cicero, ni fallor, alicubi dicit: & multi in hanc ſententiam alij cum magna Cæſarianæ felicitatis admiratione. Itaque & noſter paullo ante:* Sequens fortunam ſuam Cæſar. *nec poſt longule:* Sua Cæſarem in Hiſpaniam comitata fortuna eſt. *Noſtri autem Dij, venti, & conſimiliter de aliis, cum fauentes ad votum & propitij, vulgata iam formula: qua illud Iuſtini quoque legi placet, lib.* 2. Magna igitur in pugnam euntibus alacritas animorum fuit, adeo vt cum mille paſſus inter duas acies eſſent, citato curſu ante iactum ſagittarum ad hoſtem venerint: nec audaciæ eius, euentus defuit. *Corrigo:* nec audaciæ ſuus euentus defuit. *Quoniam autem ad Iuſtinum iterum delapſi, vt ſæpe antea, ſumus, non diſcedam prius, quam ternas eodem è libro, ſed paruas, quod poſt Bongarſium, & Modium, viros maxime induſtrios & felices neceſſe eſt maculas detergeam. Ante hunc locum, de Solonis ſimulata dementia, eſt.* factoque concurſu hominum, quo magis conſilium diſſimularet, inſolitis ſibi verſibus ſuadere populo cepit, quod vetabatur. *Malim,* inſolitis ibi. *Etiam anterius, de Athenienſium origine.* Et quia non vt ceteræ à ſordidis initiis ad ſumma creuere. *Diſtinctio ſaltem mutanda:* Et quia non, vt ceteræ, à ſordidis. *Ad finem libri propius:* Namque Athenienſes poſt pugnam Marathoniam, præmonente Themiſtocle, victoriam illam de Perſis, non finem, ſed cauſſam maioris belli fore, cc. naues fabricauerunt. *Tempus narrationi magis appoſitum,* fabricauerant. *Hæc ita breuiter. nam quid in talibus moram exigat?*

Cap. 56. Imponendo capiti eius.] *Vere audax & indignum facinus, præter mille alios, elegantiſsime Cicero* 2. *Philipp. narrat, & exagitat acerrime cum hac, tum inſequentibus ferme omnibus.*

Cap. 57. Ab eo neque protinus lecti erant.] *Superius adeo legi. quod hic iterum moneo, ne temere prætereatur.*

Cap. 58. Et illud decreti Athenienſium celeberrimi exemplum.] *Iuſtinus lib.* 5. *memorat. Ipſum decretum* μὴ μνησικακεῖν. *de quo certatim hiſtorici. Quod ad Velleium; de tota re ipſe Cicero præclariſsime initio Oration. Philipp. primæ:* Nec vero vſquam diſcedebam, nec à Repub. deiiciebam oculos ex eo die, quo in ædem Telluris conuocati ſumus, in quo templo quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis: Athenienſiumque renouaui vetus exemplum. Græcum etiam verbum (τῆς ἀμνηστίας) vſurpaui, quo tum in ſedandis diſcordiis erat vſa ciuitas illa, atque omnem memoriam diſcordiarum obliuione ſempiterna delendam cenſui.

Cap. 59. De cuius origine, etiamſi pręuentis & pauca dicenda ſunt.] *Falſi ſuſpecta vox,* præuentis. *Nam quid ob hanc rem ſe excuſet? an aliorum omnium origines ante ipſum indictæ intactæ aliis, quas paſsim heic inſerit? aut cur non & ibi excuſat idem? Sed legẽdum arbitror,* etiamſi properanti, heic pauca dicenda ſunt. *Feſtinare ſe innumeris locis ait, quin & curſim, & in tranſcurſu omnia hæc ſcribere: adeoque opus ipſum appellat tranſcurſum. Sic ergo rectius moram excuſet. Nec à literis abitur longius, corruptionis originem ſi ſpectes, quæ intelligentibus obuia monſtrari non deſiderat. Quod ſi malis, etiam mihi volenti erit ſcribere,* properanti, ſed pauca. *Illud tamen quoque* Heic *&* Hei, *ſæpe in* Et *librariorum incuria deprauauit. quod eueniſſe & Propertij iſti loco cenſeo, lib.* 3. *Eleg.* Quid mirare.

Quid? modo quæ noſtris opprobria vexerit armis,
Et famulos inter fœmina trita ſuos,
Coniugis obſceni pretium Romana popoſcit
Mœnia, & addictos in ſua iura patres.

Quamquam enim hoc prius & *pro* etiam *defendi poſsit, non negabis tamen ardori orationis, & indignitati rei magis conuenire* σχετλιαστικὸν *illud:*

Hei famulos inter fœmina trita ſuos.

Idem accidit & Flori, quantum nunc memini, duobus locis lib. 2. *c.* 19. In ſe conuerſis Marianis atque Sullanis, nouiſſime Pompeij & Cęſaris manibus, quaſi per rabiem & furorem & nefas ſemet ipſe lacerauit. *Certe enim corrigo:* quaſi per rabiem & furorem (hei nefas) ſemet ipſe lacerauit. *lib.* 4. *cap.* 2. Si moram belli quatuor annis, & pro clade rerum breue tempus. *legendum pronuntio:* Si moram belli; quatuor annis: hei pro clade rerum breue tempus. *Memini idem quoque in pluribus aliis, verum nos ad Velleium. in quo quidem poterat & ſcribi* breuianti. *Facit enim heic quaſi Breuiculum eorum omnium, quæ in illis iuſtis voluminibus toties tanta oſtentatione promiſsis, late & copioſe perſecuturus fuit. Poterat denique* prementi: *ad literas omnium proxime: id eſt, coarctanti; cohibenti. Vt Virgil.* Et premere & laxas ſciret dare iuſſus habenas. *quamquam eadem vox huic etiam ſignificationi ſuſcipit aliquando contrariam. Sed laqueum coniecturis.*

Eod. Omnem ordinem & necis & teſtamenti Brundiſij comperit.] *Ad marginem aliorum librorum,* ordinantem, *è quo nihil verius quàm,* ordinem ante, *reponendum.*

Cap. 60. Maluitque auunculo & Cæſari de ſe quàm vitrico credere.] *Eradendum* & *fortaſſe, cui videatur. ego nego. Vis illi peculiaris ineſt. Maluit primo vt auunculo, deinde vt Cæſari, tanto viro & tali, de ſe credere, quàm vitrico, non ea forte (vt ſolet non minor ſæpe vitricorum, quam nouercarum eſſe malitia) in priuignum voluntate, neque ea prudentia & iudicio.*

Eod. Antonij & Dolabellæ.] *Quæ duo capita* nata eſſe poſt homines natos teterrima & ſpurciſſima, *Tullius inquit,* 11. *Philipp.*

Eod. Atque omnia pretio temperata, vendente Rempub. conſule.] *Malim,* itaque: *vel ſi videbitur,* adeoq;. *Nam expreſſum minime placet. De re frequentiſsimè vehementiſsimo cum ſtomacho Tullius in Philipp. quarum ſecunda:* Cum domi tuæ turpiſſimo mercatu omnia eſſent venalia. *Ibid.* Cuius domus quæſtuoſiſſima eſt falſorum commentariorum & chirographorum officina: agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitioſiſſimæ nundinæ. *Ibid.* Neque vectigalia ſolum, ſed etiam imperium pop. Rom. huius domeſticis nundinis immunitum eſt. *Ibid.* Omnino nemo vllius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor.

Item 3. Vna in domo omnes, quorum intererat totum imperium pop. Rom. nundinabantur. Item 5. Sed quorsum Ciceronem exscribemus? cuius integræ potius orationes, quàm frustra legantur.

Cap. 62. Dum Respub. constaret concordia.] Non constat lectioni sua sinceritas, ni Reipub. scribatur.

Eod. Et D. Bruto, quod alieno beneficio viueret, decretus triumphus.] Nisi vigilans somnio, legẽdum: quom alieno beneficio viueret: Octauij nempe, à quo Mutinensi obsidione liberatus fuerat. Inuidiose hoc Velleius.

Cap. 63. Asinius autem Pollio firmus proposito.] Si Velleij scripturam diuinando sum vnquam assecutus, heic me frustra minime fuisse arbitror: firmus propositi. Merus amor, meræ deliciolæ nostri, iste sermo: quo & paucis supra lineis vsus, irritus consilij. Alibi, modicus virium, & immodicus gloriæ. aliaque similia. quorum exempla & in aliis scriptoribus plurima, veluti gemmæ insignes, emicant.

Cap. 64. Quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonij memoriæ inussit notas.] In eandem sententiam de re eadem ipse Cicero, verbis quoque fere iisdem, Philipp. 13. Quem ego inustum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriæ sempiternæ. Sed ante ea verba male illud cusum est, in editione quidem recentissima Gothofredi, qua semper hoc tempore vsus sum, fidei illa non prorsus optima: sed enim alia mihi nulla præ manu, ad quam comparem, quæ inde necesse habeo depromere: Sic igitur ibi. Pergit in mea maledicta; quasi vero ei pulcherrime priora processerint. At scribendum erat, Pergit in me maledicta: quod nescio, an liquido alij libri præferant. Mihi quoniam inibi essem, monere obiter visum: vt & illud, quod mox ibidem sequitur. Ego lanista? & quidem non insipiens. deteriores enim iugulari cupio, meliores vincere. Hic, incertum quid, ad marginem editor coniicit. sed quasi cuiquam incertum sit, certam lectionem, equidem, esse. Nisi si hic obsibilabunt mihi nouitij scribendi artifices, qui idem istuc esse substrepant; vt Etquid æquiualet τῷ Ecquid. Sane hoc scio. sed Dij male tam spinoso hominum male feriatorum acumini. Quæ ista tam profunda nouandi omnia cupiditas? quæ tam superciliosa in nihili rebus ostentatio? Doctos arbitremur, qui in his se iactant? Inscitiam & stultitiam suam produnt. At enim antiqua, inquiunt, hæc scribendi ratio. Quid, si ego negem? Non enim probant diffracti, distracti isti atque ipsa vetustate pæne consumpti lapides, in queis paucula eiusmodi, errore magis, quàm scribendi aliquo more. Iam vero aliud hoc argumentum: ipsam compositionis & originis rationem ita postulare. Sane si illud sequendum, vt eadem forma composita sint, qua simplicia, cum resoluuntur; omnes sufflati annitamur adniti & subflare scribere. At quis vnquam veterum & sane sapientium Grãmaticorum tale quid præcepit? Ne diutius nuger, vno telo cõfigam & cõficiam omnes istiusmodi ratiuncularum ineptissimas argutias. Sermo quidem tacitus scriptura est, & scripta vox imago muta viuæ vocis. Vt loquimur igitur, ita scribendum, & ex pronuntiationis consuetudine moderanda consuetudo scriptionis. Non autem asperam illam veteres & confragosam, quæ fit in compositione vocum ex consonantium vtrinq; iungendarum concursu, pronunciationem amabant: oderant imo acerbissime, & vitabant diligẽtissime: lenitatem vero in omnibus sectabantur & facilitatem, vt molliter verba fluerent, & sermo placide sedati instar amnis decurreret. Hinc si qua erat in componendis verbis austeritas, molliebant & coaptabant inter se leni & leui quadam mutatione: cuius frequentissimum ac potissimum inter cætera illud genus, vt priorem consonantem posteriori conformarent. Ita allicere, quàm adlicere, colligere, quàm conligere, & his reliqua similia omnia malebant. Quid ergo scribere eadem omnia eodem quo dicuntur modo renuamus? De lenitate pronuntiatus, vt ad aurem iucunde verba & suauiter accidant, sæpe Gellius agit hoc loco ea nobis occasione tali quodam in loco corrigendus. lib. 15. c. 3. Sed illud magis inspici quærique dignum est, versane sit & mutata Ab prepositio in Au syllabam propter lenitatem vocis, an potius Au particula sit propria origine. Scribes, propter lenitatem. Sic paullo superius. Sed eam præpositionem, quo fieret vox pronuntiatu audituq; lenior, versam mutatamq; esse in Au syllabam. Nec aliter lib. 16. cap. 6. Tum longo vsu loquendi corruptam vocem esse, & ex Bidennibus Bidentes factum; quoniam id videbatur esse dictu facilius leniusq;. Vbi libri Stephanici quoque, leuiusque. quam vocem ipsam libri tamen vetustiores prorsus ignorant. Sed hæc de re non maximi ponderis acerbiuscula pauca iuuenilis mihi calor expressit, quibus non lacessere magistellos insanos volui, aut fastum eorum reprimere, quem premere nemo valeat: sed monere æquales meos, quorum plurimos ieiuno animo nouatam istam, pro antiqua, scribendi consuetudinem affectare video & doleo. Hinc ad Ciceronis locum reuertemur, quem nunc succurrit aliter, & melius forsan emendari posse. Legam enim: Ego lanista? id quidem haud insipiens, vt subintelligatur, dictum, aut quid simile. Id namq; innuit Cicero, non inepte plane lanistam se appellatum, qui quidem iugulari malos, vincere bonos cupiat. Sed non ante hinc abeo, quia commode redire posthac non erit, quam ex iisdem Philippicis vnum etiam, si forte, mẽdum auferam. Fine vltimæ. Cumque legio martia princeps cum hostibus conflixerit, atque ita cum maiore numero hostium contenderit, vt plurimos cederent, caperent nonnullos; cumque sine vlla necessitate pro patria vitam profuderint. Minime conuenit, sine vlla necessitate: quod quomodo interpolẽt, vidi: sed opinor aptius, summa necessitate. Nam sic solet in talibus rebus, summo Reipub. discrimine, necessario Reipub. tempore: & aliis modis, qui in sententiis dicendis vsurpati.

Eod. Sed tribuni sanguine commissa proscriptio.] Mutaturus eram, commista. nunc exaudio, vt quasi cum mortuo etiam commissa in luctam sit proscriptio. Hic quoque Gelliani loci recordor, quem meo more ponam, vt emendem. lib. 17. cap. 11. Atque illam, de qua Erasistratus dixerit, ἐπιγλωττίδα non idcirco in eo loco cõstitutam, ne quid ex potu influeret in arteriam (nam pulmoni quoque fouendo rigandoque vtiles necessariosque humores videri) sed appositam quasi moderatricem quandam arbitramq; prohibendi admiscendive, quod ex salutis vsu foret. Lego, prohibendi admittendive. Rectius enim prohibere & admittere inuicem opponuntur. ad hoc, idem verbum postea de re illa ipsa reperitur.

Cap. 66. Plus Cæsarem patris, quàm se amici vltione debere.] Nisi grammaticorum genij mihi sunt irati, certo vltioni legendum statuo. Leue hoc quoque: at leuia ista persequi, non tam mihi indecorum, quàm reliquisse, aliis non gloriosum.

Cap. 68. Nec minus ingeniose nequam.] Nam & ita de Curione supra: Suæ alienæq; & fortunæ & pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissime nequam.

Eod. Cum ne in modica quidem seruare posset.] Hoc si quis intelligere se profitetur, dubito: eum non intellexisse, qui emendare aggressus est, certo scio. Mentem ego loco reddam; hoc de me audacter: verba ipsa Velleij germana, omnia non pollicebor. Sed lego, cum in re modica nequitiem saturare non posset. Optime sic orationis inter se membra cohærent, & sententia fit, cui aliam auctor voluisse non potest. Cum in angustia rerum & egestate voluptatibus indulgere & explere libidines Cœlius nequiret, ad turbandam Rempub. se contulit, & molitus est, quæ Velleius narrat. Verbum saturare, vtrum auctor hic posuerit, ambigo: conuenientius excogitare mihi negatum. quod si quis poterit, à me gratiam inibit non minorem, quàm toto de collegio literatorum. Nequitiem vero hic germanam vocem, sic videor affirmare posse, vt quod

certissimum. Nec vero ipsa res dubitare quemquam sinet, vim verbi modo nouerit: quam discere vel è Donato, vel Gellio poterit, si nouit minus.

Eod. Quippe peior illi res familiaris, quàm mens erat.] Et hoc idem infra de Rufo Egnatio repetit, solemni sui ipsius imitatione. Cum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus, nec melior illi res familiaris, quam mens foret.

Eod. Incepto pari similis fortuna Milonis fuit.] Cusum non moueo; de coniectura nostra saltem moneo: Interfecto pari; quod puto erit, qui pro meliore lectione habeat. Par pro compare, collega, siue socio & æquali. Cicero in Pisonem: Edicere est ausus cum illo suo pari, quem tamen omnibus vitiis superare contendit.

Eod. Quatenus autem aliquid ex omissis peto.] Scripsit Velleius, Quatinus. Id illius & inferioris seculi scriptoribus est, quoniam. Docuit Festus. In Floro corrupte excusa eadem particula quatuor locis. quæ ordine dabo & emendabo. Lib. 2. cap. 15. Quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant, vt quatenus vrbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet. Scribo ac distinguo, vt mihi vetus Florentinum exemplar præiit. vt quatinus vrbs eripi Romanis non poterat, triũphus arderet. Ita eleganter & acute, vix vt quidquam videatur posse supra. In ferculis triumphalibus, notum, vrbium, fluuiorum, maris, aliorumq; similium, victa quæ essent, simulacra gestabantur: simul quæ inde capi & rapi potuissent, ostentabantur. Ne quid de suis tale posset, omnia Carthaginienses incenderãt: vt quoniam vrbs ipsa non posset Romanis eripi, triumphi materies tamen in ignem omnis iret. Vt magis hoc accipias, lege quod de Numantia idem Florus hoc ipso libro, cap. 18. ad finem, ita scribit: Nouissime maximo duce oppressa ciuitas, nullum de se gaudiũ hosti reliquit. Vnus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur: præda vt de pauperibus nulla: arma cremauerant. Triumphus fuit tantum de nomine. Porro lib. 3. cap. 8. eiusdem Florentini auctoritate scribendum: Quatinus Metelli Macedonici domus bellicis nominib. assueuerat, altero ex liberis eius Cretico facto, mora nõ fuit, quin alter quoque Balearicus vocaretur. Horum exemplo non alibi scribi debuit lib. 4. c. 11. Furor Antonij quatinus per ambitum non interiret, & luxu & libidine exstinctus est. Vbi & interierat, forte ei particulæ magis appositum. Denique eodem lib. cap. 12. Sed quatinus sciebat patrem suum Cæsarem bis traiecto ponte Rheni quęsisse bellum, in illius honorem concupiit facere prouinciam. Hos mihi licuerit è Floro libare flosculos: quibus ita restitutis maior accessit à nobis nitor, quàm ab ipsis mihi accedere potest honor. Iustinus id verbi liquido scriptum exibet; lib. 12. Iubentes eum solum cum patre suo Hammone inire bella, quantinus milites suos fastidiat. Ad quem denuo delapsus, non possum, quin eodem libro nostra iterum opera fiat melior. De Alexandro, cuius luxuria milites commoti totis castris indignabantur: A Philippo illum patre tantum degenerauisse, vt etiam patriæ nomen eiuraret, moresque Persarum assumeret, quos propter tales mores vicerat. Vbi quid vir maximus, est quidem in memoria, nec apposite illud nego: sed mihi tamen visum. vt etiam patriæ nomen eiuraret. Nam certum, de luxu regis & mollitie tantum, non de superbia, querela: vt qui quos armis subegerat, eorum vitiis succumberet. Et astipulatur nobis; quod est abhinc non longe: Maxime indignabatur carpi se sermonibus suorum, Philippi patris patriæque mores subuertisse. Hoc igitur ægre exercitus ferebat, masculum Macedonum nomen, belli fama orbe toto, cuius vniuersi pæne imperium sua militia regi quæsierant, celebre & terribile; moribus effeminatis Persarum corrumpi, & ipsum velut effœminari. Nec de re plura; at de verbo aliquid saltem addam: de quo apud Nonium. Inde aliquanto longius. Deinde quod primo ex Persico superbiæ regiæ more distulerat, ne omnia pariter inuidiosiora essent, non salutari, sed adorari se iubet. In manuscriptis esse notarunt, in primo. quod scribe iunctim inprimo: vetus aduerbium, nec dubium, quin à Trogo vsurpatum. è quo priscæ, vt ipsemet ait, eloquentiæ viro, auctor desumpta antiquaria verba sparsim epitomæ suæ inseruit. Eandem vocem in Sallustio & Plauto alicubi Palmerius reposuit. Etiam: hinc longinquius: Oppidani inuictum ferro audientes, sagittas veneno armant: atque ita gemino mortis vulnere hostem à muris summouentes, plurimos interficiunt. Scribo, geminæ mortis. Etenim non duplex vulnus. sed in vulnere vis geminæ mortis, quæ ab ipsis sagittis, quæ ab superindito veneno.

Cap. 69. Et Vatinius nulli nomini non esset postferendus.] Correctores velut agmine facto ruunt ad delendum istud, nomini. Ego si imperium sustinere possim, iubeam quiescere. Nullum nomen, est nemo. Sic vbique nomen Romanum. pro Romanis: rem vt pro nomine intelligas. Epicedio Drusi Albinouanus:

Fluminaque & fontes & nomina magna locorum.

pro ipsis locis. Cæcilius apud Nonium in Deintegrare.

Nomen virginis, nisi mirum est, deintegrauit.

pro virgine ipsa. quem tamen locum aliter legebam, nescio an bene, vt iocus efficeretur:

Nomen virginis, nisi vir non est, deintegrauit.

Ausonius epist. ad Theonem:

Et iacula, & fundas & nomina villica lini.

Obscurus auctor, Diris:

Et casti fontes, & felix nomen agelli.

Quo & ipso in carmine, etsi non satis eleganti, istos versus tamen per caussam hic emendabo.

Cur non & nobis facilis natura fuisset?
Cur ego crudelem patior tam sæpe dolorem?

Legendum coniect:

Cur non & nobis facilis natura? fuisset,
Non ego crudelem patiar tam sæpe dolorem.

Fraudi fuit ἔλλειψις τοῦ, Si. Et librarius cum Non deberet, Cur bis exarauit, quod vtrumq; præcesserat versu priori. Hoc in Appendice Deum illum Criticorum, Scaligerum tetigisse non memini: de quo si suspicio esset leuissima dubiæ memoriæ, perirent potius omnia mea, quàm illi dictum, idem post illum dicere mihi persuaderem; aliis illius scrinia compilare viderer. Sed eiusdem particulæ omissio lucem inuidet Ausoniano loco; in Ecloga de Libra:

Diuinis humana licet componere sic est
As solidus, quoniam bis sex de partibus æquis
Cõstat, & in minimis paribus tamen vna manet vis.

Sensus est: si fas humana diuinis contendere. qui vt clarius elucescat; distingue aliter; vt heic monstrabo:

Diuinis humana licet componere, sic est, &c.

Ad Velleium vt redeam, ea vis est ibi defensæ locutionis. Cum Brutus cuilibet ducum esset præponendus; Vatinius non modò non nulli duci, sed vel alij cuilibet vilissimo nomini, id est, homini erat postponendus. Vt iam desinant sibi nescio quas glossas somniare. Qui admittere hoc tamen nolet, potius quàm deleat, liceat illi legere, nulli omnium. Nos retinebimus: & iam ad ordinem reuertemur.

Eod. Aqua ignique interdictum erat.] Vt Cl. Delbenius censuit, vocem damnatus eieci. Quod consulto factum moneo, ne quis temere existimet.

Cap. 70. Neque puluere, facies aut signa denotari possent.] Bucretius meus, præ desiderari putat, atque inserit: neque præ puluere. Et erroris quidem in eo facilis occasio.

Cap. 71. Nobilissimæ simplicitatis viri.] Eam quoque formam sermonis in nostro sæpicule est deprehendere. Ponit autem simplicitatem pro vniuersa virtute & prisca morum

integritate, quam (vt de Scythis eleganter lib. 2. Iustin. prædicat) antiqui homines rudibus illis non tam bonarum, quàm malarum artium seculis, magis ingeniis, quàm legibus; magis vitiorum ignoratione & naturæ bonitate, quàm virtutum præceptis institutisque disputantium philosophorum coluerunt.

Eod. Occupatus nauibus, tum magno sequentium consilia sua comitatu.] *Lego*, occupatis nauibus, cum magno. *Nisi forte potius est*, tam magno. *Obseruatum aliis*, tam *pro valde nostro frequentari: quomodo & Plautus dixisse videatur:* Quia tractas tam. *Vbi subintelligi explendum sensum aliud etiam aduerbium opinantur. Apuleium mihi sic etiam visus est, Apol.* 1. Iam cetera tam mirifica: quæ si tu legisses, magis mihi peram, quam nuptias Pudentillæ inuidisses.

Cap. 74. Sed virtutum, quæ interdum in illo erant.] *Notabis & hic*, interdum *esse idem quod* interim: *vt creberrime in Apuleio: cuius vnico exemplo contentus esto. lib.* 3. *Metam.* Quati foresinterdum, & frequenti clamore ianuæ nostræ perstrepi. *Nec aliter accipio apud Iustinum lib.* 11. Mouebat hæc multitudo hostium, respectu paucitatis suæ, Alexandrum: sed interdum reputabat, quanta res cum ista paucitate gessisset, quantosque populos fudisset.

Cap. 75. Quis fortunæ mutationes.] *In hanc sententiam multi, quorum querelis omnia repleta. Pulchre & Apul. lib.* 1. *Metam.* Næ tu fortunarum lubricas ambages, & instabiles incursiones, & reciprocas vicissitudines ignoras. *Ælianus lib.* 4. *Var.* τὰς τῆ τύχης μεταβολὰς, *ait*, ξυῤῥόπους καὶ ταχείας.

Eod. Vindicem Rom. imperij, futurumque eiusdem Cæsaris filium.] *Præcedentia ad exemplar Schegkianum expressi, cum quo sentiunt & libri probissimi, & viri doctissimi. In his, quæ attuli, copulam traiicio leuiter & interpunctionem:* Vindicem Rom. imperij futurum, eiusdemq; Cæsaris filium.

Cap. 76. Quod alieno testimonium redderem, in eo non fraudabo auum meum.] *Forma Apuleiani sermonis, vt in adornatum abundet: quod hic, quisquis es, caue tollas. Nam sic & Sallustium & Virgilium alicubi locutos, clarum faciemus suo loco.*

Eod. Quo facto quisquis æquum se præstiterit.] *Facile quoque persuasero, imo sibi quisque ipse, scribendum*, Cui facto. *Fuit enim versus scriptura* Quoi. *Vt & supra* quoique *reposuimus, vbi pariter corruptum erat*, quoque.

Eod. Natus obscurissimis initiis parum habebat summam accepisse.] *Cuiusuis fuerat emendare* Iumma. *Nam eo genere solet, cum nihil additur.*

Cap. 77. Quem grauis vrebat infesto mari annona.] *Frustra coniector, qui* vrgebat. *Varie vsurpata ea vox: sic tamen vt cum à prima significatione defecisset, per* affligere *plerumque redda posset.*

Eod. Cum in naui Cæsaremque & Antonium cœna exciperet.] *Mira omnia sunt, nisi hic Velleio* exciperet *scriptum fuit.* Accipere *enim verbum proprie in hospitiorum & conuiuiorum re:* Excipere *saltem in primo congressu & mutuis consalutationibus. Hinc illa proculcata*, lepide, pulcre, bene accipere *in Plauto & aliis: vbi idem est, quod alias dicitur* tractare. *Hinc & in minis illa non minus protrita*, male, malis seu indignis modis accipere. *Terent.* Indignis sum acceptus modis. *Et in eo ambigue ludit Venus apud Apul. li.* 6. *vbi malam rem minatur Psychæ.* Sed esto secura: iam enim eccipiam te, vt bonam nurum condecet. *Ita enim scribo, quamquam adhuc in omnibus*, excipiam. *quod hic minime conuenit, vt maxime eodem libro, post aliquot paginas:* Ad ipsamque protinus Proserpinam introibis: quæ te comiter excipiet ac benigne; vt & molliter assidere & prandium opipare suadeat sumere. *Est enim de accessu & iatroitu. Sed ibidem obiter moneo, tollendum accentum à postrema syllaba in* opipare. *Dixit enim Apul.* opipare conuiuium, *quod vulgariter* opiparum: *Vt illi mos est vtroque modo adiectiuorum quædam formare. Sublimis & sublimus, Illunis & Illunus, Exosis & exosus: ac in Plauto reperire est eadem ex nota, Dapsilis & dapsilus. Porro in Petronio etiam locus est, vbi Accipiendi verbum prisca illa formâ rescribi debere videtur.* Et si quis Deus manibus meis, inquit, Gytona imponeret, quam bene exsulem exciperet. *Videtur inquam sic potius*, ecciperet. *Nam timide hoc affirmo: quamquam nobilissimæ Donsæ iam ante nos* acciperet *molitus est reponere. Cuius si auctoritatem, nostra reiecta timiditate, nostram contra scripturam ex antiqua Venustate, reiecta illius altera ex sordidiore vulgi vsu, sequere.*

Eod. In hoc pacis fœdere placuit.] *Nescio, quomodo mihi magis placebat:* Inito hoc pacis fœdere. *quod nisi per te stabit, per me facile cadet.*

Eod. Qui ad eum ex diuersis caussis fugerant.] *Et hic potius arbitrabar*, ex diuersis castris. *quod paullo firmius teneam, quam superius.*

Cap. 78. Quas magnis momentis Labienus.] *Obserua* momentis *pro motibus. quomodo & apud alios legisse, sic quasi per nebulam meminisse videor. Nam exempla in promptu nulla. immo ecce tibi vnum Senecæ, Epist.* 50. Exemplum (*claui*) à piscibus tractum est, qui cauda reguntur, & leui eius in vtrumque momento velocitatem suam flectunt.

Eod. Interim Cæsar per hæc tempora, ne res disciplinæ inimicissima, otium corrumperet militem.] *Alterutrum superfluum est. Vel* interim, *vel* per hæc tempora. *Oro enim propter hoc quid vtraque coniungantur? Sed ecce, aliud habeo. Neutrum delendum, vna minima vocula transposita:* Interim Cæsar, ne per hæc tempora, res disciplinæ. Per hæc tempora *valet ea temporum conditione, vt quibus in armis habere militem pro Republ. non necesse foret.*

Cap. 79. Natalibusque adsuescendo certaminibus.] *Actitue positum* adsuescere, *pro adsuefacere: Vt apud Horatium quoque memini. sed locus & ipsa verba in præsentia non succurrunt.*

Eod. Et per omnia extra dilationes positus, consultisque facta coniungens.] *Simile quodammodo est infra, de Pannoniis.* Itaque Hercules nulla vnquam natio tam mature consilio belli bellum iunxit, ac decreta patrauit. *Et post etiam de Arminio.* Opprimi posse Romanos & dicit & persuadet: decretis facta iungit; tempus insidiarum constituit. *Et aliquanto inferius de L. Cæditio & aliis dicit*, eos nec temerario consilio, nec segni prouidentia vsos. *In hanc mentem notum lippis omnibus & tonsoribus Sallustii scitum. quod quidem, si ponam, diffidere aliorum memoriæ videar, simul & iactare ea, quæ nemo nesciat.*

Eod. Quod postea dubia, & interdum ancipiti fortuna gestum est.] *Quid audio? anteps fortuna alia, quam dubia? hoc enim intercepta particula* interdum *innuit. sed ea tradicta scribe:* dubia interdum & ancipiti. *Nisi tamen dicas, ancipitem esse periculosam, & hac quadam ratione à dubia diuersam. ancipitia enim sine certo periculo tangi & tractari nequeunt: in dubiis non item est. Et hoc tamen putidum & puerile. Quin potius oculam traiiciamus, vt monstratum.*

Eod. Sub ipsius Cæsaris oculis.] *Sic postea:* in ore atque oculis Antonianæ classis. *Apul. lib.* 1. *Metam.* Sub oculis tuis homo iugulatur. *Idem lib.* 2. Sub istis oculis miser iugulatus est. *Seneca, in conspectu & sub ictu habere., dixit Epist.* 73. Adhuc est genus tertium eorum, qui sapientiæ alludunt: quam non quidem attigerunt, in conspectu tamen & (vt ita dicam) sub ictu habent. *Quod tamen à gladiatorum arte traductum videtur, qui sub ictu habent aduersarium, cum intectum & nudum iam iam icturi sunt: diciturque subictu esse, qui ictui se alterius exposuit. Et ab eadem mente Lactantius quoq; forsan lib. diuin. instit. 7. cap.* 12. Corpus igitur quoniam fictum ex ponderoso & corruptibili elemento, & tangibile est & visibile, corrumpitur atque occidit, nec vim repellere potest, quia sub aspectum & sub ictum venit. *Gellio autem (hoc, quia ita incidit, addo)* Ictus temporis *eleganter pro momento, quod nictu ictuque oculorum vulgo metiuntur. lib.* 14. *cap.* 1. Omnes tamen isti aut hiantibus terris aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in naui, fluctu obruti, eodem genere mortis eodemque ictu temporis vniuersi simul interirent.

Cap. 80. Dissidendo in consiliis Cæsaris.] *Venustius*, Cæsari. Dissidere *cum dandi casu pro auferendi cum præpositione. Sic in multis verbis, & vero etiam nominibus:* alienare, alienus, alius: *& multa talia, de quibus dicendi non hic locus.*

Eod. Spoliata quam tueri non poterat dignitas.] *Alij* intueri. *Forte*, vi tueri. *Nisi illud ipsum ita formatum, vt Apuleio solens, superadita præpositione. Nam passim apud hunc*, incognoscere, inconcupiscere, *& id genus plura.*

Cap. 81. Quæ hodieque singulare & salubritatis instar.] *Festus Pompeius ab* instar, in staurare *deducit: quoniam illud instaurari proprie dicatur, quod ad formam similem exemplo priori reducitur. Hic vero* instar *non exemplum est, neque passiue pro eo capitur, quod est instauratum; sed enim actiue, vt quod instaurat; hoc nempe salubritatem.*

Cap. 82. Qua æstate Cæsar tam prospere Lepidum.] *Vestram fidem, Musa, quam turpiter locus elegans maculatus, an mutilatus. Tentauit industria singulari Schegkius:* Qua æstate Cæsar tam prospere in Lepidum in Sicilia, pæne fortuna in Cæsarem & Remp. militauit ad Orientem. *Et in hoc secutus librum Bonhommei: post quem rentemus & nos indidem, si quid forte poterit clarius extricari. Sed libertate mihi opus est paullo maiori, quam non ex mea cupidine, sed vsu sumam Velleij. Ergo ita ausus fuerim*, Qua æstate quam Cæsari prospera in Lepidum in Sicilia, tam scæua fortuna in Cæsarem & Remp. militauit ad Orientem. *quomodo conficitur idonea maxime & aperta sententia. Verum enimuero alios etiam medicos desiderare videtur hic locus, & nonnisi scriptos codices: sine quibus, qui conabitur, quidquid erit, quod præstiterit, itidem incertum erit, vt quod vel ego, vel ceteri omnes attulimus.*

Cap. 83. In conuiuio refrigeratus ab Antonio.] *Ni fallor, est hoc* refrigerare, *quod Plautus dicit*, Frigidam suffundere.

Cap. 84. Inde illius exemplo vir audax Dolabella.] *Placet, quod ab amico acceptum Schegkius ponit, sed mihi insuper traiicienda vna vox videtur. Itaque adeo totum illud scribam:* Rex Amyntas meliora & vtiliora secutus mature: inde illius exemplo Dolabella, virque clarissimus, *&c. Quod me licere mihi in alieno voluisse, nec humanissimus Schegkius, quem quia in hac literarum humanitate tantus est, non temere sic appello, nec ipse lectissimus Lockius. inuisi mihi vterque, non ignoti tamen è doctissimo alterius scripto, inique, vt spero, immo vt de talibus confido, ferre illo pacto aut volent, aut poterunt.*

Cap. 86. Quid ille dies terrarum orbi præstiterit, ex quo in quem statum peruenerit fortuna publica.] *Manutius*, ex eoque. *qui est verisimiliter, verisimilius ego*, exque eo. *Sic enim propius ad literas: & iam ante his parisimum errorem sustulimus.*

Eod. Victoriæ suæ facturus fuerit.] *Heic quidem*, modum, *addiderim. idque è loquendi Velleiano modo. De ceteris Apollo aliquis viderit: sed verior, quam qui pridem hic diuinarunt. Ceterum quod oblitus pæne fueram, in Manutianis libris est*, victoriæ suæ facturus fuerit triumphum. *quæ postrema vox abest à Schegkianis: haud scio consilio, an casu. Ego qui eam potissimum editionem mihi sequendam, vt probissimam, in omnibus statuissem, heic quoque eiusdem scripturam, omissa voce, exhibui: & tamen de alterius testandum duxi, ne reprehensionis aliquam inde ansam iniquiores in nos arriperent.*

Cap. 87. Illata aspide, morsu sane eius, expers muliebris metus.] *Cui dubium esse poterit, eo ordine verba collocanda?* morsu eius, sane expers muliebris metus. *Idque exemplum habeant, qui alia multa nos transposuisse criminaturi sunt.*

Eod. Quam professione eius, qua semper vsus erat, congruebat.] *Forte*, quam cum professione; *aut* professioni. *Vt & paullo superius:* Itaque discrimine vestro me subtraham: *legendum fuerat, aut* è discrimine, *aut* discrimini. *Sane multoties in Velleio e proi scriptum offendimus, & quibusdam locis emendauimus. Cuius erroris fons, vt arbitror, vetus scriptura, qua i finale etiam, plerumque per* ei *diphthongum exarabatur.*

Cap. 88. Equestri & splendido genere natus.] *Alij libri*, equestris. *Vnde suspicor:* equestri, sed splendido. *Fuit equestri tantum genere, inquit, sed illo præ ceteris claro & illustri. Nota eius prosapia Etrusca præconio Horatianis, Propertianis, atque aliorum.*

Eod. Angusti claui pæne contentus.] *Nam quid heic facit*, pæne? *an non male*, bene *rescribemus? Ipsa syntaxis quidem noua, minus mihi noua fuit, postquam & eruditissimum pariter ac diligentissimum Modium, ita apud Iustinum in Mss. Fuldensibus reperisse accepi. Lib.* 42. Scythæ autem contenti victoriæ, depopulata Parthia, in patriam reuertuntur. *Qua de locutione quid idem ille amplius, & vbi, auide exspecto. Aliàs interpolare mihi erat admodum quam facile.*

Eod. Nec minora consequi potuit, sed non tam cupiuit.] *Profecto verius Rhenani*, nec maiora consequi non potuit. *cui argumenta dicerem, & vitij occasionem adderem, si requirere quemquam putarem. De Mæcenate, in Elegia, etsi non nimis eleganti, super obitu eius:*

Maius erat potuisse, tamen nec velle triumphos.
Maior res, magnis abstinuisse, fuit.

Et quæ & alia multa, de Vrbis custodiis, de mollitie, de otio, de fide in Augustum, huc referri queunt. Sed Propertius insignite, lib. 3. *Eleg. ad ipsum Mæcen.*

Mæcenas eques Hetrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam.

Et deinceps ibidem:

Quum tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere iura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.
Et tibi ad effectum vires det Cæsar, & omni
Tempore tam faciles insinuentur opes?
Parcis, & in tenues humilem te colligis vmbras,
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos æquabunt ista Camillos,
Iudicia, & venies tu quoque in ora virum:
Cæsaris & famæ vestigia iuncta tenebis.
Mæcenatis erunt vera trophæa fides.

Quæ ideo prolixius adscripsi, vt superuacuam ab iis defenderem correctionem, Negat quidem recte dici, vestigium famæ: *negat*, vestigium tenere. *O Dij! quàm multi ergo latine nescierunt homines latinissimi, & è quorum ipse scriptis latinitatem nobiscum hausit? Nam exempla quid afferam? Sed reponit*, famæ fastigia iuncta tenebis. *quod quidem non magis conuenit, quam quod minime. Hoc dicit enim Propertius: Quocunq; vestigia famæ Cæsaris porriget, eodem famæ*

etiam tua: quo fama Cæsar penetrabit, eo tu iunctim. ita iuncta famæ vestigia tenebis. Tantum quippe fide tua in Cæsarem meruisti, tantum modestia: quæ in veris trophæis numeranda, necmagnis aliorum triumphis inferior habenda. Qua in explicatione sequor veteriorum codicum lectionem: magnos æquabunt ista triumphos. *quæ res visa nobis accommodatior, cum aliis argumentis, tum quia de trophæis statim subiicitur.*

Cap. 89. Atque vrbem occursus.] *Forte,* adq; vrbem. *De voce* occursus *memini supra quiddam dixisse.*

Eod. Terrarumque orbi repræsentauit.] *Malim,* repræsentarit.

Eod. Prisca illa & antiqua Reipub. forma reuocata.] *Scribo,* renouata: *cum & venustius ita sit, & paullo ante vox eadem* reuocata *fuerit: cuius iteratio per se est inuenusta.*

Eod. Omne æui sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem fatigans.] *Hæc cum præcedentibus nullam efficiunt sententiam ni scribas,* fatigant, *aut potius* fatigent. *Si paullo quid amplius tibi indulgeas, posis non minus apposite* flagitant. *hoc que, vt fatear, vix me teneo, quin reponam.*

Eod. Imaginem principatus eius oculis animisque subiecimus.] *Dubius etiam sum, magistne conuenerit,* subiiciemus. *Filum historiæ cum considero, sic videtur: cum defendi quomodo illud posit cogito, assensum commodare huic non audeo.*

Cap. 90. Coolescentibusque Reip. membris.] *Quæ hic subsequuntur in quibusdam libris.* & coram altero, *expungi ad exemplum recentiorum. Etenim quid aliud is facerem, non videbam.*

Eod. Ad certam confessionem pacata est imperij.] *Ita fere supra in recensione prouinciarum.* Certam Hispanis patendi confessionem extorserat.

Cap. 91. In tantum quidem, vt ei præturam continuaret.] *Video ferri hoc posse, non desum tamen* et *præferre* τῷ ei. *quod qui attendet, non insuper habebit.*

Eod. Abditusque carceri cum conscijs facinoris.] *Verius arbitror,* addictusque. *quod ni est, ego me tibi mancupi addicam.*

Cap. 93. Sane, vt aiunt, ingenuarum virtutum, lætusque animi & ingenij.] *Quidam,* lectusque animi. *vt dicimus lectissimam indolem, & alia. sed nec minus alterum, etsi rarius.*

Cap. 95. Paullus vix posset implere censorem.] *Velleius elegantissime* censorem *pro* censura: *vt Apuleius noster* Ædilem *pro* ædilitate. *Lib.* 1. *Metam.* Annonam curamus ait, & ædilem gerimus, & si quid obsonare cupis, vtique commodabimus. *Nec aliter Propertium audio in Vertumno. lib.* 4.

Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio puluere ferre rosam.

Nam pastorem curare *nil aliud, quam pastoris munus obire, pastorem esse.*

Cap. 96. Huius victoriæ compos Nero, ouans triumphauit.] *Suo more noster ouare & triumphare iungit. Infra de Triumphis Tiberij.* Ordinatisque rebus Orientis, ouans triumphare debuerit.

Cap. 98. Esse mores eius rigore aclenitate mixtissimos.] *In eam mentem & infra de Seiano:* Priscam grauitatem semper humanitatem temperans. *Et inferius de eodem:* Virum seueritatis lætissimæ, hilaritatis priscæ. *Apuleius* 2. *Florid. pulcherrime,* Grauitas iucunda, mitis austeritas, placida constantia, blandusque rigor animi. *Sic enim tibi lego cum Antiquitatis & doctrinæ omnis coryphæo I. Lipsio, & Veneris Gratiarumque è Lipsiana certe pullo Iano Dousa F.* *Auson. Parentalibus.*

Et grauitas comis, lætaque serietas.

Plura huius notæ adducere non libet, nec est opus.

Cap. 99. Et vere alterum Reip. lumen & caput.] *Scite admodum* lumen *&* caput *iunxit vt & supra de Cæsare & Pompeio.* Collisa inter se duo Resp. capita effossumque alterum Rom. imperij lumen.

Eod. Visendi eius gratia ad eum conuenientes, semper priuato (si illa maiestas priuata vnquam fuit) fasces suos summiserint.] *Lectionem dedi nuperæ editionis, vt soleo. Alias mirifice variatur. Quid quisque statuat eorum, qui corrigere moliti sunt, non referre statui. Si quis etiam mihi relictus est locus, ita vniuersum hoc scripserim.* Vt omnes proconsules legatique, qui in transmarinas profecti prouincias, visendi eius gratia ad eum conuenere, semper priuato (si illa maiestas priuata nunquam fuit) fasces suos summiserint. *Initio de transpositione* ☞ qui *susque deque habeo.* Conuenere *scripsi, ad nexum orationis firmandum, qui solutus aliter & minime solidus est: nec puto maiora in ea voce mihi indulsi, quam sibi reliqui. Denique* nunquam *è Rhenani & Manutij mutuatus sum. At vero si positum accepi pro* etsi: *none, sed ex Velleij more. qui supra, vbi de Cæsare à piratis capto:* Neque vnquam aut nocte aut die (cur enim quod vel maximum est, si narrari verbis speciosis non potest, omittatur?) aut excalcearetur aut discingeretur. *Clare enim ibi* etsi *interpretandum, nisi id ipsum reponi debere quis contendat, qui suam in partem facile me perduxerit. Facillime namque* et *absorberi à præcedenti* est *potuisse video. Qua re patiar etiam, immo suadeam hoc loco* vnquam *restitui nec in Vulgato* si *temere quidquam nouari. Horatium quidem etiam, fateor, sic accepisse Sat. 9. lib.* 1.

Non, hodie si
Exclusus fuero, desistam.

Ciceronem quoque ad Attic. lib. 5. epist. 4. Nunc si iam res placeat, agendi tamen viam non video. *In quo* si iam *clare profecto est, etiamsi, vel etsi iam. Quid, quod & in Flaro meo Florentino si cinuenit Lib.* 2. *cap.* 19. Quæ si inuoluta inter se sunt omnia atque confusa, tamen quo melius appareant, simul & ne scelera virtutibus obstrepant, separatim proferentur. *Alij autem omnes, & recentissimi,* Quæ etsi inuoluta. *Tantis suffultus auctoribus huius locutionis, tamen nuto etiam hercle, ac prope muto. Nam præstat hic timidiorem, quàm audaciorem videri. Ex ea autem forma,* Si illa maiestas priuata vnquam fuit; *quæ correctionis, quam Rhetores appellant, aliquam habet speciem: in mentem venit Ciceronis locum emendare, si forte alius ero felicior. In Oratore:* Nam & inuenire & iudicare, quid dicas, magna illa quidem sunt, & tanquam animi instar in corpore: sed propria magis prudentiæ, quàm eloquentiæ, qua tamen in caussa est vacua prudentia. *Ruunt hæc postrema, nec sustinet, etsi nititur, Lambinus. Tentabam ego:* si qua tamen in caussa est vacua prudentia. *Prudentiam Tullius ab eloquentia non vult separari, quod acriter alibi disputat & copiose, nec vero vno etiam in loco. Hic itaque cum inuentionem iudicium, eorum, quæ dicenda sunt, magis ad prudentiam dixisset pertinere, quam ad eloquentiam, corrigit se statim, & adiicit, quamquam nulla in caussa, nulla in parte munus eloquentiæ munere vacat prudentiæ. Ea mens sane Ciceronis, quam è verbis iis si nondum satis luculenter arbitrare confieri, per me poteris aliter quoq; licentia non maiore:* quæ tamen in qua caussa est vacua prudentia? *Insertum quidem pronocabulum facile potuit à priori syllaba subsequentis vocis absumi. Tertiam quoque habeo coniecturam, sed quæ paululum quid à sententia discrepat superiorum:* quæ tamen caussa est, vacua prudentia. *Sic enim eo respiciar, quod alias dicitur, sine prudentia eloquentiam non esse, sed loquentiam.*

Cap. 100. Quidquid liberet, pro licito vindicans.] *Alij libri,* iudicans: *& melius, si quid ego iudico. Pro licito iudicare, sic dictum, vt pro bono & æquo putare. Eaque ipsi*

forma ab aliquot paginis est: Interdum vt pro pari loquebantur. *Apul. lib. 5. Metam.* Placet pro bono duabus malis malum consilium. *Ibid.* Pro vero namque comperimus. *Lib. 9.* Tum gliscit violentior vtrinque secus contentio militum, pro comperto de nobis asseuerantium. *Sed quid ego, hæc autem nequaquam ignara reuoluo.*

Cap. 102. Deinde reluctatus inuitusque reuertens in Italiam.] *Nihil hic mutandum suspicarer absque dissensu vulgatarum lectionum esset. Exinde conjcio.* Dein diu: *aut* Diu inde reluctatus. *quorum vtrum vtrum recipias, perinde est.*

Cap. 102. Tribuniciæ potestatis consortionem.] Consortionis *voce supra item vsus, pauculas ante paginas.* Tribuniciæ potestatis consortione æquatus Augusto. *Eadem Ciceronem quoque vsum nupere monitum, & Nonium consulere iussum.*

Eod. Et cum Ælio Cato & Sentio Coss.] *Consules posui, quos doctiores malunt: De cetero* & eundem *lego: cuius iamiam simillimum alterum mendum tollam.*

Cap. 104. Non continentium protinus, quin adiicerent.] *Mutandum forte,* prorsus, *aut* penitus. *Vel collocandum saltem aliter comma:* non continentium, protinus quin adiicerent.

Cap. 105. Pietas sua Cæsarem, pæne obstructis hieme Alpibus, in vrbem traxit, ad tutelam imperij: eum veris initio reduxit in Germaniam.] *Languida & enervis oratio quam robora:* eadem veris initio. *Pietas, inquit, Cæsarem reuocauit ad cives & vrbem: eadem inde expulit ad exercitum & castra.*

Cap. 106. Plurimarum gentium victoria.] *Potior lectio videbatur,* à plurimarū. *id est post victoriam. Sed ellipticæ figura est, quæ in Plauto frequens, vt,* Nostrum salute focium: *&* salute horiæ. *aliaque multa.*

Caput. 108. Dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens.] *Apul.* 1. *Met.* Tu autem vir, vt habitus & habitudo demonstrant, ornatus, accedis, huic fabulæ?

Eod. Ad medium processit fluminis, & periit.] *Non peior scriptura,* Vt ad medium processit fluminis, petiit.

Eod. Nec feliciorem vllum vitæ meæ aut optaui aut sensi diem.] *Non dissimiliter Cicero de Cæsaris interfectoribus,* 2. *Philip.* Qui homines tam agrestes, qui se cum eos aspexerint, non maximum cepisse vitæ fructum putent?

Cap. 108. Natione magis, quàm ratione barbarus.] *Post de Arminio.* Tum iuuenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, vltra barbarum promptus ingenio.

Cap. 109. Totumque ex male dissimulato agebat æmulum.] *Adeo ne quisquā sine corde, qui* in totumque, *aut legendum non intellegat, aut legere non audeat? Nam & sensus non aliter sit, qui debet: & quid in nostro familiarius,* in longum, in quantum, in tantum, *denique illo ipso* in totum?

Cap. 110. Rumpit, interdum moratur proposita hominum Fortuna.] *Perquam honesta oratio hæc, particula vt posteriori membro iuncta, semel exprimatur, bis ad sensum explendum intelligatur. Ita & siue frequenter est inuenire. Catulli Phaselo.*

Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse: læua, siue dextera
Vocaret aura.

Horat. lib. 1. *oda* 6.

Nos conuiuia, nos prælia virginum
Sectis in iuuenes vnguibus acrium
Cantamus: vacui siue quid vrimur:

Non præter solitum leues.

Vbi fuit, cum malui conuicia. *pro* conuiuia. *Nam & de prælijs subiicitur: & tota hac oda de bellis agitur, quorum ex suo ingenio facit Horatius comparationem. Non, inquit, Martijs illis & hostilibus prælijs scribendis sufficio: satis mihi rixas & pugnas iuuenum virginumque decantare. In eodem Horatio, prima Oda.*

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.

mutare olim placuit, otium & oppidi Laudat tuta sui. *quod, etsi commodam alterius explicationem haud ignoro, ne nunc quidem placere desiit.*

Eod. Saturnium admoueri placuerat. pæne æquali diuisæ interuallo.] *Immitto copulam:* placuerat, ac pæne æquali. *Subauditur autē copiæ aut tale quid, fortasse etiā ipsi inserendum.* Ac *per te vides à præcedentis vltima verbi syllaba periisse, qui lapsus creber: nec minus ille, qui eidem geminus si* pæneque *restituendum existimes.*

Eod. Omnis numerus amplius DCCC. millibus explebat.] *Lego,* millia. *Nam illud* amplius *doctos librarios fefellit, quod iungi accusandi casui nefas arbitrati sunt. Neque tamen hos nimium incusabo, hic quidem. Forte enim* explebat *positum, pro* explebatur: *figura ea, de qua ante, quamuis quidem nec hoc asseuerarim. Nam & Vulgata lectio se tueri potest.*

Eod. Parentis acerrimis.] *Lectio satis commoda nobis visa: nec eo Rhenani interpolatam attuli.*

Eod. Proxima duobus Batonibus ac Pinneti ducibus.] *Reponenda omnino CI. Delbenij scriptura,* Batoni: *nec ferenda Vulgaris, cui fulcrum nescio quod è Dione petunt. Nā fuerint sane duo, quid ad hanc historiæ partem? Duos duces heic noster memorat, Batonem, & Pinnetem, non Batones duos: quomodo tres fuisse duces oporebat. At infra de ys duobus saltem iterum.* Batonemque & Pinnetem, excellissimos duces, captum alterum, alterum deditum, iustis voluminibus ordine narrabimus.

Eod. Omnia & in omnibus locis, igni ferroque vastata: quia tantus etiam huius belli metus fuit.] *Scribe incontanter,* quin tantus. *quod leue fugere aliorum diligentiam potuisse, miror. Sed scilicet etiam nobis relinquenda quædam erant, nec nisi huius generis: quæ neglexerunt illi potius, quàm non viderunt, vt esset, in quo acrelicti et iam ab omni ingenio, ingeniosi esse possemus.*

Cap. 111. Reuocari vndique omnes veterani.] *Legerim* euocati. *quod proprie in tali re, de talibus. Nam eo eo ipso nomine exinde censebantur.*

Eod. Itaque vt præsidium militum, Resp. ab Augusto ducem in bellum popposcit Tiberium.] *Monstrū hercle lectionis, è qua si vllum, vel minimum boni sensus succum expresseris, exsensum ego me omnino dixerim. Et o bonum heic stomachum Criticorum, qui tam crudum mendum concoxerūt! Nam hoc quidem non ita leue, vt dignum ab ipsis præteriri. Sed nos si possimus, tollamus. Conatum nostrum si ridebunt in eo, quod ausi ipsi non sint, videbo vicissim ego conari ipsos non valuisse, quod ego valui perficere. Nec arroganter nimium: rem vide modo. Elegantissimo & verisimo sensu, verbis paululum immutatis, scribo.* Itaque vt præsidium mœnium Resp. Augustum, ita ducem bellum popposcit Tiberium. *Neque explicatione hoc eget. Addo, si lubeat,* in bellū retineri posse: *verum si quis me audiendum putabit, illud vt argutius venustiusque mecum isti præponet.*

Eod. Inopsque copiarum.] Copia *pro cibo, commeatu Apuleius noster non ille Arcadij generis, sed Platonicæ sectæ, de Dogm. Plat.* Quod quidem (os) aliis animantibus ad explendā victus necessitatem, inferendasque vēri copias cōparatū est. *Vtuntur & Tacitus, Valerius Maxi-*

mus, Plinius, alij.

Cap. 112. Neque instantem sustinere, neque facientibus copiam pugnandi, dirigentibusque aciem, ausa congredi.] Lego vt congrua sit oratio: Neque instantes sustinens. Supprimitur, nos vel nostros, vt in sequentibus, nobis vel nostris. Aliter vix est, vt latinis auribus probetur.

Eod. Et equitatu, regio.] Ne quem moretur malim expressius scribi equitatui. quamquam idem est alterum.

Eod. Sed Romana virtus militi plus eo tempore vindicatũ gloriæ, quàm ducibus reliquit.] Non eo tantum, quod militis, alij legerent, locum vt fractum notauit Manutius: sed fuit & aliud. Nam siue hoc reponeret siue retineret alterum, non fieri tamen, vt sine mendo esset, animaduertebat. Itaque vt cui alia medicina opus esset, ne temere negligeretur, asteriscum apposuit. Ego vero plana omnia futura iudico, si legatur, vindicandum. Nec id aptum negabit, qui sensum loci considerat: nec verum, qui ductum litterarum. T. & D. sæpe commutantur, nec N. aliæve consonantes semper in veteribus manuscriptis exprimuntur. Vindicatum ergo scriptum pro vindicandum. Simillimi erroris labem in Apul. Metam. lib. 9. deprehendi: sed non hic ei locus referendæ.

Eod. Non incruentis centurionibus, quin etiam primo ordines cecidere.] Exemplar Aldi, quibus. Tu scribe me præeunte: qui etiam primi ordinis cecidere. Quorum inquit, iam aliqui è primo ordine ceciderant. Nihil de Ordinibus aut genere, aut specie de Centurionum, addo. Dictum abunde alijs, quibus hæc priua cura.

Cap. 113. XIV. sed pluribus, quàm decem veteranorum millibus.] Quid dicere Velleius velit facile conijcitur ex ipsis verbis difficile intelligitur. Nam nescio quid deesse, vel voculam saltem vnam, suspicor: & hanc qualem fere non quam assequor.

Eod. Et vtilia speciosis præferens.] Post. Semperque visum est gloriosum, quod esset tutissimum. Supra alicubi. Necessaria vtilibus præferens.

Eod. Paucis diebus exercitum. qui venerat ad refouendas ex itinere eius vires, moratus.] Non capies, nisi distingues: exercitum, qui venerat, ad refouendas, &c. Tantum vel siciliicum vnum potest. Sed quam multa in huiusmodi interpunctionibus, quanta diligentia emẽdauerimus, non ostentare libet: nec sunt tanti, vt singulatim hic notentur In ipso Velleio vtinam saltem nostræ industriæ operarum non defuerit accuratio: quorum, si quæ, vt vereor, erunt, culpas nobis cordatus lector non imputabit.

Cap. 114. Ceterum nihil, quod ab illis aut præstari, aut desiderari posset.] Coniectura mirum quantum placet: ab vllis. Nam commode sic ad vtramque partem referetur. Quod aut hi desiderare, aut illi præstare possent.

Eod. Quod quisquis illis temporibus interfuit (vt alia, quæ retuli) agnosceret protinus.] Lego, agnoscet. quod quisquis in his literis aliquandiu fuit, (vt alia multa, quæ attuli) rectum agnoscet protinus.

Eod. Agebatque medium, plurima dissimulantis, aliqua inhibẽtis.] Scio, qui mauult: plurima dissimulãs, aliqua inhibens, de quo ego quid sentiam, lectori non promo. Iudicet quisque ipse secum.

Eod. Vir nominis ac fortunæ eorum proximus.] quorum? An suorum scribendum? an illa huc retrahenda, quæ paullo post inserta sunt, quibus ortus est? Quid sequar potius non video, & quasi caligo mihi obiecta est ob oculos. Etenim & quo nunc illa loco sunt, ei conueniunt: & hoc, nisi tale quid vel addatur vel mutetur, non subsistit. Magis tamen decere videtur, præmitti ea priori: quam subsequi loco posteriori. Tantum est, quod censeo. Limam & lineam adhibebunt forsan alij certiorem. Sed ecce in librum dum respicio, ad oram video notatum, pro Cæsare, quod præcedit, in aliis, Cæsaribus, legi: percutitque animum suspicio, id forte verius, eoque vocem eorum referendum, vt Augustum & Tiberium innuat. Quod si est, quã quam illuc iam inclino, tamen non affirmabo. Cæsares quidem etiam ita supra eosdem dixit, vbi de Maroboduo: Legati, quos mittebat ad Cæsares, interdum vt supplicem commendabant, interdũ vt pro pari loquebantur. Vt vix posit, quin Cæsaribus reponendum, simul & eorum retinendum, plana re tota & perspicua. Nomini etiam pro nominis, arbitrio suo sibi quisque aut scribet, aut quod scriptum, tenebit: ego meum hoc malle me profiteor.

Eod. Quem in quantum quisque aut cognoscere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit.] Non longe hinc de Licinio Nerua simile in partem: Quem virum: ne qui intellexit quidem, abunde miratus est.

Cap. 116. Horum virorum mentione si quis quæsisse me dicet locum, fatentem arguet.] Et heic, quod aliquoties supra, e pro i. Nam vel cæco luceat, mentioni, sermonis ratione postulari.

Cap. 117. Tantum quod vltimam imposuerat Pãnonico ac Delmatico bello Cæsar manum.] Scribe, Tandem quoque vltimam: nisi vis. Tantum pro Tandem accipere. quod clarius, quam solis radij esse olim, cum fudum est, solent, aliquando tibi, si Deus volet faciemus. Quod autem, inuersa vltima litera, pro quoque etiam in Floro exaratum deprehendi. Lib. 2. capite. 15. Deploratis nouissime rebus, IX. se millia virorum dediderunt, quod minus credas, duce Hadrusbale. Nam certe elegantius & neruosius: XL. se millia virorum dediderunt: quoque minus credas duce Hasdr. Tot inquit, virorum millia, quod vix credas, & autem vt minus credas, Hasdrubale duce se tradiderunt. Hoc tamen in Floro non est forte necessariũ: illud autem in Velleio plus quàm superuacuum. Sero namque agnosco honestissimam formulam, Tantum quod: Ciceroni quoque ipsi familiarem. Abundat quod, & sermoni in ornatum & vehementiam superuenit. Atque ait Velleius: vix Pannonicum Delmaticumque bellum Cæsar finierat, cum ecce statim è Germania funestum nouæ cladis nuntiũ. Omitte ergo mutare, nec inuide Tullianam Velleio elegantiam.

Eod. Vir ingenio mitis, moribus quietus, vt corpore & animo immobilior.] Amicissimus noster, quem iam aliquoties dico, Bucretius legit: & corpore & animo: vel vt corpore, ita animo immobilior.

Cap. 118. Omnemque animi eius aciem præstinxerant.] Sic recte hoc scribitur, à præstinguo. Et male idem verbi aliter alij legunt Plauti milite. Oculorum præstinguat aciem in acie hostibus. Adeoque Ciceronis Philipp. 12. Præstinxerat aciem animi D. Bruti salus. Sed huius quidem plurimis locis idem error: etiam Ausonij aliquantis in cuius de nobilib. Vrbibus primo carmine exploratissimum est mihi aliter scribi non debere quàm:

Fuit hæc, subit ista: nouisque
Excellens meritis veterem præstinguit honorem.

Et quoque Paulini longa illa epist. ad Auson. innumerisque omnium ferme scriptorum locis. quæ cuiuis vbiuis de sententiæ ratione corrigere facillimum.

Eod. Qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat.] Supra quoque in eam sententiam eleganter, ijsdem ferme verbis, sed breuius. Sed profecto ineluctabilis fatorũ vis cuiuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.

Cap. 119. Nunc summa deflenda est.] Quid deflendi verbum heic faciat, mi doceri libenter velim. De calamitate locutum, ipse scio: sed quid argumenti illud isti verbo? Præterea quid in sequentibus deflet? Narrat saltem casum, miserandum illum quidem & deflendum, Vari Quinctilij & exercitus, idque sine vllis næniis. Sed næ ego nænias & mortualia loquor qui pugno aduersus hæc frigida tam calide. Lego: Nunc

summa deicenda est. Summam etenim hic se complexurũ ait ordinem omnem calamitatis alius alibi iustis voluminibus expositurum. Subuenit etiam aliquando, sequenda, scribere quomodo Æneas Virgilianus de sua narratione:

Sed summa sequar fastigia rerum.

Vbi, si argutari lubeat, & consequenter heic idem sequi sit, quod dicere. Antiquis enim, quorum insigniores gemmas ex obsoletiore penu dilectas amat suus Maro versibus inserere, seco, secor, insequor, exsequor aliaque inde procusa, significat; enarro edissero. Exẽplorum nobis thesaurus est, sed eum hic effundere nulli bono. Liuium Andronicum, Ennium, alios qui nosse voluit, potuit ipse aliqua ab iis horum similiumque copia instructior abire. Plautum etiam qui à limine salutauit, prima fabula inuenerit:

Iam illud non placet principium de osculo: perge exsequi.

Quod iam multos annos factum est, cum eruditissimus Muretus in hanc mentem interpretatus est. Ego autem ne de meo nihil addam, sic aio capiendum illud Accij Atreo.

Ego incipio: conata exsequar.

Nam verba sunt narrare ordientis ordinem flagitij siue sceleris Atrei. Exemplum hoc nisi memoria deficior, apud Nonium est, in Conata. Neque enim nunc aut Nonium, aut vlum alium ex illo genere scriptorem ad manus habeo. Sed Velleiani loci nunc incidit etiam alia lectio: deplenda. vt dicat: Nunc summa exhaurienda est, quæ restat, Idque vt fatear, blanditor mihi omnium maxime, cum & sit ad vulgati scripturam proxime.

Eod. Auctor deditionis supplicio, quam prælio mori maluit.] De Catilina supra. Spiritum quem supplicio debuit, prælio reddidit.

Cap. 122. Hostium duces occisos fama narrauit.] Margines librorum, non occisos, exhibent. Inde exterebrabam, occisos vana fama narrauit, In sequentibus sine gratia sine vlla energia est solum illud, vinctos erit cum plurima, si immiseris, Sed viuos uinctos triumphus ostendit Et eam vim Velleium cogitasse, reliquus, etsi cassus orationis impetus ostendit.

Cap. 123. Adfirmanda pace, quæ bello subegerat.] Hic item quod ad oram est, formanda, potius altero, quod in textu. Formare enim est, quod alibi sæpe dicit, ordinare. Et missus Tiberius; vt quæ bello subacta, pace ordinaret, constitueret.

Eod. Ille ad patrem patriæ exspectato reuolauit maturius.] Sciolus hic vocem patriæ infarsit, quam superuacuam iterum extrudo. in quo sciolum nemini scienti me visum iri scio.

Cap. 124. Quæ populi confusio; quis orbis metus.] Sane nimium, orbis. Sed quomodo paullo post factum inante, item hæc pro eo iam nunc nunc rescribe, vrbis.

Eod. Et corpus eius humanis honoribus, nomen diuinis honoratum.] Redeo ad ingenium, & misceo Velleianis aliena. Iustini hic locus incidit, cui aliquo modo huius simili reddam è Mss. lectionem, etsi, vt hodie multorum iudicium est, verisimiliorem, tamen forte etiam veriorem: Lib. 5. Igitur omnibus non humanis tantum, verum & diuinis eum honoribus onerant: certant secum ipsi, vtrum contumeliosius eum expulerint, an reuocauerint honoratius. Notatum in Variarum libello scriptos codices legere honoribus honerant. quod ego audacter Iustini, immo Trogi esse aio, & tollendum vt legitimum, non inter illa dubia exponendum. Honerare & Honorare promiscue veteres: illud amabant magis, quoniam E singulare iis delicium. Nam & Apelo dicebant, & in nominum flexu, temperis, pecteris: in verborum, dicem, faciem: pluraque & innumera alia pluribus modis. Honerare autem etiam Propertio Palmerius è scripto libro restituit: ego, nisi audacius sit sine libris ausim Virgilio. Æneid. 10.

Isthic nunc metuende iace; non te optima mater.
Condet humi, patrioue onerabit membra sepulcro.

Ignorare hic lubet Hypalagen, & Virgilium scripsisse credere honerabit membra sepulcra. Honorandi quidem verbo nihil aptius potuit de sepulchro, & eo, in quo ratio maxima, paterno. Porro autem Honorare & Onerare mutuo veteribus inter se vertuntur atque vtriusque vicem est, Honerare. Pacuuius apud Nonium. Perib.

Postquam est honoratus frugum & floris Liberi.

Vbi iampridem eruditiss. Iunius emendauit, oneratus: quod nihili opus erat, si versus aliter constaret: sed malo tamen etiam ex hac forma, honeratus. Iam Honerem & Onerem, pro honore. ac contra Honorem pro Onere poni indentidẽ prodiderunt. Illius exemplum ex eadem Pacuuij Peribœa (alij, Iliona) apud Nonium, in Poti: pro Potiri.

Vsum honere credo adhuc sceptrum patienter poti.

Quem versum sine sensu vsque adhuc (nam præter Iunij & Gothofredi Nonianas editiones nullas dum mihi alias videre contigit.) lego.

Summo honere credo adhuc sceptrum potenter poti.

Alterius dant è Petronio In de mutatione Reip. Rom.

Prima quidem glacies & cana vincta pruina
Non pugnauit humus, mitique quieuit honore.

Honore inquiunt esse pro onere: de quo tamen in hoc quidẽ loco alia omnia ego sentio Quid est enim, tellus quieuit miti onere? Potius rescribendum arbitrer.

mitique horrore quieuit.

Traiectio vocis exscripturæ errore nata. Namque cum perperam scriptum inuenissent: mitique honore (sic enim suspicor duo rr in n, quo nihil procliuius, abiisse.) versui consulere trãspositu isto voluerunt. Mitis autem horror eleganter dicetur, cum terra primum frigore leuiter inhorrescit. Hæc breuiter de hoc παρέργῳ: de quo vellem plura, nisi seueriores iudices ipsius ἔργου me oblitum cum flagitio clamantes audirem.

Cap. 125. Præsentisque Germanici imperio regebatur.] Attendendum, ne nimis hoc vulgariter exaudiatur. Nam quod & ipsum est vulgare, dictum hic Præsentis, non qui tantum coram adest, sed qui cum imperio præest: vt Præesse exercitui, vulgatissime. Hoc monui, ne incogitantes & mei similes falleret: quomodo sæpe mox sua mente multa imprudenter à multis accipiuntur. Velut Præditus quod Apuleio pro Præfectus aut præpositus collocatum facile incautis posit trito illo sensu obrepere. Huius. etsi huc non pertinet, dabo tamen exemplum. De Deo Socratis. Ac vbi vita edita remeandum est. eundem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico & trahere velut custodiam suam ad iudicium.

Eod. Antiquaque seueritate vsus, ancipitia sibi tam re, quam exemplo perniciosa, & his ipsis militum gladiis quibus obsessus erat, obsidentes coercuit.] Quid dicam aliud, nisi alibi mentem habuisse correctores, cum hæc legerent? Neque enim ego mentem eorum vllam, bona quæ sit aut saltem non pessima, video. Ac mira prorsum res erit, ni vocula, ausus, inserenda, cui abolendæ illius alterius, vsus. fuerit similitudo: ni ve particula & suo loco excidit, qua reposita sic omnia fore scribenda, vt subijciam. Prisca antiquaq. seueritate vsus, & ancipitia sibi tam re, quam exemplo perniciosa ausus, his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat: obsidentes coercuit. Sane verbis nihil nũc clarius sententia nihil præclarius: & illa quouis pignore contenderim Velleium cogitasse, hanc prorsus expressisse.

Eod. Cum imperio obtineret, in summa pace.] Hoc

timis certe coactum Malum: Cum imperio obtinuit, & in summa pace quiete continuit.

Cap. 126. Cum inserta sint oculis animisque omnium.] *Sic facile fuit nuperis emendare ex Vitioso Veterum*, incerta. *quam ipsam Vocem corruptam eodem modo, necdum correctam in Ausonio, mirum. In Leontium, Burdigalensem professorem.*

Literis tantum titulum assecutus,
Quantus exili satis est cathedræ:
Posset incertus numero vt videri
Grammaticorum.

Quis dubitabit, insertis *fuisse scribendum? Vix me hercule possum, vt semel firmiter apprensum Ausonium dimittam sine vllo rerum illius aliquot, magnis meditis intactarum, sanatione. Sed auriculam vellit mihi Velleius: & defungi maturius cupit sua curatione.*

Eod. Quando pax latior;] *Rectum hoc quidem, nisi forte rectius* latior. *Nam sequitur*, diffusa in orientis occidentisque tractus. *Tamen omnino nihil muto.*

Eod. Pax Augusta per omnes terrarum orbis angulos à latrociniorum metu seruat immunes.] *Sic reposui audaciter, non adeo me, quam Veritate nisus. Quid enim falsum est, si hoc non est, quod in nuperrimis Aldi Schedisque editionibus?* per omnes terrarum orbis angulosa.

Cap. 127. Vt D. Augustus M. Agrippa & maxime ab eo, Statilio Tauro.] *Leuiter forte transcendum*: M. Agrippa maxime & ab eo Statilio.

Eod. Et enim magna negotia magnis adiutoribus egent: neque in paruo paucitas ministeria defecit.] *Multis partibus potius est, deficit. quod Verbum, ne mireris, actiuè capiendum: Vt & Virgilij loco Georg.* 1.

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit, cum iam glandes atque arbuta sacræ
Deficerent syluæ, & victum Dodona negaret.

Est enim Vbique deficere, *non sufficere, non præbere. Hoc antequam ipse sic acciperem, mutare fum adortus:* neque in paruo paruitas ministerio deficit. *quomodo esset interpretandum, deficitur. Tu vide lector, & vide, vbi maxime acuti videri voluimus, sæpe nihil nobis hebetius. Ego tamen ita moderari mihi foleo, vt coniectandum vbi est, nisi quæ oculis cerni, manibus tangi ac tractari pæne possint, non admittã, non probem. Et fieri nihilominus potest, immo fit, vt veri quadã specie oculi nostri præstinguantur, manus pro re vmbram obiectam apprehendant.*

Eod. Interestque Reip. quod vsu necessarium est, & dignitate eminere.] *Bucretius, aliter ego ille, Musarum nõ minus, nec minor, quam meus amor*, id dignitate eminere. *mauult.*

Eod. Sub his exemplis Tiberius.] *Aduerte non vulgatum præpositionis vsum: cui ille videtur similis, qui apud Petronium.* Totam concitabit viciniam, & nos omnes sub eadem causa obruet.

Eod. Materno vero genere clarissimas, veteresque & insignes honoribus complexum familias.] *Neque hic Vulgo tritus sermo: quem in Ausonio etiam obseruaui. Parentalib.*

Arborium, Æduico ductum de stemmate nomen.
Complexum multas nobilitate domus.

Eod. Actu otiosis simillimum.] *Supra de L. Pisone.* Et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, & magis quæ agenda sunt curet sine vlla ostentatione agendi.

Cap. 128. Qui C. Marium ignotæ originis.] *Qui apposite in hanc rem aduersus inuidos apud Sallustium*: Quod sine iure despiciunt me, faciant idem maioribus suis, quibus, vti mihi, ex virtute nobilitas cœpit.

Eod. Vt pæne assentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret.) Assentatio *non hic in malam partem sed pro* assensione. *Vt supra* assentari *Sua, pro* assentiri. Et iis qui à Cæsare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur: iis: qui ab ipso, aduersabatur. *Nec igitur mutandum in Petronio:* Tacentibus adhuc nobis, & ad neutram partem assentationem flectentibus, *vbi Gulielmius noster*, assensionem *reponebat. Et ad hanc faciem Apuleius* Conuersationem; *Venuste pro* conuersione. *In de dogm. Plat.* Eiusdem temporis spatiis mensuras mundanæ conuersationis intelligi. *Venuste, inquam: propter magnitudinem & molem, ac velut difficultatem.*

Eod. Adiuuanda vero onera principis Seianum protulit.] *Scribo* propulit, *id est, impulit, permouit. Alterum quam interpretationem commode recipiat, nemini docto videar indoctior, si me fatear ignorare. Sine posteriori orationis membro conuenire do, priori denego necesse autem erat, Vtrique.*

Cap. 129. Nati ad omnia, quæ recte facienda sunt.] *Tempestas memini quondam fuit, quum mallem*, quæ recta faciendo sunt.

Eod. Cum quanta grauitate, vt senator & iudex, nõ vt princeps & causas pressius audit? *Hic solidum mihi beneficium debere Velleium cogam, & cuius æstimatione non recusem omnem in eo operam nostram æstimari. Aldus postremum & erasit, bene opera sua se defunctum arbitratus. Enimvero aliud est, quod locum tam insignem corrupit. Traiectio inquam his nobis Surpanda, quæ multis locis ad Verum nos deduxit, nusquam magis, quam vbi nunc sumus. Etenim non verius scripsisse Velleium, quam sic scripsisse*: Cum quanta grauitate vt senator & iudex, non vt princeps & præses causas audit? *De senatus principe, de iudicij præside multa subtexere poteram, nisi & minus necesse putarem, & quo fini propior sum, eo magis properarem.*

Cap. 130. Quanta sua, suorumque nomine exstruxit opera?] *Istud vero à quauis poterat emendari: sed dormitarunt omnes. Per me non stabit amplius, quin* suo *corrigatur.*

Eod. Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, apud aures deorũ de his queri.] *Pietatem auctoris Vt considerares, alibi alii te monuerunt. Ad hunc autem locum vtiliter & iucunde legeris in Apuleio, iterum dico, non illo ex Arcadiæ pecuario, sed è Platonis hortulo, in de Deo Socratis, quæ ad istam Platonis sententiam prolixe & eleganter disputat*: Nam vt idem Plato ait, nullus Deus miscetur hominibus: sed hoc præcipuum eorum sublimitatis specimen est quod nulla contactione (*sic lego, non* contractione) nostra contaminantur.

Eod. Abstruso quod miserrimum est pectus eius flagrauit incendio.] *Etenim* crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet. *Iustin. lib.* 8. *Cuius mentione capio solitum impetum, Vt postremo hic ad finem pluscula quædam illius, tumultuariale ctione obseruata, corrigam. Lib.* 1. *Vbi de Bello Cyri aduersus Babylonios.* Babilonijs rex Lydorum Crœsus, cuius opes & diuitiæ insignes ea tempestate erant, in auxilium venit: victusque iam de sessollicitus in regnum refugit. *Vt in Veteribus sit scribendum*, victisque: *nempe Babyloniis, quibus auxilio venerat, non ipse victus. Eodem libro vbi de Lydis Cyro rebellantibus.* Quibus iterum victis, arma & equi adempti, iussique cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere. *Cum ijsdem Veteribus lego:* cauponias & ludicras artes. Cauponius, *ita formatum, Vt* histrionius: *habetque etiam Plautus fabula nescio qua* puer cauponius. *Quomodo Cicero dixit &* Præconiũ quæstũ. *Pro P. Quinctio.* Funestum est à fortiatque honesto viro iugulari: funestius ab eo, cuius vox præconio quæstu prostitit. *Item, vbi de Persarum regno in Darium translato.*

Incredibile prorsus tanta patientia cessisse eos, quod vt eriperent magis, mori non recusauerint. (*Coniicio* cessisse eo, [*Velletiam* eos) quod vt eriperent Magis, mori non recusauerant. *Lib.* 3. *Vbi de Lycurgi Repub.* Administrationem Reip. per ordines diuisit. Regibus potestatem bellorum: magistratibus iudicia, & annuos successores. *Malebam ex Vestigiis Vetustiorum codicum* per annuas successiones. *Ibidem, Vbi de Lacedæmoniis contra Messenios.* Lacedæmonij quoque eo conspiratius ad arma concurrunt, quo aduersus seruos dimicaturi videbantur. *Potius videtur*, quod aduersus seruos: *nisi altera ibi vox deest, quæ ex opposito respondeat* ῥᾳ conspiratius. *Lib.* 4. *Vbi Catinienses auxilia petunt ab Atheniensibus:* qui seu studio maioris imperij, quod Asiam Græciamque penitus occupauerant. *Forte* occupatu irent. *Sic namque scribebant, pro* occupatum irent: *quod erroris potest origo fuisse. Lib.* 5. *in oratione Alcibiadis ad Tissafernem.* Non enim quieturos post hanc victoriam Spartanos, qui vindices se libertatis Græciæ professi sunt. *Lege*, sint. *Ibidem: de præliis & victoriis Alcibiadis:* Vbique victor recipit ciuitates, quæ defecerant: nonnullas capit, & imperio Athenien sium adijcit. *Rectum hoc: sed MSS. alij* addicit, *alij* adicit, *quod posterius è Veterum pronuntiatione est, & exterendi i Vocalem consuetudine: de qua alicubi Gellius, opinor libro* 4. *Sic Martialis idem Verbum scripsit, lib.* 10. *ad Gallum.*

Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus,
Mane, vel à media nocte togatus ero.

Lib. 8. *in ipso Vestibulo insignem locum emendatione, superuacua corrumpunt. Quid enim magis elegans, aut perspicuum?* Græciæ ciuitates dum imperare singulæ cupiunt: imperium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, omnibus perire, quod singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt. *Reponunt*, omnibus peruiæ: *frustra quod monui, ne qui hominum auctoritate inducerentur in errorem. Acumen Senecain re nõ dissimili prorsus simile. Ep.* 90. Societatem auaritia distraxit & paupertatis causa etiam his, quos fecit locupletissimos fuit. Desierunt enim omnia possidere, dum volunt propria. *Nec longe abludit istud ibidem*: Irrupit in res optime positas auaritia, & dum seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena: & in angustum ex immenso redacta, paupertatem intulit, & multa concupiscendo, omnia amisit. *Lib.* 11. *Vbi de concione Alexandri*, Qui pro concione ita vulgus omne consolatus, hortatusque pro tempore est, vt & metum timentibus demeret, & in spem omnes impelleret. *Sequor scripros libros:* & spe omnes impleret. *Venustior oppositio, demere, implere.* Et spe implere *phrasis Iustino familiarissima. Impressi quidam etiam addunt*, spe sui. *Lib.* 13. *non procul fine.* Aristæum in Arcadia late regnasse eumque primum & apium & mellis vsum, & lactis ad coagula hominibus tradidisse *Scribo*, & lactis adeo coagula. *sed Verius, dubitare is poterit, qui & sensum & literas intentius aspicit. De Aristæo apium Vsu inuentore interpretes Virgil.* 4. *Georg. Mellis colligendi auctorem etiam aliũ ipse Iustinus. lib.* 44. *refert, Gargorem Curetum regem. Lib.* 24. *in Oratione Eumenis capti ad milites.* Vos me ex victore victum, vos me ex imperatore captiuum feci stis: quater intra hunc annum in mea verba iureiurando obstricti estis, & ista omitto. Neque enim miseros conuitia decent. Vnum oro, si propositorum Antigoni in meo capite summa consistit, inter vos me velitis mori. *Legendum, cum hac interstinctione*: obstricti estis: sed ista omitto. *Abrumpendæ orationis hæc forma pueris etiam nota. Lib.* 29. *non procul initio.* His regibus pueris, etsi nulli seuerioris ætatis rectores erant, tamen in suorum quisque maiorum vestigia intentis, magna indoles virtutis enituit. *Non damno*, in suorum quisque: *Vt pro* quibusq. *sit, magis tamen amo impressoris quorũdã lectionem*, quisque *id est* quoq. *Singulis, inquis, intentis in Vestigia maiorum, sed quoque in suorum. Aliquando post*: Siquidem consurgentibus ab Occidente nouis Pœnorum & Romanorum imperiis, quibus vna hæc à Græcia sit mora, dum inter se bello discrimen imperij faciunt: ceterum statim victoribus transitum in Orientem fore. *Rectius* faciant. *Ad finem*: Super hæc vastati Macedonas, vltionem flagitabant. *Verum*, Macedones. *Lib.* 30. Contra Philippus adduci se posse, vt Romanis pareat, concedebat: ceterum indignum esse, *&c. Putid oratio, concedebat, se adduci posse. quin scribis*, contendebat. *Libro* 31. Ad hoc sibi centum naues & decem millia peditum & mille equites poscebat. *MSS. habent*, mille equitũ. *quæ antiqua forma locutionis, pro, mille equites. de qua Gellius, sed dememini quoto libro. Nec dubitem in Iustinũ recipere, qui è Trogo antiquario acceperit: nisi quod sensus aliquam parit ambiguitatẽ Lib.* 38 *De fuga Demetrij.* Eodem amico comite repetita fuga est: sed pari infelicitate prope fines regni sui deprehenditur, ac denuo perductus ad regem vt inuisus à conspectu summouetur, *Scribes*, reprehenditur: *quod proprie de fugiente. Lib.* 40: *sub finem.* Ne volenti quidem Syriæ, nedum recusanti datarum se regem, qui x viii, anno, quibus Tigranes Syriam tenuit in angulo Ciliciæ latuerit. *Quis non videat legendum*, annos? *Lib.* 44. Huc accedunt & marinæ auræ vndique versus assidui status, quibus omnem prouinciam penetrantibus, euentilato terrestri spiritu. præcipua hominibus sanitas redditur. *Pro* vndique versus, *quod & alij sollicitarunt, ausim addita copula reponere Apuleianum*, & vndique secus: *id est, ab omnibus partibus. Pergam, lector, an iam quoque nimium grassatus sum? Hercle vero nimium: & longius à Velleio, quam excusari possit, recessimus. Sed posse tamen opinor. Iam iam & Velleium, & te absoluam.*

Eod. Mater eminentissima & per omnia Diis, quàm hominibus similior fœmina.] *Loca similia huius multa, è queis pauca bona fide retinuit memoria. De Iul. Cæsare.* Animo super humanam & naturam & fidem euectus. *De Pompeio.* Per omnia fortunam hominis egressus. *De M. Catone.* Per omnia ingenio Diis, quàm hominibus propior.

Cap. 131. Voto finiendum volumen sit. Iuppiter Capitoline & auctor & stator.] *Senecæ loco & mihi finiendus liber sit, quem attulerit aly Velleij causa, ego ipsius Senecæ. Lib.* 4. *de Benefic. cap.* 7. Natura inquit, (*lege mecum*, inquis) hæc mihi præstat. Non intelligis, te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo. Quid enim aliud est natura quàm Deus, & diuina ratio toti mundo & partibus eius inserta? Quoties voles, licet tibi aliter hunc auctorem rerum & naturarum compellare. Et Iouem opt. max. rite dices, & Tonantem & Statorem. qui non, vt historici tradiderunt, ex eo, quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stitit, sed quod stant beneficio eius omnia, stator stabilitorque est. *Attuli inquam, vt emendarem. Quid igitur, inquies etiam hic post Lipsium? Est vero, mi lector, aut ego fallor. Nec autem ego quid contra Lipsium, quem Virum per omnia Dijs quàm hominibus ingenio propiorem, Vtilumen Vnicum & numen aui nostri colo & veneror præter omnes, quos ille admiratores cultoresque Vbique habet plurimos, Tantum eius Vestigia insistens, locum, quem primus ille maculis multis & fœdis liberauit, Vna etiam non honesta verecunde liberabo. Nam ita inibi scribendum nobis, ad sibita leui traiectione, leuiori mutatione videtur.* Quoties voles, tibi licet aliter hũc auctо-

rem rerum compellate. Et Naturam, & Iouem opt. max. rite dices, & tonantem, & Statorem. *Dequo etsi mihi iam pæne persuasum, doctos tamen omnes, ac te imprimis (iam nunc enim ἀυτοδὸν te ipsum compello) doctissime Lipsi, arbitrum capio: cuius vnius censuræ omnia nostra meque ipsum adeo, nouum in his literis nouitium, animo volentissimo submitto & permitto, habiturus ista ætate, in studiorum isto stadio, tuum iudicium aut calcar, vt progrediar, aut frænum, vt subsistam, & desistam: quorum illud quidem vnice opto, sic vt sperem: hoc ita metuo, spem vt alterius non abjiciam.*

IANI GRVTERI NOTAE AD VELLEII LIBRVM PRIMVM.

CAP. 1. Ob segnitiam non vindicatæ fratris iniuriæ.] *Fuisse patri suam caussam ita castigandi filium: prolixius ostendimus ad Taciti caput primum libri decimitertij, vbi Junio Silano exitium intentat Agrippina,* quod fratri eius L. Silano necem molita, vltorem metuebat.

Eod. Tres ibi vrbes statuit, duas à patriæ nomine: vnam à victoria.] *Reuocaui vocalum* duas: *quod eam exhiberent membranæ, in hunc vsque diem vnicæ, quas contulit Burerius, & repræsentauit Rhenanus, Aldusque Manutius nepos, primus exscripsit. at ne sic quidem bene procedebat nexus verborum.*

Eod. Hereditarium exercentis in eum odium.] *Plane contra bonos mores, secundum quos* Amicitiæ immortales, inimicitiæ mortales esse debebant, *vt pluribus dissero ad prouerbium illud Liuio positum, libro quadragesimo, capite 46. At de* odiis hæreditariis *diximus ad orationem Cossutiani apud Tacitum libro decimo sexto capite 28. affirmantis,* Paconium Agrippinum paterni in principes odij heredem. *Nimirum, cum hodie obtineat, vt nemo fere emendationi aut interpretationi cuiuscumque etiam libelli manum admoueat? quin ibidem statim quoque dicta atque exempla, publice quidem priuatim ve salutaria, sed à se satis splendida satis robusta, variis aliorum scriptorum sententiis confirmet illustret ve: idem & mihi, spero licebit circa duo alioquin literarum sui sæculi lumina, Liuium ac Tacitum: idque tanto iustius, quod omnia ipsorum, minima, maxima, à capite ad calcem examinaturi simus: non paucula quædam non protrita, non eximia: dabantur autem illa seorsim separata à textu suo. Ceterum quid de eis lector sibi polliceri possit, docebitur ex specimine huius rei, quod iampridem publicauimus titulo* Discursuum.

Eod. Hunc Orestes matremque, socia consiliorum, &c.] *Ita malui, quàm vt iam integrum fere sæculum lectum fuit. Vulgo,* cum socia, *quod ipsum sententiam facit ambiguã vtique cui fabula isthæc incognita. dubitet enim quis, occiderit ne cum matre vna & sororem suam Orestes, an vero sororem habuerit adiutricem cædis maternæ, certe non comparere præpositionem illam in membranis quæ nobis suppeditarunt Velleianum istud scriptum, docemur ex variantibus lectionibus Burerij: cur autem lectio ista primigenia tolerari nequeat, non video: multo minus, cur debeat mutari in,* conscia consiliorum. *vt adlubescebat viro harum literarum primario.*

Eod. Factum eius à Diis comprobatum: spatio vitæ & felicitate imperii apparuit.] *Haud vsquequaque procedere hanc argumentationem, prodidimus largiter ad illa Taciti libro Ann. 1. 14. cap. 11.* Quæ adeo sine cura Deũ euenirent, vt multos post annos Nero imperium & scelera continuauerit.

Eod. Sterilitate frugum compulsi.] *Hanc vnam esse ex caussis cur sedes suas mutarent gentes, ostendi exemplo non vno ad Tacitum libro 13. cap. 55. vbi ait :* Chamauorum quondam ea arua, mox Tubantum, & post Vsipiorum fuisse, &c.

Cap. 2. Immistusque castris hostium, de industria rixam ciens, &c.] *Habuisse hoc priora sæcula vere heroicum, vt reges suo sibi exitio exercitus sui redimerent salutem, diduximus Cornelii libro 1. Annal. cap. 42. vbi testatur Germanicus,* Non mihi vxor aut filius, patre aut Rep. cariores sunt.

Eod. Insulam circumfusam Oceano, perexiguo à cõtinenti diuisam freto.] *Si quis verba ista penitius excusserit, attentus breuitati quam toto hoc opere sibi proposuit auctor, mecum sentiet, videri scilicet omnia à manu glossatorum: vt forte & præcedentia illa,* in extremo nostri orbis termino. *quid enim opus dicere, esse Gades imperij Romani terminum, cum fuerint alioquin (eorum quidem tempore opinione) ipsius quoque orbis? Vnde Scipio, apud Liuium lib. 28. cap. 32.* Magonis hercle sibi, qui extra orbem terrarum, in circumfusam Oceano insulam cum paucis perfugerit nauibus, &c.

Cap. 3. Quod cum alij faciant, Tragici frequentissime faciunt.] *Obnubilat splendorem orationis vox* faciant *commodius subintelligeretur.*

Cap. 4. Huius classis cursum esse directum alii colũbæ antecedentis volatu ferunt.] *Bene & Latine dictum, neque opus erat medicina sermoni sano. Sic etiam locutus libro 4. Curtius:* Quatriduum per vastas solitudines absumptum est. iamque haud procul oraculi sede aberant, cum complures corui agmini occurrunt, modico volatu prima signa antecedentes.

Eod. Diligentior ritus patrii mansit custodia.] *Vix fieri, vt non mutent mores nouarũ sedium aucupes: multis probo ad Tacitum lib. 6. Annal. cap. 6.* Plurimum adulationis Seleucenses inducere, ciuitas potens, septa muris neque in barbarum corrupta: sed conditoris Seleuci retinens.

Eod. Magna vis Græciæ iuuentutis, abundantia virium sedes quærentes.] *Nimis putidum est hoc inferire* Græciæ iuuentutis: *nam quamuis ita expresserit Rhenani editio: diserte tamen testatus est Burerius, extitisse in authentico exemplari,* Græcæ *Ceterum & virium abundantiam fuisse caussarum vnam, cur homines patriam aliqs mutarent sedibus ostendimus ad Liuium libro 39. cap. 54.* Se superante in Gallia multitudine, inopia coactos agri & egestate, ad quærendam sedem Alpes transgressos.

Eod. Mityleneq. & alias vrbes quæ sunt in Lesbo insula.] *Deleuerim pro putido glossemate,* vrbes quæ sunt.

Cap. 5. Quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inuentus est.] *Locus oblitus vocalis aliquot, ab librarijs nimium liberaliter inuectis, quippe suffrecisset:* quod neque ante quẽ imitaretur neque post, qui eum imitari posset, inuentus sit.

Cap. 6. Eorum regem mollitiis fluentem.] *Ita plane membranaceus codex, non* florentem, *quod inuexit aliorum nimium florida luxuria.*

Eod. Nimium felicem malo suo.] *Sic est: felicitas passim optatur voto non vno: at eam nactis, ipsa fere insusurrat.* Illic homo à me sibi malam rem arcessit, iumento, suo *de qua re nos plura ad verba Galbæ lib. 1. Hist. Tacit. cap.* 15. Secundæ res acrioribus stimulis animum explorãt. quia miseriæ tolerantur: felicitate corrumpimur.

Eod. Lycurgus Lacedæmonius, vir generis regij.] *Vix est vt triga vocum vltima, non sit à manu mala: nec heic modo sed etiam infra:* circa quod tempus Caranus, vir generis regii. *Scilicet librarius existimabat viris magnis omnẽ perituram maiestatem: nisi orti forent genere regio.*

Eod. Et disciplinæ conuenientissimæ viri.] *Non possum non exosculari coniecturam clarissimi Lipsij,* viris. *nam est sane voluptas & quies, aliorum omnium, quam virorum, Tacitus lib. 6. Annal. cap. 25.* Sed Agrippina, virilibus curis feminarum vitia exuerat. *Vbi nos plura.*

Cap. 7. Sed patriam contumeliosissime.] *Iure fugillat poetam Velleius ea enim patriæ auctoritas in ciues, vt nulli non impingere posit Terentianum illud :* —— nam si ego digna hac contumelia.

Sum maxime: at tu indignus qui faceres tamen. *in quam rem abunde multa collegimus ad Liuiũ lib. 27. cap. 36. Vbi est:* Vt parentum fœuitiam: sic patriæ, patiendo ac ferendo leniendam esse.

Eod. Vix crediderim tam mature tantam vrbem creuisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.] *Nec caret hæc eius incredulitas sua ratione, vt ostendi ad Taciti locum lib. 14. c. 27.* Laodicea tremore terræ prolapsa, nullo à nobis remedio, propriis opibus reualuit.

Cap. 8. Certamen ad exercitandam corporis animique virtutem efficacissimum.] *Idque requiri in omni certamine legitimo, diffuse probauimus ad illa Liuij libro 1. cap. 9.* Ludos parat Neptuno equestri solennes: Consualia vocat.

Eod. Quo in ludicro omnis generis certaminum Hercules victor extitit.] *Omnino dicit Herculem ibi victorem fuisse in omni genere certaminum: & inepte aliter aut distinguas aut interpretere. quid. n. nouiadstruas Herculi, si vno forte alteroq. genere superiorẽ & vt dissentiat Pausanias, quid tum? an ab eo nusquam abiit auctor noster, quam isto loco?*

Cap. 9. Adeo varia fortuna cum Consulibus conflixerat, vt plerumque superior fuerit, magnamque partem, &c.] *Non dubito quin legendum sit* superior, magnam partem. *nam* vox fuerit *formata est patre Rhenano. Liber vnde isthæc descripsit habebat tantum,* fuit: *à glossa scilicet, vt & q; sequens.*

Eod. Coegit è Macedonia profugere: quam ille linquens, in insulam Samothraciam profugit, templiq. &c.] *Nocuerunt & heic forte auctori scribarum ignorantia. nam satis fuisset,* coegit è Macedonia in insulam Samothraciam: templique, &c. *omissis ceteris vocibus.*

Eod. Templique se religioni supplicem credidit.] *Ficulneum vere auxilium, tale, profugium: recte indicat Tacitus lib. 1. Hist. cap. 43.* Piso in ædem Vestæ peruasit, exceptusque misericordia publici serui & contubernio eius abditus: non religione, nec cæremoniis, sed latebra imminens exitium differebat. *ad quem locum examinamus 5 quatenus religio tutetur victos; & an victori illa obiici possit religio aduersarii vtique sui: quæque ideo desisse videri queat.*

Eod. Assidua eminentis fortunæ comes Inuidia, &c.] *Fabius apud Liuium libro 8. cap. 31.* Etiam inuidiam, tãquam ignem, summa petere. *Vbi plurimas auctorum similes sententias coacernauimus: si non bono, at certe nullo inuenturis malo: cui indicatum cupimus, quibus nam potissimum attendere debeat in legenda Historia: vtique inter alia, penitus ei noscendam vulgi naturam, nec non perdiscenda & regum & optimatium ingenia. prout agunt sub hac, vel illa, vel ista imperij forma.*

Cap. 10. Et regẽ deliberaturum se dicentem, circumscripsit virgula, &c.] *Adducam locum Iustini lib. 34.* Cũ cunctari eum videret, consultationem que ad amicos referre: ibi Popillius virga quã manu gerebat, amplo circulo inclusum, vt & amicos caperet, consulere iubet, &c. *Amico meo prorsus languebat verba,* vt & amicos caperet, *nec plane videbat quid vellet: itaq. referebat,* vt vt amicos caperet. *Verum ego non video quid sibi velit hæc emendatio: at Iustini altera lectio hoc vult, circulo eã fuisse capacitatẽ, vt intra eũ stare possent amici Antiochi aduocãti.*

Eod. Duos minores natu, prætextatos, quo tempore victoriam adeptus est, habuit.] *Interpretamentũ manifestarium* minores natu, *adiectum voci* prætextatos. *quare omnino tollendum.*

Eod. Quippe Fuluij censoris frater, &c.] *Laudauit locum istum cap. 8. lib. 34. Liuij: Vbi aliquam multos recensebam, qui cordatè patriam cognationi prætulerunt.*

Cap. 11. Pseudophilippus, à mendacio simulatæ originis appellatus, qui se Philippum, regiæque stirpis ferebat, cum esset vltimæ.] *Si quis abjciat:* à mendacio simulatæ originis appellatus, *idem tamen intelliget lector ex verbis sequentibus. Interim notabile quod legitur apud Tacitum lib. 12. cap. 62. Cuncta repetiuere Byzantij, orsi à fædere quod nobiscum iecerãt. quã tempestate bellauimus aduersus regem Macedonum, cui vt degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum, ex eo enim apparet, tali nomine nuncupari, non falsos modo, sed eriam degeneres.*

Eod. Hic est Metellus Macedonius, qui porticus.] *Vix est, vt illa,* Metellus Macedonius, *non sint à largitione librariorum, quæ enim præcedunt, idem aperte clamant, quod biga hæc verborum: adeo vt sit superflua.*

Eod. Primus omnium Romæ ædem ex marmore, &c.] *Meo iudicio, locus iste nullo potest modo accipi, tamquam Metellus ipsi Romæ, veluti Deæ, templum extruxerit, fuerit enim præter decorum id auspicari Romanos ipsos. Orta illa diuinitas primum à prouincialium adulatione. At si de alterius Dei Deæue templo verba intelligenda sunt, cur id non nominauit auctor? quia satis indicarat expresso loco, in quo templum illud positum erat, dum inquit :* in iis ipsis monumẽtis molitus. *Sic Liuius libro 45. cap. 15.* Eodem anno C. Cicereius ædem in Albano dedicauit, quinquennio postquam vouit.

Eod. Nam præter excellentes triumphos.] *Quamuis haud pluries triumpharit Metellus, non ideo tamen rescribendum,* excellentem triumphum. *auctore enim non concinante fastos, nihil vetat quin* usurpet numerum pluralem pro singulari, *figura classicis auctoribus vsitatissima, cuius aliquot produximus exempla Schediasmate ad librum 1. Annalium Taciti, capite 55.*

Eod. Innocentesque pro republica cum inimicis cõtentiones.] *Sic & se,* offensionum pro vtilitate publica, non pauidum, *iactat Tiberius lib. 4. Annal. Taciti cap. 38. ad quem locum nos de hac re plura.*

Cap. 12. Omnibus belli ac togæ dotibus eminentissimus.] *Non omnia, nimirum eidem Dij debere, certe non inueniri eosdem bonos bello, bonos in pace, variis*

magnorum exemplis ostendimus ad Cornelium nostrum.

Eod. Quam vllius temporis noxiæ.] *Eiecta est vox ab editoribus minime negligenda. primitus cusi:* vllius eius temporis noxiæ. *bene: modo reformetur dictio vltima, scribaturque præterea,* vlla eius temporis noxia: *nisi placent reponi cum Lipsio,* vllis eius temporis noxis.

Eod. Neque ante inuisum esse desinit, quàm esse desiit.] *Non est necesse hæc auellere à gnoma superiore, si modo* inuisum *interpreteris ac si neutri esset generis, notaretque* rem inuisam.

Cap. 13. Omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuit, vt Polybium, Panætiumque præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit.] *Non est profecto nimia laus Scipionis, fuisse doctrinæ omnis auctorem. nam eidem fauere, vel barbarorum fuerit. De Annibale Æmilius Nepos:* Atque hic tantus vir, tantisque bellis districtus, non nihil temporis tribuit litteris. nam aliquot eius libri sunt, Græco sermone confecti: in his ad Rhodios de C. Manlij Vulsonis in Asia rebus gestis. Huius bella gesta, multi memoriæ prodiderunt: sed ex his duo qui cum eo in castris fuerunt simulque vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Philænius & Sosilus Lacedæmonius.

Cap. 14. Ab hinc annos autem CCCL. Sp. Postumio, Veturio Caluino Coss. Campanis data est ciuitas.] *Videatur ad hunc locum omnis antiquitatis condus promus, Stephanus Pighius in Fastis suis.*

Eod. Interiecto deinde triennio, Fundani & Formiani in ciuitatem recepti.] *Consule & ad hunc locum amicissimi Pighij elaboratissimos Fastorum libros: quos cum morte prauentus non absoluerit, manebit perpetuo imperfecta Venus illa historica.*

Eod. At Q. Fabio quintum.] *Sic alias fuisse in ms. suo, testatus est Rhenanus: itaque fidenter eieci alterum:* At quinctum Fabio, Q. Decio.

Cap. 15. Cui in demoliendo eximia ciuitatis seueritas.] *Nihil propius vero, quàm illud,* in demoliendo, *natū ab interpretum vulgo. certe si abijciatur, nihil discesserit sētentiæ, nisi crux ingeniorum.*

Cap. 16. Quod eminentissima cuiusque professionis ingenia, in eam formam, & in idem artati temporis congruens spatium. &c.] *Valde hæc & sequentia fracta sunt: neque quis facile redintegrarit sine codicibus authenticis. Suspicabar aliquando rescindendam vocem primam & penultimam, legendumque:* Quis enim abunde mirari potest eminentissima cuiusque professionis ingenia in eandem formam & in idem artati temporis spatiū? *quamuis etiam retenta voce penultima, commode legas:* Et in idem artati temporis congruisse spatium? *verum valeāt vana suspicionum.*

Eod. Quemadmodum clausa capsa, alioque sæpto, &c.] *Cum restaret in autographo,* capso, *diuinabam aliquādo* saxo: *vt scopulo comprehensa voluerit circumdare aqua: de qua rescripsi quondam in Suspicionum libellis. sed nunc, ne mutire quidem audeo.*

Cap. 17. Et nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit.] *Minima quidem mutatione feceris,* imitationē *sed nihil ea necesse est, incitatur enim industria: modo rei pulcritudine, modo liuore: cum aliquem sibi æquatum cernit prælatumue cui se parem sentit: vt pluribus ostendimus libro secundo Annal. Taciti, cap. 38. vbi est.* Languescet alioqui industria, intendetur socordia: si nullus ex se metus aut spes, &c. *Sic Plinius Panegyrico Traiano dicto:* Hac mihi admiratione dignus Imperator non videretur, si inter Fabricios & Scipiones & Camillos talis esset: tunc enim illum imitationis ardor, semperque melior aliquis accenderet.

Eod. Ita vbi aut præteriri, aut æquari. *Sic omnino Rhenani editio, non,* præteriti, *quod in aliquot editionibus incuria typothetarum.*

Eod. Sequiturque vt frequens ac mobilis transitus, maximum perfecti operis impedimentum sit.] *Id est in eo ipso impeditur operis cuiusque perfectio, quare nihil heic innouandum: nam quamuis præcesserit:* difficilis in perfecto mora est, *loquitur ibi pro captu hominis vlterius procedere desperantis, alioquin, tantum abest vt ars vlla consummata dici mereatur, vt sentiam cum Seneca:* id quod vnum toto agimus animo, nondum perfecimus: vt pessimi essemus. *lib. 7. Natur. quæst. cap. 31.*

Cap. 18. Adeo vt corpora gentis illius separata sint in alias ciuitates: ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes.] *Liquidior processerit oratio, sublata vocula,* sint.

Eod. Quæ vrbes talium studiorum fuere steriles.] *Vexant sese hoc loco homines, non circa verba Velleij, verum coniecturas Burerij. is enim nobis de suo obtrusit,* quæ vrbes & multæ aliæ: *cum reperisset in membranis illis vnicis,* quæ vrbes & initalia talium studiorum. *at quis non videt, voluisse librarium.* quę vrbes & in Italia. *quod tamen & ipsius est splenium, indicans idem fatum fuisse Italiæ, si Dijs placet, quod Græciæ.*

IN LIBRVM SECVNDVM.

CAP. 1. Remoto Carthaginis metu, sublataque imperii æmula non gradu, sed præcipiti cursu à virtute descitum, ad vitia transcursum.] *Ferre possem iugulari vocem vltimam* transcursum *nam si desciuit Roma præcipiti cursu à virtute ad vitium, quid opus addere transcurrisse ipsam ad vitium? Porro notabile est, fatum idem vrbes vrgere, quod & homines persequitur, qui vbi neminem habent quem metuunt, quē reuereantur, vix possunt* --- æqua commoda mente pati. *vt diximus largo ore ad Tiberianum elogium Taciti, libro 6. capite 51. quod habet:* Postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu, suo tantum ingenio vtebatur.

Eod. Sed interempto Viriatho, fraude magis quàm virtute.] *Virgilij illud:* -- Dolus an virtus quis in hoste requirat? *quatenus locum habeat in bello, ostendimus ad prudentum verba libro 42 Liuij cap. 47.* Interdum in præsens tempus plus profici dolo, quàm virtute: sed eius demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis cominus viribus iusto ac pio bello esse superatum.

Cap. 2. Promulgatis agrariis legibus omnib. statum concupiscentibus &c.] *Posset etiam rescribi* statim. *Sed reuera nihil dilucidius Lipsiana emendatione:* omnium statū concutientibus. *quo ipso innuit, præter publicam vtilitatem huiusmodi introducta. prudenti enim inprimis inquirendum,* num coercitio plus damni in Rempubl. ferat, *quemadmodum loquitur apud Tacitum Tiberius lib 3. Annal. c. 52. vbi nos de remediis talium morborum, plura.*

Eod. Triumuiros agris diuidundis, coloniisq. deducēdis creauit.] *Non est necesse quidquam heic mutare, etsi nulli creati Trium-viri coloniis deducēdis. sicut. n.* seruitia *dicimus* ipsos seruos, matrimonia, ipsas matronas, coniugia, ipsas coniuges, *ita & heic* colonias, ipsos colonos: *γεωργὺς tamen non ἀποίκοις.*

Cap. 3. Vitam, quam gloriosissime degere potuerat immatura morte finiuit.] *Vnde egregie Tacitus libro 3. Annal. cap. 66.* Brutidium artibus honestis copiosum, & si rectum iter pergeret, ad clarissima quæq. iturum festinatio exstimulabat: dum æqualeis, dum superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat, quod mul-

tos etiam bonos pessum dedit: qui spretis quæ tarda cum securitate: præmatura, vel cum exitio properant *vbi nos non pauca ex omni accumulauimus historia.*

Eod. Inde ius vi obrutum, potentiorque habitus prior.] *Quid mirum? cum audiamus è Tiridate:* Id in summa fortuna æquius, quod validius & sua retinere, priuatæ domus, de alienis certare, regiæ laudis est, *vt retulit Tacitus lib. 15. cap. 1. Annal. vbi nos gnomam illā excussimus.*

Eod. Non enim ibi consistunt exempla vnde cæperunt, &c.] *Haud pauca protulimus sententiæ isti firmandæ, ad illa Cornelij, lib. 13. Annal. cap. 16.* & parricidij exemplum intelligebat.

Cap. 4. In quem creatus est anno trigesimo sexto: ita dubitare desinet.] *Irreptitiæ videntur voces tres à fine si exterminaueris, nihil discesserit sententiæ.*

Cap. 6. Longe maiora & acriora repetens.] *Haud displicet Lipsianum;* acrior.

Eod. Vt Tiberii Gracchi antea corpus, ita Caii, mira crudelitate victorum, in Tiberim deiectum est.] *Humanitatis sane nunquam erat obliuiscendum:* Siquidem ne hostes quidem sepulturam inuident, *vt proditore Vibuleni lib. 1. cap. 22. Annal. Tacitus vbi nos, de lege hac naturæ plura.*

Cap. 7. Immunisque delictorum paternorum Fuluii Flacci filius.] *Inde & illæ Pisonis præces ad Tiberium pro filio* M. Piso repetere Siriam dehortatus est, atque vtinam ego potius filio iuueni, quàm ille patri senicessisset. eo impensius precor ne meæ prauitatis pœnas innoxius luat. *Tacitus lib. 3. Annal. cap. 16. ad quem locū haud paucis probaui,* nullam legem punire innocentes, *vti loquitur Quintilianus Declamatione* CCCLXVI.

Eod. Et visa vltio, priuato odio magis quàm publicæ vindictæ, data.] *Ita certe plerumque fit, quemadmodum luculenta exemplorum copia palam fecimus, ad ista Taciti lib. 15. cap. 44.* Vnde quamquam aduersus sontes & nouissima exempla meritos, miseratio oriebatur: tanquam non vtilitate publica, sed in sæuitiam vnius absumerentur.

Cap. 8. Adeo illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur quàm modum: factaque ad consilium dirigebant.] *Æquitas huius iudicij vnde petita, declarauimus in historia Liuiana.*

Cap. 9. Quo quidem tempore iuuenis adhuc Iugurtha ac Marius, sub eodē Africano militantes, in iisdē castris didicere, quæ postea in contrarijs facerent.] *Videri queant adsuta à librario,* sub eodem Africano militātes, *necessario enim subintelliguntur cum sequatur,* in iisdem castris, *præcesserit vero,* quo quidem tempore.

Cap. 11. Quantum bello optimus, tantum pace pessimus.] *Duo ista conuenire frequenter in vnum eundemque hominem, exemplis patefecimus ad Liuium.*

Eod. Naturalem nobilitatis superbiam.] *Hanc fere maculam nobilitatis, ingenitam diximus etiam ad Liuium libris prioribus.*

Eod. Et meritum virtutique cognomen Numidici inditum.] *Maluissem reiecta voce postrema,* & meritum virtute cognomen *Numidici, vt subintelligeretur:* clarissimum fuit.

Eod. Quemadmodum vrbium imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nūc interire.] *Videsis præclara multa istis illustrandis, apud eruditionis omnis honestæ antistitem, Petrum Fabrum, libro Semestrium primore.*

Cap. 13. Non intelligentem si qua de plebis commodis ab eo ageretur, veluti inescandæ illiciendæque multitudinis caussa fieri, vt minoribus præceptis, maiora permitteret.] *Fieri istud plerumque ostendimus ad illa Liuii libro quinto, capite secundo.* hoc illud esse dictitantes quod æra militibus sint constituta. nec se fefellisse, id donum inimicorum veneno illitum fore, &c.

Cap. 14. libera à conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset.] *Quis non videt superfluere tanquam interpretamentum sequentis sermonis?* libera à conspectu, *itaque tollatur.*

Eod. Si quid in te artis est, ita compone domum meam.] *Nullam video emphasin in postremis verbis duobus: vixque est vt non debeantur curiositati librariorum.*

Cap. 15. Cum id malum in vniuersa Italia ab Asculis esset (quippe, &c.) ac deinde à Marsis exceptum.] *Vel delenda est vocula* esset, *vel potius sequendum exemplar scriptum, quod verbo auctius,* ab Asculis ortum esset.

Cap. 17. Petensque consulatum, pene omnium ciuiū factus est.] *Aut omnia me fallunt, aut rescribendum,* nactus est, *qui fingunt,* aptus est: *prius docere debebant, tam antiquatum vocabulum conuenire Velleio.*

Eod. Sed eum honorem vndequinquagesimo ætatis suæ anno assecutus est.] *Non iuerim inficias, ita scribere potuisse Velleium, sed tamen elegantius fuisset & breuius:* nactus, vndequinquagesimo ætatis anno *omissis illo.* & assecutus est, *&,* sed eum honorem.

Cap. 18. Aliquando fortuna, semper animo maximus.] *Vir summus adducit heic fragmentum Sallustij de eodem Mithridate:* Mithridates corpore ingenti, perinde & armatus: *exque eo facit* perinde & animatus. *forsan vere, si constaret nobis quæ verba huic frusto annexa fuissent. id cum non liqueat, putarim suam esse energiam lectioni vulgatæ Sic Curtius fere lib.* 8. Ipse Porus humanæ magnitudinis propemodum excesserat formam. magnitudini Pori adiicere videbatur, bellua, qua vehebatur, &c.

Eod. Quibus libertas in vnius Theophanis gratiam postea à Pompeio restituta est.] *Toti ciuitati prodesse ciuis vnius bonas artes, non vno monstrauimus exemplo ad Taciti Annales lib. 12. cap. 61. vbi Claudius, in gratiam medici Xenophontis, Coos omni liberat tributo.*

Eod. Quasi pigeret eum virtutum suarum, & bene consulta ei male cederent.] *Haud ideo desciscendum à virtute neque destituendum consilium honestum si fortuna in alia omnia inclinat, pluribus firmamus ad Tacitum.*

Cap. 19. Caputque eius erectum & ostentatum pro rostris.] *An potius fuit?* exectum & ostentatum.

Eod. Marius post sextum consulatum, annoque septuagesimo.] *Potest esse à glossa,* annoque septuagesimo. *nam ætatem illam expressit. antea capite 18.*

Eod. In carcerem Minturnensium, iussu duumuiri.] *Nocuit loco scripturæ compendium. fuit certe,* iussu duumuirali.

Eod. Cum Marius adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.] *Æque acute Manilius lib. 4. Astronom. de Mario & Carthagine:*

Et iacuit Lybicis compar iactura ruinis,
Eque crepidinibus cepit Carthaginis arces.

Eod. Ad quem interficiendum missus cum gladio seruus publicus, &c. *Merum glossema,* cum gladio: *additum ab eis, quibus gnarum statim sequi,* abiecto gladio profugit è carcere. *at ideo mihi potissimum heic superuacuum videtur idemq; sentio de illo,* è carcere, *quæ modo produxi.*

Eod. Magno eiulatu, exprimenti indignationem casus tanti viri.] *Minime legendum* expromens; *vt sedet nonnullis: nam vox* expromenti, *non respicit seruum Germanum, sed vocem adsitam* eiulatu.

Cap. 21. Temporibusque insidiari videretur, & huc atque illuc, vnde spes maior adfuisset potentiæ, se exercitumque deflecteret.] *Diuinaui aliquando scriptum auctori,* spes maior adfulsisset potentiæ, *figura eleganti*

& auctoribus frequentata: neque adhuc pœnitet: quamuis non adsperner scripturam receptam.

Eod. Sub ipsis mœnibus, sociisque vrbis Romanæ pugnantibus spectantibusq. quàm fuerit exitiabilis.] *Suspicabar aliquando fuisse potius scriptum*, sub ipsis mœnibus, id est, oculis vrbis Romæ, pugnantibus, &c. *neq. nunc muto factum. scitur enim illud*, id est, *exprimi fere a scribis vnica litera hinc inde laterum puncto cincta. Sic mox auctor noster cap.* 23. Paternis, id est, Ponticis finibus cõtentum esse iussit.

Cap. 22. Neque licentia immediocri sæuitum.] *Mutaui istud ab aliis, minima fateor licentia, in*, neque licentia in mediocres sæuitum, *sed vbi quæso, bellu ciuilibus sæuitur in mediocres, hoc est in membra? imo in capita semper cuditur faba. itaque proximum vero est*, immediocre *heic sumi pro simplici suo, nisi quod in intedat significationem verbi vsfacit, in* inseruire, infringere *aliisq. vocibus multis, quorũ mentio frequens apud Criticos. Rhenani editio exhibet quidem* neque licentia gladiorum in mediocres sæuitum: *sed præter fidem codicis scripti, in quo restat lectio prima, vt differe testatus est Burerius.*

Cap. 23. Oppugnabantur ab amicis, & animos extra mœnia, corpora necessitati seruientes, intra muros habebant.] *Tali igitur vrbe occupata, videat dux, ne promiscue in vniuersos sæuiat: turbidosque diuidat ab eis, quos abripuit vis maior. de quare, pulchra forsan, diximus ad illud Taciti lib.* 1. *Annal. cap.* 55. Segestes, quamquam consensu gentis in bellum tractus discors manebat, &c.

Cap. 25. Sed iis, quibus & pessima & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere.] *Quid mirum? norunt non aque prouenire piscium capturam cum aqua limpida est accum turbida: vt pluribus exsecuti sumus ad Taciti caput libri vndecimi Annalium*, 16. Iamque ad proximos, iam longius clarescere: cum potentiam eius suspectãtes qui factionibus florerent, discedunt ad conterminos populos, &c.

Eod. Confluentibus ad eum optimo quoque & sanctissimo.] *Non abhorruerim ab altera lectione, prodita Rhenano*, & sanctissimo. *nam qui optimus, is sane sanus. Sic nosfter mox cap.* 29. innocentia eximius, sanctitate præcipuus. *& cap.* 46. qui vir, cetera sanctissimus, &c. *Et supra quoque de Mario cap.* 11. hirtus atque horridus, vitaque sanctus, &c.

Eod. Dum vincit mitissimo ac iustissimo lenior.] *Reduxi lectionem, quæ erat ad marginem codicis scripti, alij temere exclusserant vocem* mitissimo: *cum aptius id fecissent sequenti vocabulo* iustissimo.

Eod. Propinquanti mox bello facem.] *Mirum est aliquem dubitare de lectione membranarum, quam expressit Rhenanus*: proh quanti mox belli facem.

Eod. Grates Dianæ cuius numini, &c.] *Sic scripsi, expuncto* gratus, *quod inuenissem in membranis*, gratis. *id enim idem cum* grateis.

Eod. Aquas salubritate in medendisque corporibus nobiles vt potius agros omnes adduxit Deæ, &c.] *Eiciendum omnino illud* vt potius, *non refingendum, in aliam faciem, vt tentarunt viri doctissimi. nec enim comparet in mẽbranis vnicis. sed decepit eos perpera distinctio verborum Burerij: nam eius* vt potius *coniungendum cum ceteris Burerianis, legendum existimem. Videantur tantum Notæ.*

Eod. Hodieque testatur ærea tabula. Interea deinde Consules Carbo tertium & C. Marius, &c.] *Haud displicet profecto Rhenaniauum*, tabula intra ædem, *dummodo tamen scribatur membrum sequens hoc modo*: tabula intra ædem. Inde Consules: *quomodo & Lipsio venit in mentẽ. Fuisse autem visitatum, vt ichnographia templi aut aræ alicuius, alio atque alio exprimeretur exemplari, & reponeretur in eadem illa ade aut alio quo loco, notum est ex marmoribus antiquis. sed & intus in ade tabulam poni solitam, eadem vel adeo plura aliaque continentem, quam quæ hasi columnæ statuæue aut frontispicio ædium incisa erant: plurima item patet exemplo in Epigraphis nostris totius orbis Romani, è quibus vnum alterumque, fidei caussa, oculis subiicerem: nisi id arbitrarer coniunctum cum aliarum Inscriptionum iniuria: quæ cum sibi inuicem mutuam adstruant lucem, singulatim laudari nolunt: multa autem congerere hoc loco, alienum ab instituto.*

Cap. 26. Quæ iugulato, vt prædiximus, viro.] *Nimium olet glossam*, vt prædiximus, *eequid enim id addere necesse, cum proxime præcedat: imo ex ea narratione in hanc transeat auctor?*

Eod. Et ne quid vnquam malis publicis deesset.] *Forte fuit*, & ne quicquam malis, &c. *nam si illud* vnquam *conuertendum in vocem literis adfinem: scribi posset*, & ne quid nequam malis, &c. *sed non placet.*

Cap. 27. Nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi filua, in quam refugere solerent, esset excisa.] *Si abesset verbum* esset, *viuidior fieret oratio: ita tamen vt* silua excisa *habeatur sexti, casus.*

Eod. Quibus sine nomine Sullanæ victoriæ celebrãtur.] *Videntur superfluere. certe non conuenire cum ras. testatur Burerius, in quo*, qui sub eius nomine.

Cap. 28. Vt in qua ciuitate petulantis conuitij iudicium histrioni exoleto redditur, &c.] *Hæc ab aliis ita accipiuntur, vt animaduersum fuerit in histriones, si conuitium feciſſent alteri, at ego contrariam interpretationem hoc loco conuenire arbitror: nimirum, autres præbuisse ludibrio histrioni, & ciues qualescumque castigasse, quos constaret histrionem aliquem petulantiore notasse conuitio. prorsus hoc vult series argumentationis quæcumque huic loco verba substituamus.*

Eod. In ea iugulati ciuis Reipub. constitueretur auctoramentum.] *Nihil est certius coniectura Claudij Puteani, Smaragdi illius Musarum.* ciuis Romani publice constitueretur. *nam vetus scriptura vnica tantum voce exprimere amat &* Romanũ *&* Rempublicam *inde natus error.*

Cap. 29. Pene omnium votorum expers, nisi numeraretur inter maxima, &c.] *Quid ni indigiret Pompeiũ* votorum expertem, *cui summa omnia vltro obueniebãt benignitate cælesti? id est, cum ea omne votum eius præueniret? sic enim interpretanda istæc putaui ad versum mimographi mei P. Syri CLXII. qui tamen adhuc vltimo verbo emendandus. nam pro eo quod in editione nostra legitur.*

Deos ridere credo cum diues vocat.

innuunt vestigia exemplaris Palatini, reponendum, cum diues vouet, *id hoc est, cum vota facit. Lepide prorsus. nam iuxta Petronium Arbitrum*:

—— quidnis nummis præsentibus opta:
Euenier. clausum possidet arca Iouem.

Cap. 30. Sexaginta quatuor fugitiui é ludo gladiatorio Capua profugientes, &c.] *Vix probes* fugitiui profugientes. *aliud quid videtur fuisse prius loco vocis* fugitiui.

Cap. 31. Vni viri deferebatur. sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonii prætura decretum erat, sed interdum. *Aut omnia me decipiunt, aut scripsit Paterculus tantum*: vni viro deferebatur. Idem hoc ante biennium in M. Antonij Prætura decretum. sed interdum, &c. *omissis ceteris, inuectis à librariorum vltronea largitate.*

Eod. Sed interdum persona, vt exemplo nocet, ita inuidiam auget, aut leuat.] *Hæc nonnullis frigida aut inepta: itaq. emendationibus incumbunt: quæ meis tamen oculis minus satisfaciunt quàm vulgatũ: quo vult Velleius: quemadmodum alia atq. alia persona minus magis ve nocet exemplo suo: sic quoque vnam eandemque rem huic vel illi maiorẽ mi-*

remue creare inuidiam, quo nihil verius, vt pluribus adstruo suis locis. nam omnia huc cumulare, non est meum. haud omitto tamen Velleianum istud capitis trigesimi: Familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere: & inuidiam rerum non ad causſam, sed ad voluntatem personasque dirigere.

Cap. 32. Prædonesque per multa præmia multis locis victos.] *Prima editio.* præd. per multa à multis locis victos. *Vt videri possit, prius fuisse*, prædonesque per multis locis victos.

Eod. Reliquias eorum contractas, in vrbibus, remotoque à mari loco in certa sede constituit.] *Aut illud* in vrbibus, *superuacuum est, aut sequens*, in certa sede.

Cap. 33. Et bello pene inuictus, pecuniæ expellebatur cupidine.] *Videtur nouo verbo vsus auctor, ac scripsisse*, pecuniæ expellebatur cupidine. *per analogiam profecto æque ita dixeris, atque* expugnare.

Eod. Neuterque ab eo quod arguebatur, mentitus argui posset.] *Putidum est, doctissimos viros heic implicari circa glossam. nam nihil similius vero, quam manasse tantum à calamo Velleij*, neuterque mentitus argui posset, *adiitamque deinde à scriba aliquo*, ab eo quod arguebatur. *belle prorsus: belle nisi & Tacitus scripsisset lib.* 1 *Histor. cap.* 34. mox quasi rixantes stupra & flagitia inuicem obiectauere: neuter falso.

Eod. Neque Pompeius, quemquam animo parem tulit.] *Haud necesse videtur aliquid hoc loco nouare. nam vt haud fuerit Pompeius animorum inspector & arbiter: poterat tamen de eis iudicari ex actionibus hominum eorundem.*

Cap. 35. Virtutem M. Catonis iam multis in rebus conspicuam, atque præmitentem altissime inluminauit.] *Sic reposui ex alia lectione manuscripti quem laudat Rhenanus. nam & alias legebatur*, in altissimo.

Eod. Et in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat.] *Non video, cur primus esse debuerit Romæ Pompeius. quare suspicor, illa*, esse debebat, *aliunde inuecta & repetendam vocem, quibus*: *tanquam expressisset*, in quibus rebus cupiebat esse primus, cupiebat esse solus.

Eod. Sic impendentia, ex ruinis incendiisque vrbis, & commutatione status publici, pericula exposuit.] *Non sine causſa videri queant à glossa*, ruinis incendiisque vrbis.

Cap. 36. At Catilina non segnius vota obijt, quàm sceleris conandi consilia inierat.] *Est in mſ.* nota vnde *fit vt aliquando coniectarem*, conata obijt. *Sic supra cap.* 29. priuatis vt opibus, ita consiliis magna ausus magnificeque conata executus.

Cop. 37. Regem eius temporis, nisi quia Luculli armis erat infractus, potentissimum.] *Ferri forte queat, sed tamen inclinat animus reponere, litera minus*, nisi qua Lucullus. qua, *pro* quatenus.

Eod. Et aliæ restitutæ populo Romano, aliæ tum primum in eius potestatem redactæ: vt Syria: quæ tum primum facta est stipendiaria.] *Cum* redigere in potestatem, *idem heic sit quod*, facere prouinciam stipendiariam: *forsan infarctum à glossarijs*, quæ tum primum facta est stipendiaria.

Cap. 39. Pene idem quod totus terrarum orbis ignauum conferunt stipendium.] *Cur vocet* stipendium ignauum, *liquebit ex verbis Taciti lib.* 4. *Histor. cap.* 12. *vbi loquitur de Batauis*: Nec opibus Romanis, societate validiorum atriti: *:* viros tantum armaque imperio ministrant. *Vnde & ipsimet Batani lib.* 5. *Histor. cap.* 25. Respicerent Rhætos Noricosque & ceterorum onera sociorum, sibi non tributa, sed virtutes & viros indici. proximum id libertati:

Cap. 45. Sera Cn. Pompeij cura, verum & cupito interitu votisque, &c.] *Est à coniectura Rhenani. nam authenticus ille codex*, verum & cupit interita, *vt vix ambigendum sit, restituendum*, verum vt cœpit interita: *quod & aliis in mentem venit.*

Eod. Sub honorificentissimo ministerij titulo M. Catonem à republica relegauit.] *Sic apud Tacitum libro* 12. *Annal. cap.* 41. Simulque qui centurionum tribunorumque sortem Britannici miserabantur, remoti fictis causſis, & alij per speciem honoris *vbi nos, de hac arte promouendi plura.*

Eod. Cuius integritatem laudari, nefas est.] *Quare? quia ita ab omni vitio vtique remotus, vt minime laudi ducat, facere officium suum. Ita Terentius in Phormione Actu* I. *Scena* II:

—— vt nunc sunt mores, adeo res rediit.
Si quis quid reddit, magna habenda gratia est.

Ita etiam Claudianus de Mallio:

Nam spretas quis opes; intactaque pectora lucro
Commemoret? fuerint alijs hæc forte decora.
Nulla potest laus esse tibi, quæ crimina purget.

Et hoc est quod innuit Plinius, Panegyrici cap. 42. *vbi laudato Traiano quod dominos liberasset ab accusatione seruili: infert*: Non vis interim laudari? nec fortasse laudanda sint: grata sunt tamen recordantibus, &c.

Cap. 47. Pugnatum sæpe directa acie, sæpe in agminibus.] *Etiam malim cum alijs abesse voculam* in: *nam quod habemus Liuii lib.* 10. *sub finem*: Sæpe in acie, sæpe in agmine, sæpe circa ipsam vrbem aduersus eruptiones hostium pugnatum: *forte & ibi abiicienda vtraque præpositio.*

Eod. Cum medium iam, ex inuidia Pompeii, male cohærentis inter Cn. Pompeium & C. Cæsarem, concordiæ pignus, Iulia vxor Magni, discessit. *Lectio fabricata in officinis correctorum. nam membrana* ex inuidia pontiac camiliæ cohærentis, &c. *ex quo ego effingebam*; ex inuidia potentię ęmulæ, coherentis inter, &c. *Vulrque apposite tunc demum Iuliam pignus concordiæ cohærentis: nam antea sane non erat opus tali obside.*

Eod. Filius quoque paruus Pompeij, Iulia natus, intra breue spatium obiit.] *Laudat hunc locum Belgij nostri Lumen Electorum libro* 2. *cap.* 17. *vbi defendit Suetonium, dãnatque Dionem Cassium, quorum hic adseuerat, neptem natam è Iulia C. Cæsaris, ille vero nepotem. Et verum est, stata Tranquillo præter Velleium nostrum etiam Lucani versus, volentibus mss. pluribus Bibliothecæ Palatinæ: deque tribus Trãquilli codicibus, vnus tantum præfert.* neptem. *Sed tamen tantum abest, vt ego Dionem deferendum putem tanquam reum; vt contra adseram, habuisse non solum auctorem quem sequerentur Plutarchum: sed etiam Senecam. Is enim diserte consolatione ad Helbiam cap.* 34. Vixit Sextus Pompeius primum fratri superstes, cuius morte optime cohærentis Romanæ pacis vincula resoluta sunt, &c. *ad eum locum summus ille vir fatetur, nihil se videre, nihil extricare, quæ enim hæc soror Sexti Pompeij, quàm neptis Iulij? quam filia Cn. Pompeij? hæc produxi, vt cõfer summos quoque viros, homines esse, id est, errare & labi: neque statim feriliter iis insultandum (vt hodie fit à petulanti adolescente) si quid forte committant, quo se probent humanos.*

Cap. 48. Iis qui à Cæsare demittendos exercitus continebant, assentabatur: qui ab ipso quoque adsentabatur.] *Voculam* quoque *restitui, auctoritate libri calamo exarati. ante ea iniuria exulabat. Ceterum nihil mutan-*

dum in illo assentabatur.] *nam & assentari idem esse cum* adsentiri, *docui in Suspicionum libellis.*

Eod. Perfectis muneribus theatri.] *Nec heic quidquam mutandum, notanda tantum notio rarior* muneris, *quam iterum inueniemus cap.* 130. *ipso principio.*

Eod. Cuius animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes vllæ, neque cupiditates sufficere possent.] *Varie varij huic loco medentur, mihi semper illa*, voluptatibus vel libidinibus, *visa sunt interpretis additamentum, super vocem* animo.

Eod. Effosumque alterum Romani imperii lumen.] *Ita diserte vetus exemplar, ex quo natæ ceteræ editiones Velleianæ hæc annoto, ne quis temere auscultet sphalmati typographico editionis Aldinæ, in qua* effusum. *id enim quod natum ab altero mendo operarum Gryphij*, effosum, *animaduertet, cui animus comparare editiones, vt ego feci.*

Cap. 49. Quieta aut certe non præcipitata, fatale ante initium bellorum ciuilium morte functi sunt.] *Male*, fatali morte functos *dicit Q. Catulum, duos Lucullos, Metellum & Hortensium, imo rescribendum*, fatale ante initium bellorum ciuilium, morte. *Vult enim ablatos suo bono ante illud initium bellorum ciuilium, quod vult fuisse, fatale neque vlla ratione declinandum. Sic paulo post:* Tū Cæsar cum exercitu fatalem victoriæ suæ Thessaliam petiit, *& cap.* 60. Sed adserebant salutaria Reipub. terrarumque orbis fata conditorem conseruatoremque Romani nominis, *& aliis locis mille.*

Eod. Consules Senatusque causſæ, non Pompeio summam imperii detulerunt.] *Viri summi isthæc mutāt tanquam causſæ deferri nequeat summa imperij, ignaræ scilicet imperare, exercitum ducere, instruere, &c. Sed nihil tamen vetat dubia esse penes causſam, ducatum vero penes Pompeium: vt præ se ferat, auctor non tam militasse Consules Senatumque Pompeio eiusque ambitioni, quam causſæ suæ publicæ. De auspicijs multa diximus in Dissertibus ad Tacitum prioribus. Et tale quid etiam respexit in restituendo Capitolio Heluidius Priscus, de quo nonnulla signauimus ad librum quartum Historiarum Taciti cap.* 9. *loco autem isti interpretando, vnice facit Lucanus libri* 5.

— docuit populos venerabilis ordo
Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.

Eod. Priuatus in vrbem veniret, & se in petitione Consulatus suffragiis populi Rom. committeret, decreuere.] *Hæc est scriptura exemplaris scripti: agiturque de decreto Senatus. alii nobis oggesserunt*, decreuerat retinuere: *at id natum omnino circa pulpitum Burrerij.*

Cap. 50. Intempestiue principalium armorum arbitria captans: quibus ij se debent interponere, qui non parentum coercere possunt.] *Ergo iure quiescant inferiores. Liuius lib.* 9. *cap.* 14. *de Papyrio:* Signa inde fere iussit & copias eduxit: vanissimam increpans gentem quæ suarum impotens rerum, præ domesticis seditionibus discordiisque aliis modum pacis ac belli facere æquū censeret. *Vbi nos plura huius commatis.*

Cap. 52. Quod dignationi partem in die ipsi magis prosperum fieret.] *Melius editio princeps*, partium indies ipsis magis. *Idem enim dicit quod Tacitus lib.* 3. *Histor. cap.* 1. Superesse Vespasiano mare, classes, studia prouinciarum &c.

Cap. 54. Nusquam erat Pompeius corpore adhuc vbique Iubę nomine.] *Non possum equidem non accedere Chironis illius dissimulato alumno, Villiomaro, arbitranti vocem* Iubæ *superuacaneam. nam notat Velleius, velut rarum, extincto capite partium, non etiam mox extincto bellum, vt solet. Alexander apud Curtium lib.* 5. Darius haud procul destitutus à suis, aut vinctus, aut oppressus est, in illo corpore, posita est victoria nostra: & tanta res celeritatis est præmium. *Neque alio spectant verba Ciceronis pro L. Murena, vbi loquitur de Pompeio & Mithridate*: Qua ex pugna cum se ille eripuisset, & Bosphorum confugisset, quo exercitus adire non poterat: etiam in extrema fortuna, & fuga nomen tamen retinuit regium. itaque ipse Pompeius, regno possesso, ex omnibus oris, ac notis sedibus hoste pulso: tamen tantum in vnius anima posuit: vt cum omnia, quæ ille tenuerat, adierat, sperarat, victoria possideret, tamen non antè quàm illum vita expulit, bellum confectum iudicarit. *Verum de hac item re, nisi memoria fallor, alia multa diximus in Discursum libellis editis.*

Cap. 55. Ibi primo varia fortunam expugnauit via.] *Ingeniosissima est emendatio Lipsiane, an Acidalij*: Ibi primo varia fortuna, mox pugnauit sua. *& si non ita scripsit auctor scribere debuit.*

Cap. 56. Quorum alterum promittendo Consulatum non obligauerat: contra differendo, Cassium offenderat.] *Principem vere lupum auribus tenere, cum candidatis omnibus non satisfacit, pluribus explicamus in Liuio, in Tacito: vbi circus noster est.*

Eod. Adiectis etiam consiliariis cædis familiarissimis.] Ἐυτέχνως *quidem qui refingunt*, conscijs aliis cædis famil. *sed cur ea huic loco minus conuenient, facit quod statim sequatur*, aliisque clari nominis viris. Consiliarios *heic vocat, consilij eiusdem participes: qua significatione & Vsus Cicero.*

Cap. 57. Vt principatum armis quæsitum, armis teneret.] *Consilium sapiens, cuius cubilia erui in meis ad Tacitum Diatribis.*

Eod. Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cuius, cum fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.] *Aptius foret*, vis: cuiusque fortunam.

Cap. 60. Inter naturaliter dissimillimos, ac diuersa volentes, crescebat odium.] *Neque ideo mirum, si sæpius redintegrata deinde amicitia numquam serio coijr.* Idem enim velle, idem nolle, ea demum firma est amicitia, *inquit Sallustius, quam sententiam excutimus in Dissertiunculis Liuianis.*

Cap. 62. Et D. Bruto quod alieno beneficio viueret, decretus triumphus.] *Emendaueris proxime vestigia literarum, &* D. Bruto, quàm alieno, &c. *quod Video & Acidalio venisse in mentem.*

Cap. 63. Primo per colloquia repulsus à M. Lepido.] *Sic prima editio: adeo vt eis minime auscultandum sit, quibus proditum, in ea legi*, primo spe colloquij repulsus. *Visatur Burrerius & Rhenan. non inuenient scripturam hanc secundam. nata est in officina Gryphij. etsi eam non damnem tamen.*

Eod. Vir vita ac morte consentaneus.] *Tale quid decere bene natos: etiamque eisdem contingere, palam feci exemplo non vno ad Taciti illa libro priore Annal. cap.* 53. Gracchus constantia mortis haud indignus Sempronio nomine: vita degenerauerat.

Cap. 64. Fugiens in hospitis cuiusdam, nobilis viri, nomine Capeni, domo.] *Certe illud*, nobilis viri, *est ab indicio exscriptorum: forsan etiam*, cuiusdam, *ac* nomine.

Eod. Sed tribuni sanguine commissa proscriptio, Ciceronis, vel satiato Antonio, pœna finita.] *Multum, si non sanguinis, at certe vigoris detraxeris orationi reponendo*, velut satiato: *quod placuit viris summis. nam innuere vult, renuntiasse demum proscriptioni Antonium Ciceronem oppressō: vt pote cuius sanguinem ante ceteros omnes auide sitierat. Cremutius Cordus in Declamationibus Senecæ:* Quibus visis, lætus Antonius, cum, peractam proscriptionem suam dixisset: esset que non satiatus modo cæde-

diis ciuibus, sed defessus quoque, pro rostris exponit. *at enim* velut, *speciem potius inuit, quàm rem ipsam.*

Cap. 65. Et conditionum iacta mentio.] *Restitui pristino loco scripturam codicis scripti. nam* facta, *quod iam fere seculum durat in libris; agnoscit parentem suum Burerium; vt liquet ex eiusdem notis.*

Cap. 66. Vitam miseriorem te principe, quàm sub te triumuiro mortem.] *Si alias legitur*, inferiorem; *verosimile est fuisse in autographo* infeliciorem.

Eod. Citiusque in mundo genus hominum quam cadent.] *Lacunulam alij aliter atq; aliter explent. mihi videtur*, Tullij *cognomen vna litera fuisse expressum, ideoq; mox intercidisse: belle profecto omnia cohærent, si legatur*, citiusq; in mundo genus hominum, quàm Cicero cadet.

Cap. 67. Huius totius temporis fortunam, ne deflere quidem quisquam satis digne potuit; adeo nemo exprimere verbis potest.] *Superfluum forte, vt placet viris in hac literatura eminentissimis*, vox potuit: *sed non ideo etiam temere expunxerim. comparet enim in editionum omnium prima neque aliter fuisse in authentico, inde colligamus, quod Burerius tantum subnotet in eo conspici*, nec deflere. *Si licet & mihi indulgere coniecturæ, malim*, nec deflere quidem quisquam digne potuit, nedum exprimere verbis; *emisso illo postremo*, potest.

Cap. 68. In vrbe seditionem, haud magis occulte bellicum tumultum mouens.] *Hæc est lectio representata à Rhenano. nam illud*, seditionem magis, occulte autem bell. *est ariolatio Bureriana.*

Eod. Incepto pari, similis fortuna Milonis fuit.] *Minime habuerim pro lectione meliori coniecturam rescribentium*, interfecto pari, similis. *Sic enim perit auctori dogma suum, quo innuit, eosdem sortiri euentus, qui similibus auspicijs res minime similes exorsi sunt. de Cælio & Milone sic breuiter Epitoma Liuij* CXI. vterque cum bellum moliretur interempti sunt.

Eod. Vir inquies, & vltra fortem temerarius.] *Id est, temerarior quàm fortior. sic noster infra cap.* 83. & infra seruos cliens. *& cap.* 88. mollitiis vltra feminam fluens. *denique cap.* 118. vltra barbarum promptus ingenio. *Alij reuocant coniectaneum Rhenani*, & vltra sortem temerarius. *sed non video, cur Miloni exilium moderari debuerit temeritatem, homini feroci & alteri, vt dicam, Coriolano.*

Cap. 69. Cum & Brutus cuilibet ducum præferendus videretur; & Vatinius nulli nomini non esset post ferendus.] *Iubent alij quasi pro imperio, deleamus* oculam, nomini. *at magna, meo animo, in ipsa Emphasis: vt appositioribus exemplis ostendi in Suspicionum libellis.*

Cap. 71. Ne tentata quidem hostis misericordia.] *Sic etiam apud Curtium lib.* 4. *Alexander:* exceptis quiin templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis iniici iubet. his per præconem pronunciatis; nemo tamen armatus opem à Diis petere sustinuit. pueri virgineſque templa compleuerant. viri in vestibulo suarum ædium stabant, parata sæuientibus turba. *Nimirum facit conscientia, ne deprecari quidem pro se sustineant; vt pluribus ostendimus ad ista Taciti:* Admotusque Silius tribunali, non defensionem, non moras tētauit; precatus vt mors acceleraretur, *lib.* 11. *Annal. cap.* 35.

Cap. 72. Nullum statum habentibus, quilibet dux erat idoneus.] *Interpretantur alij*, nullum statum firmumque ducem habentibus; *sed, meo iudicio, plane præter mentem Paterculi cui, vt puto sententia ea; duci ciuilibet sese aptare, quibus nulla est conditio vitæ tolerabilis.* Status *heic est nomen substantiuum, non adiectiuum. Liuius lib.* 25. *ca.* 17. Si non libertas seruitute potior sit; tamen omni præsenti statu spem cuique nouandi res suas blandiorem esse. *Et alioquin infit Sallustius de grege Catilinario:* Quibus mala abunde omnia erant, sed neq; res, neq; spes bona vlla; quieta mouere magna merces videbatur. *Ratio est in promptu. quia* — inops audacia tuta est. *& sententia quidem Othonis:* Si nocentem innocentemq; idem exitus maneat, acrioris viri est merito perire. *Tacit. lib.* 1. *Histor. cap.* 22. *ad quem locum nos alia plura.*

Cap. 74. L. Antonius Consul vitiorum fratris consors, sed virtutum, quæ interdum in illo erāt, expers.] *Rarum quippe* monstrum nulla virtute redemptum; *hoc est, aliquem vitiis omnimodis infamem esse, neque vllo commendabilem merito. Vnde Tiberius apud Tacitum lib.* 6. *Annal. cap.* 46. C. Cæsari forte orto sermone L. Sullam irridenti; omnia Sullæ vitia, & nullam eiusdem virtutem habiturum prædixit. *Vbi nos de hac re vberiora. At de Lucio isto Antonio, eadem plane prodita L. Floro lib.* 4. *ca.* 5. Semper alias L. Antonij pessimum ingenium Fuluia, gladio cincta virilis militiæ agitabat. *adeo vt miror, virum artium harum peritissimum eo loci reponere* piissimum. *neque enim vllus omnino auctorum Laudat Lucium, nisi Appianus. nec tamen is simpliciter, sed quatenus arbitratur bellum excitasse, non stabiliendæ suæ potentiæ causſa, verum vindicandæ in pristinam libertatem Reipub. ceterum, & illi falluntur, qui* interdum *heic idem notare volunt, quod* interim. *non profecto: vt palam facimus ad locum Taciti lib.* 1. *Hist. cap.* 71. Otho interim contra spem omnium, non deliciis neque desidia torpescere. dilatæ voluptates, dissimulata luxuria; & cuncta ad decorem imperij composita. eoque plus formidinis adferebant falsæ virtutes, & vitia reditura.

Ca. 76. Quippe C. Velleius honoratissimo inter illos CCCLX. iudices loco à Cn. Pompeio lectus.] *Nescio quomodo conuenire potius videtur*, à Cn. Pompeio lectos. *nam* legi loco honoratissimo inter plures, *non satisfacit auribus, multo minus animo.*

Cap. 77. Sentiumque Saturnium, & Aruntium ac Titium restituit Reipub.] *Sic editio vetus: adeo vt mirandum sit recentiores obtrusisse nobis*, Aruntium Actium restit. *& quidem Aldinam. nam in Gryphiana præstat adhuc scriptura codicis calamo exarati, quam expressit fere Rhenanus, fere inquam, nam ibi est*, Atruntium ac Titium rest.

Cap. 70. Spoliata quam tueri non poterat dignitas.] *Editio Manutij*, quam intueri. *quod videri poterat factum errore typothetarum, nisi sic quoque extaret in ms. Vnico annotasse Burerius. nec tamen placet. quid enim est*, spoliati dignitate quam quis non poterat intueri; *imo vero retinendum* tueri, *hoc est, ereptum ei est munus, quod nequibat implere; ideoque videbatur indignus. Sic legimus de Messalla Coruino apud Tacitum lib.* 6. *Annal. cap.* 11. Primusque præfecturam vrbis, & paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi. *Vbi nos multa de exauctoratione eorum, qui muneri suo impares.*

Cap. 71. Insigne coronæ classicæ, quo nemo vnquam Romanorū donatus erat, hoc bello Agrippa meruit.] *Si voluit dicere Velleius, nemo ante Agrippam reportasse coronam naualem, hoc est, rostratam; aut errauit, aut diuersum sentit à Plinio. is enim non dubitat affirmare lib.* 16. *cap.* 4. Cedunt & rostratæ, quamuis in duobus maxime ad hoc æui celebres; M. Varrone, piraticis bellis dante Pompeio Magno: itemque M. Agrippa, tribuente Cæsare Siculis. *Sed & idem Naturæ mystes Vnicus lib.* 7. *cap.* 30. M. Varronis, in bibliotheca quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, vnius viuentis posita imago est: haud minore, vt equidem reor, gloria principe oratore & ciue, ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine vnam hanc coronam dante, quàm cum eidem Magnus Pompeius piratico ex bello naualem dedit. *Et vero nullo ævo cuiquam contigisse coronam rostratam, præterquam vni Agrippæ, idem etiam prodidit Dio Cassius lib.* 49. *nec is tantum, sed*

& testis omni exceptione maior, Liuius, cuius hæc legimus Epitoma CXXIX. M. Agrippa nauali corona donatus est: qui honos nemini ante eum habitus erat. *quibus motus verbis, damnauerim potius vnum Plinium, quàm triumuiros istos alios: etsi aliter visum viro maximo, in libris de Militia Romana, lib. 5. cap. 17.*

Eod. Hanc tamen Antonius fugam suam, quia viuus exierat, victoriam vocabat.] *Geminum pene dictum de eodem L. Flori. lib. 4. cap.* 10. Egregius Imperator tamdem profugit in Syriam: ibique incredibili quadam mētis væcordia, ferocior aliquanto factus est, quasi vicisset qui euaserat, *vbi Philosophice tamen magis Annæus loquitur quàm Ethnice aut Grammatice: ita enim solent homines, præter spem viui. Sallustius bello Iugurthino cap.* 98. & ipsi duces feroces, ac quod sui non fugerāt pro victoribus sese agere. *Annibal apud Horatium lib. 4. Oda 4.*

Cerui, luporum præda rapacium,
Sectamur vltro, quos opimus
Fallere & effugere est triumphus.

Syrus apud Terentium Heautontimor. Actu 4. Sc. 1. —— triumpho si licet me latere tecto abscedere. *Sed quid facio? ista reseruanda erant Taciti verbis lib. 4. Annal. cap. 23.* Iamque tres laureatæ in vrbe statuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas.

Eod. Quæ semper facultatibus, licentiaq; & adsentationibus aluntur.] *Tres esse nutriculas vitiorum, copiam, licentiam, & adulationem, ostendimus haud parce in Discursuum nostrorum ad Tacitum parte prima.*

Cap. 83. Ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem.] *Qui peccarunt in leges, statim etiam metuunt, & per consequens, oderunt legum custodes. Itaque viderit Princeps, vt semper administrorum suorum delicta grauiora puniat. etsi enim forte peccantibus ex animo ignoscat, ij tamen non tam putāt sibi indulgeri quàm tempori. Sic apud Cæsarem lib. 3. Ciuilis belli cap. 40. transfugiunt tandem nobilis duo Allobroges*, fortasse non se liberari, sed in aliud tempus reseruari arbitrati, *vt ibi loquitur Iulius, & nos exemplis selectis ostendimus ad Tacitum lib. 1. Histor. capitis vigesimi extremo.*

Eod. Dictitans id probatum à Cæsare, cui ille ignouerat.] *Principes non omnia puniunt, sed non ideo eadem probant. Valet enim ibi illud Curtianum lib.* 7. Lyncestes Alexander, quia primus Alexandrum, regem salutauerat, supplicio magis quàm crimini fuerat exemptus. *Egregie Liuius de Epirotarum legatis, petentibus à Senatu, vt in amicitia pristina esse liceret, lib. 36. ca. 35.* responsum datum est, quo veniam impetrasse, non caussam probasse videri possent. *ad quem locum nos accuratiora.*

Cap. 84. Hinc reges firmissimi, illinc inopia adfectissimi.] *Est plane palmaria correctio Lipsij*, hinc remiges. *sic, & diuina eiusdem emēdatio paulo post*, nam de illis exemplis vir natura Dolabella ad Cæsarem virque clarissimus. *Cum enim seruet exemplar membranaceum*, nam de illius exemplis vitæ naxuta Dolabella, *sagaciter & vere eruit*, nam Deillius exempli sui tenax, vt à Dolabella ad Cassium. *quam emendationem si mea esset, ne permutarem quidem Picorum diuitiis,*

—— qui aureos monteis colunt.

Cap. 85. Vt dubites suone an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuerat, qui ad eius arbitrium direxit fugam.] *Est correctio Burerij, sed quæ mire insistit vestigiis exemplaris scripti, in quo*, videbit è suo an. *& vero, quamuis ibi legatur ad marginem*, viderit è suo, an Cleop. *adhæserim tamen emendationi Burerianæ. nam minus conuenit illi* viderit, *verbum* fuerat, *statim sequens.*

Cap. 86. Victoriæ suæ facturus fuerit triumphum.] *Spuria est vox vltima*, triumphum, *orta è sepia calami Bureriani. interim nihilo magis est legitimum illud vocabulum* modum, *quod alij volunt fuisse in autographo, sed perperam; quippe & huius pater Rhenanus est, adscripto oræ editionis suæ*, videtur deesse *modum. hæc adnoto, non vt reprehendam, sed ne reprehendar; quod dictionem illam hac quoque editione excluserim.*

Cap. 87. Multa desidiæ crimina, morte redimeret.] *Haud secus Argentarius apud Senecam Suasoria* 7. P. Scipionem à maioribus suis desciscentem generosa mors in numerum Scipionum reposuit. *Verum adeo vt non sine ratione pronuntiauerit Calpurnius Flaccus Declamatione* 27. Idem eris in æuum, qui supremo die fueris. *de hac re, nos cumulatius ad Tacitum lib.* II. *Histor. cap. 50. medio, vbi vult Othonem*, duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruisse bonæ famæ, quantum malæ.

Eod. Timidius decessit, quàm professione eius, qua semper vsus erat, congruebat.] *Probior fuerit sententia absque istis*, qua semper vsus erat.

Cap. 88. Mecænas equestris, & splendido genere natus.] *Faueo coniecturæ Acidalianæ*, equestri sed splendido genere natus. *nam erant duo Equitum genera, de quibus consulantur Indices mei Corneliani. & alioqui noster supra cap.* 59. C. Octauius, vt non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia.

Cap. 89. Cæsar autem reuersus in Italiam atque vrbem occursus, quo fauore.] *Haud opus erit huic loco emendationibus, si eiiciatur vocula* occursus, *nata è glossa marginali, mea quidem sententia.*

Cap. 96. Quod inchoatum Agippa, Marcoq; Vinicio auo tuo Consule, magnum atroxq;, & perquam, &c.] *Male fastorum scriptorum continnatores, qui ex isto loco adstruunt Agrippæ consulatum quartum: sed nec bene illi, qui emendationibus incumbunt, voluntq; ad bellum istud missum Agrippam. non, non. auctor duos annos heic ponit, primum quo natum est bellum Pannonicum, nempe Consulatu Agrippæ: secundum quo adoleuit, nimirum Vinicio Consule. Certe totum istud bellum administrauit Tiberius. de Vinicio, de Agrippa, eos ad id missos, ne gry quidem historiarum auctores, si modo non fallit memoria.*

Cap. 101. Cum rege Parthorum iuuene excelsissimo in insula, &c.] *Videri queat manasse illud*, iuuene excelsissimo, *à benignitate interpretum, dum respiciunt ad sequentia:* cum duo inter se eminentissima imperiorum & hominum coirent capita.

Cap. 102. Ex eo, vt corpus minus habile. ita animum minus vtilem Reipublicæ habere cæpit.] *Vnde Quintilianus Declamatione pro Cæco:* Temeritas omnis animorū, calamitate corporum frangitur, & frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria mēbrorum. *Et vero vigorem animi vna flaccescere cum corpore, rarosque inueniri, in quos conueniat illud Romuli Virgiliani:*

—— nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigores.

Stabiliimus pluribus quasi exemplorum columellis apud Tacitum lib. 3. Annal. cap. 42. sub finem.

Cap. 105. Virum multiplicem in virtutibus, nouum, agilem, prouidum, militariumque officiorum patientem ac peritum pariter: sed eundem, vbi negotia fecissent locum otio, liberaliter lauteq; eo abutentem.] *Nimirum cum nihil sit in opere naturæ, quod non, exemplo dierum noctiumq;, aliquas desideret vices feriarum, non video, cur non & eis homines vtantur sine nota. certe Lucumonum illa natio, cui tota actio vitæ, omni tempore, omni loco, tristis, horrida, seuera, nunquam remissa, læta, blandior, non tam mihi videtur nata aduerso Genio, iratisq; adeo Lubentiis ac Gratiis, quàm constare ex meris elementis Simulationis ac Dissimulationis, hoc est, palam quidem* Curios simulare, *at enim* clam viuere Bacchanalia: *ita, inquam, mihi videtur, vt rationum exemplorumque multitudine stabilio ad illa Taciti lib. 2. Annal. cap. 33.* nisi forte clarissimo cuique plures curas, maiora pericula subeunda; delinimentis curarum & periculorum carendum est. *Ceterum de eis, qui in otio vere otiosi, vt in negotio plane otiosi, dicimus ad eundem Taciti lib. 2. Histor. cap. 2.* Neque abhorrebat à Berenice iuuenilis animus: sed gerendis rebus, nullum ex eo impedimentum.

Eod. Pietas sua Cæsarem, pene obstructis hieme alpibus in vrbem traxit, ad tutelam imperij: eum veris initio reduxit in Germaniam.] *Falsum est in Italiam rediisse tutando imperio. Distinguebam legebamque:* traxit at tutela inde imperij eum veris, &c. *illud* in *vel* inde *adhæsit voci priori; vnde factum, vt mutaretur* at *in* ad.

Cap. 110. Furentes eorum vires vniuersas euasimus partibus.] *Sic autographus liber. non satis bene; vt recte monuit Lipsius, qui non coacte illud* e *mutat* in, *facto* inuasimus. *Sed cur peccassent in tam nota voce librarij? forte fuit,* exhausimus partibus. *hoc est, per partes: vt error natus fuerit, ob omissam adspirationem.*

Cap. 111. Itaque vt præsidium militum, Respub. ab Augusto ducem in bellum poposcit Tiberium.] *Diu est quod conieceram*, vt præsidium vnicum, Respub. *verum vt vidi Lipsium meum reponere*, presidium vltimum, *vix erat vt meum mihi placeret. cur tamen omnino nondum displiceat, facit ipsemet Augustus, qui, testante Tranquillo, ca. 21. ipsum Tiberium* epistolis aliquot, vt peritissimum rei militaris, vtque vnicum populi Rom. præsidium prosequitur. *ad quas literas fortaßis attendere potuit, cum isthæc scriberet Paterculus.*

Eod. Finita equestri militia, designatus quæstor, &c.] *Equestris militia mentio item apud Tranquillum capite Augusti 46. aliisque locis: adeo vt monstro mihi simile videatur virum rerum Romanarum callentißimum lib. 2. cap. 9. Militia suæ, emendare eumdem Tranquillum Claudij cap. 25. ac* Equestres militias *permutare in* Semestres. *nihil enim ibidem interpolandum, ostendi in libellis Suspicionum.*

Cap. 112. Sed Romana virtus militis plus eo tempore vindicatum gloriæ, quàm ducibus reliquit: qui, &c.] *Mihi dubium non fit, quin* vindicatum, *è margine irrepserit in contextum. adscripta ea vox ab eo, qui memoriæ suæ consulebat, exitumque belli denotabat. itaque legendum literula vna detracta*, militi. *& egregia figura dicit*, militi & ducibus: *cum potius scribendum fuisset*, militibus, ac duci.

Eod. Qui multum amore imperatoris sui crepantes, ante in hostem inciderunt.] *Volunt alij isthæc dici de militibus: at ego puto dici de ipsis ducibus. Ceterum verba omnia sic fracta sunt; vt non pudeat pronuntiare cum Lipsi, omeea non capere.*

Cap. 113. In omnibus bellis, quæ probanda essent, non quæ vtique probarentur, sequens.] *Talis Fabius Maximus, de quo Ennius:*

Vnus homo nobis Romanam restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem.

Cap. 115. Agebatq; medium, plurima dissimulantis, aliqua inhibentis.] *Suspecta nonnullis constructio. at mihi oppido elegans, vt resoluatur*, egisse medij personam pleraque dissimulantis, nonnulla vero punientis.

Cap. 116. Nam & Seianus vir antiquissimi moris.] *Bene monet doctor noster Lipsius Seiano nullum heic esse locum. ipse probabili coniectura substituit*, Iunium Blæsum. *sed nimium ab eis characteribus diuertit scriptura membranarum; in quibus* nam & etiam vir ant. *itaque coniectare adhuc licet alteri cui. ego laurum non momordi.*

Eod. Ne nihil non optimo ciui, simplicissimo duci perisset.] *Hæc est ipsißima lectio autographi, vt docemur à Burerio, & si quid ego sentio, multo melior ea quam substituit Rhenanus, exclusa negatiua* non. *Criticorum cohors heic tacet. at ego puto dicere auctorem; fatorum inuidia intercidisse Licinio præmia pacis & belli, omnia, omnia.*

Cap. 117. Velut in hoc saltem tantummodo indulgente nobis fortuna.] *Profecto, vel vocabulum* saltem; *vel proximum* tantummodo, *procreatum est in cubilibus librariorum.*

Eod. Ne occupato duce. Et caussa persona moram exigit.] *Sic distinxit, suasu manuscripti codicis aut editionis Rhenani: non quod satisfaciat, sed vt exoriatur sententia tolerabilis; vt velit auctor, bene cecidisse; quod non fuerit Tiberius occupatus tunc temporis alio aliquo bello, cum Varus periret cum suis: quo vacare statim posset & vltioni & decoro populi Romani, quæ persequitur cap.* 120.

Cap. 118. Ita se res habet; vt plerumque qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat.] *In exemplari scripto legebatur id, quod retinet editio Rhenani:* mutaturus Deus, consilia corr. *vt forte excluso adhuc* qui, *conceperit auctor;* vt plerumque fortunam mutaturis Deus, consilia corrumpat.

Cap. 119. Nunc summa deflenda est.] *Sunt qui se doceri velint, quid heic faciat* deflendi *verbum interim tamen; substituunt alias voces, minus aptas. namque auctor idem fere vult quod supra cap.* 67. Huius totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit: adeo nemo exprimere verbis potest. *& vero nonne diu diuque hanc cladem defleuit Augustus. de quo refert Suetonius cap.* 23. Adeo namque consternatum ferunt, vt per continuos menses barba capilloque submisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quintili Vare, redde legiones: diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem.

Eod. Cum ne pugnandi quidem egregie occasio, in quantum voluerant, data esset miseris.] *Mihi vix dubium est, quin illa*, in quantum voluerant, *creuerint in hortis scribarum.*

Eod. Fuga cum alis Rhenum petere ingressus est.] *Suspicabar aliquando, illud* petere, *mutandum in* temere. *Sed cum auctores ceteri sileant istud factum, malo & ego tacere, quàm prodere inscitiam meam.*

Cap. 120. Crebrique influuio exspiraret.] *Sic omnino legitur in exemplari chirographo. vnde dimanarunt omnia exemplaria. nec video cur ferri non debeat quod hodie habemus*, profluuio, *natum est apud correctores.*

Eod. Hereditatemque excisi exercitus, in quantum voluerit, ab eo aditam.] *Viris doctrinæ eminentißimæ suspectum heic* voluerit, *& mutatum eunt, in* valuerit. *Verum sic supra locutum, modo posui: & mirum est, nisi & hoc loco, triga illa verborum, adscititia.*

Cap. 121. Omnes eminentissimos hostium duces occisos fama narrauit, sed vinctos triumphus ostendit.] *Editio primogenia negatiuam habet intersertam*, non occisos. *& id res est. rarum enim vt non etiam occiderentur duces exercituum hostilium post triumphum. Cicero 5. in Verrem:* At enim qui triumphant, eoq; diutius viuos hostium duces seruant, vt his per triumphum ductis, pulcerrimum spectaculum fructumque victoriæ populus Rom. percipere possit; tamen cum de foro in Capitolium currus flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent; idemque dies & victoribus imperij, & victis vitæ finem facit.

Cap. 122. Cuius capiti insigne regium sua manu imposuerat.] *Per causam* diadematis, *quærit heic Schegkius, an diadema fuerit etiam reginarum: & definire videtur, fuisse saltem insigne imperantis, persuadente ei loco Trebellij vbi est*, Zenobiam accepisse diadema, sed nomine filiorum Herenniani & Timolai. *non insulto iuuenis manibus: sed, bone Deus, quàm multorum non meminit qui tale quid pronuntiat? Reginis quibuslibet suum etiam statim*

datum diademæ euincit firmiter innumerabilis scriptorum cohors; quos omnes, si vel nudo laudarem nomine, totas occuparent paginas. non possum tamen, quin fidei meæ caussa item aliquos memoriæ commendatos. Et Ve. occurrit primum liber Esteræ cap. 1. versu 17. ibi enim rex Persiæ simulatque Iudæam hanc in locum iustæ Vxoris accipit, imperit item diadema. tanquam scilicet honos talis minime communicaretur concubinis. quod diserte testatur Athenæus li. 13. Deipnosoph. Vbi refert Demetrium aliquot habuisse mulieres fortunarum suarum omnium compotes, excepto diademate, firmatque Plutarchus in Lucullo, Vbi Monima Mithridatis, cum eam rex tentaret, ἢ μυείης παπταινούσης χρύσεον στεφάνεμμα τοῦτο, αὐτέρξε, μέχρις ἐ γάμων ἐξιόντα σωθῆναι, ἢ διάδημα πέμψας ὤνητ, βασίλειον αὐηγόρευσεν. Sic rex Ægypti Ptolomæus, ad concionem vocato exercitu, capiti sororis Arsinoes diadema imponit, reginamque eam appellat, inquit Trogi abbreviator lib. 24. cap. 3. Nec alia de caussa apud Zonaram, lib. 3. Annalium, Eudociam Leonis Philosophi filiam Pulcheria desponsat Theodosio, ἢ διαδήματι πυρσοῖ, ἢ ἀυτοὺς κοσμεῖ. Sed & diadematis muliebris meminit Papinius li. 10. Thebaidos, Apuleius lib. 10. Metamorphoseos, Capella lib. 2. Philologiæ, Vt omittam id plus semel tribuere eidem sexui D. Chrysostomum Homilia in Euangelium Euangelistæ Matthæi. Occurrit quoque plus semel in fragmentis Suidæ, in aliis, quos hoc ictu temporis frustra requiram, & Vt sese sistant memoriæ meæ, cui id fuerit bono?

Cap. 123. Ad firmanda pace, quæ bello subegerat.] *Placet alius* formanda: *sed perperam. firmare heic verbum maxime proprium. facilius enim multo esse prouinciam facere quàm retinere, hoc est firmare, ostendimus ad illa Cornelij lib. 12. Annal. cap. 32.* Ortæ apud Brigantes discordiæ retraxere ducem, destinationis certum, ne noua moliretur, nisi prioribus firmatis.

Cap. 124. Cuius vrbis ruinam timueramus, eamne commotam quidem sensimus.] *Cur abierunt homines à scriptura membranarum. bene enim illæ*, cuius orbis ruinam timueramus, eum ne commotum quidem sensimus. *Alluserit ad Ciceronis isthæc ad Atticum li. 2. Epistol. 21.* Equidem sperabam sic orbem Reipub. esse conuersum, vt vix sonitum audire, vix impressam orbitam videre possemus, &c.

Cap. 125. Modum stipendij, finem militiæ sibiipsi constituere conati sunt.] *Vox postrema est sententiæ inquinandæ: tollatur.*

Eod. Prisca antiquaque seueritate vsus, ancipitia sibi tam re, quàm exemplo pernicioſa, & his ipsis militum gladiis.] *Vox* pernicioſa, *item copula & sequens, si ablegarentur, reformato* vſus *in* ausus, *exiret orationis quasi gemma.*

Cap. 126. Cum incerta sint oculis animisque omnium, &c.] *Bene Schegkius, qui reuocauit scripturam scripti codicis*, inserta. *id enim postulabat & ratio & sententiæ vinculum.*

Eod. Non adpellauit eum, sed fecit Deum.] *Æque belle procederet oratio, resecta voce tertia, vel vltima reposita in eius locum.*

Eod. Pœna in malos sera, sed aliqua.] *Inclinant alij legere*, sed æqua; *quibus non adhæreo, blanditur enim prorsus Velleius Tiberio, & vult maximis etiam criminibus minimas adplicuisse pœnas, testãdæ clementiæ. si æquam admittamus, tunc ea ipsa oportet cõpensarit grauitate supplicij suam moram: quod conuenerit quidem iustitiæ, non etiam principi recenti.*

Cap. 128. Et qui M. Fuluio tantum tribuere, vt pœne assentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret.] *Placet acutissimi Lipsij diuinatio* qui M. Tullio, *Vt hæc quadrent in Ciceronem. at quod idem etiam reformarum cupit illud* adsentatione, *in aliam aliamque vocem, ab eo prudenter dissentio, ob causssas quas posui in libellis Suspiciosum, ante conceptas, nedum natas acutissimi Acidalij in Velleium nostrum notas.*

Cap. 130. Quamdiu abstruso, quod miserrimum est, pectus eius flagrauit incendio?] *Est sane miserrimum. Vt enim vsurpem verba abbreuiatoris Trogi:* Crescit dissimulatione ipsa dolor; hoc altius demissus, quo minus profiteri licet. *Sed de morbo isto plura coaceruauimus ad Liuium.*

Eod. Quod ex nuru, quod ex nepote, dolere, indignari, erubescere coactus est.] *Addidi vocem* erubescere, *volentibus membranis, neglectam Aldo: quod scirem, viro ingenuo ruborem supra dolorem indignationemque omnem.*

Eod. Cuius potentiam nemo sensit, nisi aut leuatione periculi, aut accessione dignitatis.] *Et ad istud hercle exemplar ipsos se formare debebant aulici. nunc quid? obtinet fere quod questus est de suo sæculo Seneca Hercule Oetæo, versu* DCXXXVII.

Colit hic reges, regumque Lares;
Non vt presso vomere semper,
Numquam cesset curuus arator,
Vel mille secent arua coloni:
Solas optat, quas donet opes.
Colit hic reges calcet vt omneis,
Perdatque aliquos, nullumque leuet:
Tantum vt noceat cupit esse potens.

Verum de istis hominibus, quantum satis est, cumulauimus ad Taciti locum lib. 4. Annal. cap. 31. Suilium vidit sequens ætas præpotentem, venalem, & Claudij principis amicitia, diu prospere, numquam bene vsum.

V. C. CLAVDII PVTEANI
NOTAE ET EMENDATIONES
IN C. VELLEIVM PATERCVLVM.

LECTORI.

VELLEIVM scriptorem elegantissimum ante annos XXCVII edidit Rhenanus, summa, vt solebat, fide ac diligentia cum vetustis codicibus collatum; sic tamen vt supereſsent exercendis aliorum ingeniis mendæ, quas fere omnes aliquot post annis emendauerat Claudius Puteanus, admodum quidem adolescens, sed iam tum eruditione, ingenio, iudicioque præstantissimus, cuius nomini adepta postmodum Senatoria dignitas minimum contulit. is vigesimum ætatis annum vix egressus, in Italia peregre cum esset, Aldo Manutio de Paterculi editione cogitanti, quicquid ad eum sibi notauerat, libentissime, nec Aldus ipse diffitetur, communicauit. atque hoc certe contenti esse poteramus, nisi Manutius vltra typographum criticus existimari ambitiose dum cupit, insuperhabitis quæ a Puteano acceperat, sua nobis venditare maluisset. ea re incitatus Puteanus, hasce ad Velleium Manutianum Notas collegit, ipsemet editurus, nisi mors acerba præuertisset. sed quando ita sors mortalium cecidit, vt quæ spectatissime florent, quamcelerrime marcescant, est nobis ingenti luctu super immaturo tanti viri funere solatium haud exiguum, quod liberos complures, singulos ex asse suos, hoc est paternarum virtutum heredes reliquit, in quibus quasi superstes etiamnum per gloriam viuit, reique publicæ prodesse non cessat. hi tibi, Lector, plurima, quæ parens pollicitus erat, rite olim exsoluent ac repræsentabunt; liceat modo per lanistas illos amphitheatrales, qui vt litteras sacerrime perdant, in syllabis ipsis ac mera litteratura nescio quæ religionis & conscientiæ μορμολυκεῖα impudentissime commiscuntur, & famam litteratissimi cuiusque, nisi secum ineptire aut furere paratus sit, probris conuiciisque infamibus malitiose vellicant & proscindunt. illos dico bibliothecarum muscerdis pastos araneos, litteratæ segetis, vtinam non & Christianæ pietatis, erucas & bruchos. nimirum hæc hodie sunt ingeniorum monstra atque portenta, quæ non magis Vrbi timuisset Cato quam reginas.

C. VELLEII.] *Aldus dixit Velleiam familiam nusquam, quod ipse sciat, nominari. Nesciuit igitur M. Tullium in libris de Natura Deorum inducere C. Velleium Senatorem, quem in exercitatione dicendi rudem fuisse idem lib. 3. de Oratore scribit. Ignorauit etiam legem Iuniam Velleiam Iurisconsultis notissimam.*

IN LIBRVM PRIMVM.

CAP. 1. Tempestate distractus.] *Loquitur de Pyliorum exercitu, quod monet Rhenanus, vel fortasse de quodam qui Nestoris auspiciis Pyliorum classi vel parti ipsius imperabat. Sane Strabo lib. 6. scribit Metapontum à Pyliis qui a Troia cum Nestore nauigarant conditam fuisse. Est autem Italiæ oppidum in Tarentino sinu situm. Iustinus lib. 20. tradit Metapontinos ferramenta quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum Troianum fabricauit, ostentare. Atque huius forsitan nomen hoc loco desideratur.*

Eod. Fratris iniuriæ.] *Aiacis, idem autem de Teucro scribunt Strabo lib. 14. & Iustinus lib. 44.*

Eod. Post Orestis interitum.] *Hæc & quæ sequuntur illustrari possunt ex Pausania in Corinthiacis, qui quem* Penthelum *Velleius*, Pentilum *nominat, & quem hic* Temenum *ille* Timenum, *& Strabo* Temenum.

Cap. 3. Claustra Peloponnesi.] *Sic Cicero 2. in Rullum de Corintho loquens*, Erat posita in angustiis atque in faucibus Græciæ, sic vt terra claustra locorum teneret, &c.

Cap. 5. Illud vsurpat.] *Οἴοι νῦν βροτοί εἰσι. Hæc Homeri videntur hoc loco deesse. Vsurpatur hoc hemistichium ab Homero Il. M. & Υ. & alibi sæpe.*

Cap. 10. Alterum ex iis.] *Aldus pro* Alterum ex iis, *legit*, alterum ex duobus, *sed illud æque rectum: Itaque mutandum non est.*

Eod. Fuluij censoris frater, & quidem consors.] *Liuius lib. 41.* Cn. Fuluij qui frater germanus, &, vt Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat.

Cap. 11. Felicitatem fortunæ Metelli.] *Vide Val. Maximum lib. 7. cap. 1. & Plin. lib. 7. c. 44. & Cicer. 5. de finib. & 1. Tusculana.*

IN LIBRVM SECVNDVM.

CAP. 1. Luxuriæ posterior.] *Huc pertinet Q. Metelli sententia quam refert Val. Maximus lib. 7. cap. 2.*

Vide etiam elegantem hac de re disputationem apud Sallustium in Iugurth.

Eod. Cn. Octauius.] *Plinius lib. 34. cap. 3.*

Eod. Nunquam x. plura quam propriæ.] *Sic puto legendum,* Numquam x. plura, eaque propriæ, *& vel sic potius* numquam plura quam x. prop. *Puto etiam hic mendum esse in numero nisi forte in eo scriptores inter se dissentiant. Nam Appianus in Iberica scribit Numantinorum ante bellum non fuisse amplius 8. milia. Florus lib. 2. & Oros. lib. 5. ca. 7. quattuortantum milia Numantinorum 40. milia Romanorum sustinuisse, atque adeo vicisse tradunt. Postea vidi quosdam codices in quibus ita legitur:* Hæc vrbs numquam x. milibus plura prop. iuu. &c.

Eod. Tum Pompeium magni nominis.] *Vide Appian. in Iberic. Cicer. 3. offic. & 2. de finibus.*

Cap. 2. Gracchum.] *Puto addendum C.*

Cap. 3. Ob eas virtutes primus omnium, &c.] *In his,* ob eas virtutes *nil mutandum est: tantum pro*, est, cum data, *legendum*, circumdata *Valer. Maxim. hoc ipsum narrans sic scribit*, Ac deinde læuam manum apertæ togæ circumdedit, &c. *& cap. 2. lib. 3. Plutar. & Appian. scribunt Nasicam Togæ fimbriam capiti imposuisse: qui vero eum sequebantur, circumuolutas brachio togas habuisse.*

Eod. Conditionibus.] *In lib. Cuiacij* concionibus.

Eod. Quisquam putat.] *V. C. Quisquam sibi putat.*

Cap. 4. Qui mortuo.] *Delendum* Qui.

Eod. In triumpho: sed M. Aquilio, capite pœnas dedit.] *Sic distinguendus est hic locus:* in triumpho, sed a M'. Aquillio, capite pœnas dedit. *Non enim de Aristonico triumphauit Perperna, verum M' Aquillius, vide sigonium in* Sigonium *ad A. V. C.* DCXXIV. *quæ emendatio a* M'Aquillio *non mihi placet & nihil mutandum censeo, quia obseruauit Velleium præpositiones sæpe omittere, vt infra:* Quippe expulsum ciuitate L. Saturnino Trib. Pl. quod solus, &c. *& post.* Gallias primum Domitio, & Fabio nepote Paulli intratas cum exercitu, &c. *& alibi,* Prorupto vallo militibus receptus est. *quæ loquendi forma etiam Tacito sollemnis est.*

Eod. Mucianum virum iuris scientissimum.] *Cicer. 1. Orat. & Bruto. Pomponius I. C. in l. 2. de origine iuris* §. 40. *Gellius lib. 1. c. 13.*

Eod. Tribuno Carbone.] *Vide Cic. pro Milone & Valer. ca. 2. li. 6. Plutar. tamen in Gracchis. C. Gracchum & Fuluium Flaccum Carbonis in tribunatu collegas hoc feciſſe scribit.*

Eod. Et cum omnis concio.] *Idem scribit Polyænus li. 8. hoc ipsum refert Plutarch. in apophtheg.*

Eod. Quorum Nouerca est Italia.] *Sic Petronius.*

— mercedibus emtæ
Ac viles operæ, quorum est mea Roma nouerca.

Eod. Abhinc annos CI.] *Non est accurata hæc annorum supputatio, nam ab illis Coss. ad Vinucij Consulatum* CLIIX. *anni numerantur. nisi forte librariorum sit error, quod magis puto: nam pag. superiore a Mucio & Calpurnio coss. ad Vinucium cos.* CLXII. *numerauit, a quibus quadriennio post M'. Aquillius, C. Sempronius coss. fuerunt, vt ex fastis constat &* auctoribus.

Eod. Eiusque corpus velato capite elatum.] *De quo sic auctor de vir. illustr.* obuoluto capite elatus, ne liuor in ore appareret.

Eod. Seu fatalem.] *Id est naturalem in Vet. Glossis Latino-Græcis* fatalis mors, *redditur* ἴδιος θανάτος. *vide Gellium lib. 13. c. 1. & Turneb. lib. 13. c. 9. De Africani morte vide Plutarch. in Rom. & Græc. Appian. 1.* ἐμφυλ. *Cic. pro Milone & in Lælio. Orosius lib. 5. c. 10. Epit. Liuij 59.*

Eod. In quem creatus est; anno XXXVI.] *Æqui sive a Consulatu Paulli patris. cum quo ille consule teste Liuio lib. 44. bello Macedonico interfuit anno ætatis* XVII. *ad priorem Africani consulatum, sive retro a morte ipsius qua in annum ætatis* LVI. *incidit, de quo omnes consentiunt, sive, inquam, hoc modo, sive illo annos numeres repertes Africanũ anno* XXXIIX. *primum Consulem factum esse.*

Cap. 5. A. Bruti.] *Hic apud omnes alios auctores Decimi prænomen habet: nec ideo tamen mendum hic est: de quo vide Sigonium in Fast. ad annum V. C.* DCXV.

Eod. Q. Macedonici.] *Metelli, vide Val. Maxim. lib. 2. c. de discipl. milit. Frontin. lib. 4. c. 1. Florus lib. 2. Epit. Liuij lib. 53. & eundem Valerium lib. 7. c. 4.*

Eod. Fabius Æmilianus.] *De huius disciplina vide Appianum in Iber. eius patrem Paullum disciplinæ militaris retinentissimum fuisse scribit Plutarch. in Paullo.*

Eod. Disciplinæ in Hispania, &c.] *Aut delenda vox* seueritate, *aut legendum est* disciplina.

Cap. 6. Ceruicem Euporo seruo præbuit.] *Plutarch.* Philocratem *vocat & auctor de Viris illustrib.*

Eod. Pomponij equitis Rom. &c.] *Valer. Max. li. 4. c. 7. & auctor de Viris Illustr. id Lætorio tribuunt.*

Eod. In ponte hostib. eius, &c.] *Sic distinguendum est:* hostibus eius, *scilicet Gracchi.*

Cap. 7. Quem cum haruspex, &c.] *Valer. Maxim. Herennium vocat Siculumque fuisse dicit, & rem paullo aliter narrat lib. 9. c. 12.*

Eod. Damnatum iudicio publico.] *Quod a Iugurthæ muneribus acceptis corruptus fuisset: vide Sallust. in Iugurth. & Plut. in Gracchis in fine.*

Eod. Rutilium.] *Leg.* Rupilium.

Eod. Anni CLI.] *Imo* CCL. *vt ex Chronologia constat.*

Cap. 8. Eius qui Capuam ceperat, filiorum, &c.] *Anno V. C.* DLXXIV. *Idem quoque notatum est in fastis Capitolinis hos fratres germanos fuisse. Hoc autem eodem anno duo quoque fratres Q. & P. Mucy Q. F. Scæuulæ prætores fuerunt.*

Eod. Quod solis contigerat Scipionibus.] *Non est, quod Aldus in huius loci illustratione, tanopere sibi placeat, nam hæc cum ab aliis pridem, tum ab Onufrio in comment. ad fastos A. V. C.* DCLII. *prolato Polybij loco explicata fuere.*

Cap. 9. Namque Mutius.] *Leg.* Nam Q. Mutius.

Eod. Qui abhinc annos CLVII.] *Locus videtur mendosus. Nam ab his censorib. anno scil. ab V. C.* DCXXIIX. *ad Kinnamum Cos.* LV. *anni tantum sunt. Itaque hic puto legendum, illas vero notas 2. ex Æmilij Lepidi prænomine esse conflatas, ac huic numero conglutinatas: quod nam vero huiusce Lepidi prænomen fuerit, nescio.*

Cap. 10. At nunc si quis tanti, &c.] *Videtur Tiberium notare qui Senatori latum clauum ademit quem cognouisset sub Kal. Iul. demigrasse in hortos quo vilius post diem ædes in vrbe conduceret. teste Suetonio in eius vita c. 35.*

Eod. Vti ante hunc, &c.] *Videtur mendosus hic locus: & sane puto illud* vti *in locum numeri alicuius irrepsisse, quod etiam vidit Rhenanus. sciri quidem potest ex fastis Consularib. quot ex Domitiis consulatum gesserint: sed incertum est qui sint illi singulis omnino parentibus geniti vel quot. dubium quoq; est an in vniuersum de Domitia gente, cuius duæ familiæ fuerunt Caluinorum vna, altera Ahenobarborum, an vero de Ahenobarbis tantum hic Velleius agat, quod magis est: Nam & hic Domitius qui de Arueruis triumphauit, quique Velleio Domitiorum claritatem notandi occasionem dedit, ex Ahenobarbis fuit, qui ex Domitiis præcipue honoribus floruerunt, de quib. Tranquill. in Nerone, & hic Velleius Domitiam familiam dicit non gentem. Quod autem ait* ante hunc nobil. simp. iuu. *pertinet ad Cn. Domitium Neronis Imperatoris vt puto patrem, qui biennio post M. Vinucium Cos. (cui historias suas inscripsit Paterculus) consulatum gessit. de quo hæc infra scripsit,* Cn. Domitius pater L. Domitij nupera nobis vita, auus huius Cn. Domitij clarissimi iuuenis, &c. *Puto autem vt huic potissimum Domitio gratificaretur, qui gratia apud Tiberium plurimum valebat hæc de Domitiorum amplitudine inseruisse Velleius. Cum*

Vero

vero scribit Domitios ad triumphi insignia peruenisse, non tam exstantis Reip. in qua illi præcipue floruerunt, quam ex Imperij Cæsarum, hoc est, suorum temporum consuetudine locutus est. Sed ne triumphasse quidem quemquam ex illis præter eum, quo de hic agit Paterc. auctores tradiderunt: Puto autem hic pro singulis, *legendum esse* singuli.

Cap. 11. Natus equestri loco.] *At Plutarch. scribit parentes eius perobscuros & pauperes fuisse, quippe qui opere faciundo se alerent.*

Eod. Quantum bello optimus, tantum pace pessimus.] *Sic quoque T. Liuius lib. 80. de eodem loquens,* Haud facile sit dictu vtrum bello melior, an pace pernicio-sior fuerit.

Eod. Naturalem nobilitatis superbiam.] *Sic quoque Sallustius in Iugurth. eandem rem tractans,* superbiam commune nobilitatis malum *vocat.*

Eod. Quippe intra XII. ferme annos huius temporis coss. fuere Metelli.] *Nempe Q. Metelli Numidici, neque enim ad Velleij tempus hæc vox referenda est. Notat autem Onuphrius Cæciliam gentem Pontificatus Max.* IV. *dictaturas duas, magisteria equitum totidem, Consulatus* XX. *Censuras* VII. *Triumphos* IX. *intra annos* CCL. *adeptam fuisse, quibus honoribus functi sunt viri* XIX. *Næuius poeta vt est apud Asconium, fato Metellos fieri Consules dixit: ad quod respexit Cicero in præmio 1. act. in Verrem.*

Cap. 12. Copulatum sibi quæstorem habuit.] *Est enim maxima Consulis & Quæstoris* necessitudo.

Eod. Abhinc annos ferme CXXXIIX.] *Immo* CXXXVI. *anni tantum a deuicto Iugurtha ad Vinucij Consulatum numerari debent.*

Eod. Aurelium cos.] *Legendum puto* Consularem. *neque enim cos. occisus est. Itaque Orosius hoc ipsum tractans Consularem vocat. Liuius legatum Consulis.*

Eod. Domitius legem tulit.] *De qua Cic. 2. in Rullum Sueton. in Nerone, alij.*

Eod. Amplius CL. hostium.] *Ducenta millia cæsa fuisse scribunt Epitome Liuij & Orosius in Eutrop. amplius* CL. *millia Plutarchus.*

Eod. Raudis.] *Magna est varietas apud auctores in hoc nomine: Plinius de Viris illustrib. Cod. quidam editi habent* claudium campum, *alij* caudium; *quomodo & scriptos quosdam habere Vincetus testatur, quidam veteres* Sauidum. *apud Flor. lib. 3. vulg. cod.* Claudium *eduuti scripti autem Raudium, quomodo hic quoque legendum puto.*

Eo. Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertauere prælio.] *Deesse videtur,* cum Cimbris *vel quid eiusmodi, hæc enim pugna cum Cimbris pugnata est, cum superiori Teutoni deleti omnino fuissent.*

Eod. Cæsa aut capta amplius CM. hominum.] *Epit. Liuij lib. 68. Eutrop. lib. 5. Florus lib. 3. Orosius lib. 5.* CXL. *millia cæsa scribunt; Plut. in Mario* CXX. *millia: Capta autem* LX. *millia omnes scribunt: quo sit vt hic putem scribendum,* amplius CC. hominum.

Cap. 13. Liuius Drusus vir nobilissimus, eloquentissanctissimus.] *At ex Val. Maximo lib. 9. ca. 5. Ascon. in Cornel. & Auct. de vir. illust. liquet hunc Drusum fuisse ambitiosum, profusum, superbum & audacem. Puto autem Velleium hoc loco vt Tiberio adularetur, qui a Liuiis maternum genus trahebat (de quo Suet. in Tiber. & Val. Max. lib. 2. cap. de Censor. Nota) Velleium, inquam, in hoc Liuio laudando solito longiorem fuisse.*

Eod. P. Rutilium virum non seculi sui.] *Vide Liuium lib. 70. Ascon. in diuinat. Orosium lib. 5. cap. 17.*

Cap. 14. In atrio domus suæ cultello percussus.] *Sic Liuius li. 70. Appian. 1. Auct. de vir. illustr. Seneca de breuit. vitæ, Oros. li. 5. Ac Cic. de Nat. deor. eius percussorem Q. Varium nominat. Plin. lib. 28. cap. 9. scribit eum caprinum sanguinem bibisse.*

Eod. Immunisque ab omnibus hominibus esset.] *Putaui aliquando legendum esse* luminibus, *lumina autem vocant iuris auctores, quibus cœlum videtur & aer excipitur, qua etiam voce Tullius vtitur. Sed Rhenanus in V. C.* ab omnibus arbitris *legi testatur, quam ego lectionem mirifice amplector vt elegantem & Velleio nostro dignam. Arbiter enim præter vulgatã & notam significationem, is est qui quid speculatur & inspicit apud Plautum, Ciceronem, Apuleium, & alios. Cicero autem eodem fere dicendi genere in 5. Verrina, dixit* locum amœnum & ab arbitris remotum, & 15. *ad Atticum* loca abdita & ab arbitris libera. *Hanc historiam refert Plutarch. in* πολιτικ. παραγγέλμασιν.

Ca. 15. In legibus Gracchi.] *Sed quorsum hic Gracchanarum legum Paterculus meminit? nempe quia earum nonnullas Drusus retulit, vt de coloniis deducendis, teste Appiano lib. 1. Vnde manifestum est, quædam hoc loco de ista Drusi lege desiderari.*

Eod. Byzantium Mileto genitali solo.] *At Philostratus, Stephanus, & Eustathius, Byzantium Megarensium coloniam esse scribunt. Iustinus lib. 9. a Pausania conditum tradit Spartanorum rege. de Mileto nemo quod sciam; tradidit præter Velleium.*

Eod. Vt C. R. ad censendum, &c.] *In prouinciis enim multi ciues Romani versabantur, partim aratores & pecuarij, partim publicani; & negotiatores, ibique sedem suarum fortunarum habebant, quod complurib. Cicer. locis adductis probarunt Hotom. de verbis iuris, & Sigonius lib. 2. de iure Ciu. Rom cap. 10. & li. 1. de iure Prouinc. cap. 2. Ij autem non fere Romani nisi censendi causa veniebant, quod præter Velleium hoc loco, indicat etiam Cicero ad Atticum lib. 1. sub finem. Malim autem has notas C. R. explicare* Ciueis Romanos *quam vti Sigonius,* Ciues Romani. *Sic enim hunc locum adduxit ille.*

Eod. Cum id malum in vniuersa Italia.] *Sic puto leg. hunc locum.* Vniuersa Italia cum id malum ab Ascul.

Eod. Tuebantur per omnes annos, &c.] *Sic puto distinguendum,* tuebantur: per omneis annos atque omnia bella. *non fuit autem perpetuum quod ait Velleius quæstos fuisse Italicos, qua de re vide Sigon. lib. 1. de iure Ital. cap. 4.*

Eod. Duplici numero &.] *Delbenius emendat* duplici munere. *vulgata lectio rectissima est,* duplici militum equitumque numero fungi, *Id est duplicem numerum Romanis ad bella præstare: In qua significatione M. Tullius sæpe verbum illud vsurpauit; vt in frumentaria* cum tribus decumis pro vna defungerentur. *Id est tres decumas præstaret & Paullus I. C. in l. 22.* §. *Vlt. ad Municipalem:* omnibus patrimonij intributionibus fungi debent: *atque ex eo collationes & pensitationes publicæ, functiones vocantur in Constitutionib. Imperatorum.*

Eod. Clarissimi imperatores.] *Alios complures enumerat Appian. lib.* 1. ἐμφυλ.

Eod. Consensu Reip.] *Malim legere populi Rom. nam & Valer. lib. 4. c. 1. maximo sensu & populi consensu ait reditum illi datum. Error creatus est ex affinitate notarum P. R. & R. P. quarum hæc Respublica, illa populus Ro. significatur.*

Eod. Nec triumphis honoribusque.] *Sic fere Cic. in ea pro Planc. dixit:* Metellum ob illam constantiam, qua illud voluntarium vulnus accepit, iustissimos omnium Metellorum & clarissimos triumphos gloriæ laude superasse.

Eod. Aut causa exilij, aut exilio.] *Clarus fuit exilio Metellus quod a Rhodiis apud quos exulabat summa benevolentia & obseruantia cultus sit, vt scribit Plut. in Mario: Reditu autem, quia non sufficit integra dies gratulationibus ad portam eum excipientium, quod scribit Appian. lib. 1.*

Cap. 16. Herius.] *Sic quoque Appianus lib. 1. Liuius lib. 73. vocat* Hirtum, *Eutrop. lib. 5.* Hierum.

Eod. Insteius Cato.] Potuit Aldus lectorem admonere de varietate, quæ est apud auctores in aliorum ducum nominib. efferendis de Popædio leg. Xylander in Plut. Mar. Caium Pontidium, Appianus, Pontilium. & Egnatium Ignatium appellat. & Papius Mutilius, Appiano est C. Papius Motilus, Diodoro in excerpt. lib. 37. C. Aponius Motulus Corn. Tacit. lib. 2. inter senatores principatus Tiberij nominat Papium Mutilum. qui fortasse ab hoc oriundus est. Maior varietas est in Popædij Silonis nomine. de Telesino vide Velleium infra.

Eod. Decij Magij.] De hoc vide Liuium lib. 23. est autem legendum Decimi.

Eod. Cosamque.] Puto legendum cossam, quod est oppidum in Vmbria, de quo Plinius, Steph. Mela. Liuius, ac etiam Velleius lib. 1.

Eod. Viritim ciuitate donando.] Viritim, id est nominatim, singillatim, seorsum. Ciuitas enim dabatur aut oppidanis singulis aut vniuersis, atque illud multo honorificentius: sic Cic. in Anton. 2. ciuitas non tum singillatim, sed prouinciis totis dabatur. & in 1. ciuitas data non modo singulis, sed etiam nationibus & prouinciis vniuersis. Hanc autem vocem viritim sic vsurpauit Seneca lib. 5. Natur. quæst. cap. 7. In vniuersum de ventis diximus, nunc viritim incipiemus illos excutere: sic Tacitus li. 11. Annal. vt non modo singuli viritim, &c. loquitur autem vt hic de ciuitate. Cicero pro Balbo sigillatim dixit.

Eod. Cum seni ad crearentur.] Non nisi decennio post, L. Sulla dictator latis nouis quæstionibus duos adiecit, vt essent octo, qui numerus Ciceronis tempore fuit. Porro de Prætoribus, & vt eorum numerus auctus sit & a quibus vide Onuphrium in fastis ad annum V. C. CCCXXCIIX.

Eod. Corfinium.] Vide Diodorum in excerpt. ex lib. 37. & Strabonem lib. 5.

Eod. Procumbentemque Remp.] V. C. rem P. R.

Cap. 17. Cum familiæ eius claritudo.] Sic Sallust. in Iugurtha. Syllam patriciæ gentis fuisse scribit, sed familia iam exstincta maiorum ignauia, idem quoque tradit Plut. in Sylla in principio.

Eod. Cogitationem.] Car. Sigonius hunc locum citans legit, rationem, atque forsan ita libri quidam habent.

Cap. 18. in vnius Theophanis.] Idem scribit Plutarch. in Pompeio. Eundem quoque Pompeius in concione militum ciuitate donauit, Cic. pro Archia Poeta. Valer. lib. 8. c. 14.

Eod. Punico.] Secundo V. Liuium lib. 23.

Eod. Disertus, acer.] Cic. in Bruto grandem & tragicum oratorem vocat.

Eod. Cum antea rectissima voluntate.] Sic quoque Pædianus in Cornel. scribit Sulpitium initiis bonarum actionum ad perditas progressum esse: Idem etiam scribit Cicero de harusp. respons.

Eod. Omnia imperia addixit.] Non puto vocem istam eum hoc loco habere sensum, quem omnes sciunt, sed illum minus notum qui a Festo explicatur, Addicere (inquit) proprie est idem dicere & approbare dicendo: in qua opinor significatione in Augurali disciplina aues tum dicuntur addicere, cum ratum faciunt auspicium, & approbant facienda. Liuius li. 27. Fabio auspicanti aues semel atque iterum non addixerunt. Nisi quis forte malit ita legere, prauus & præceps se C. Mario. & addixit. cuius lectionis eadem fere est sententia. sed illam magis probo. Nam & sic Lactantius hoc verbum vsurpat lib. 1. cap. 7. Quare, inquit, incredibilis est error illorũ, qui cum aliquam sectam probauerint, eique addixerint, ceteras damnant tamquam falsas & inanes.

Eod. Aliasque leges.] Vt exules reuocarentur, vt noui ciues libertinique distribuerentur in tribus Epit. Liuij lib. 77. Auctor ad Heren. Ascon. in Cornel. Plutarch. in Sylla. Appian. lib. 1.

Cap. 19. Annoque LXX.] Malim annosque. vide paullo ante.

Eod. Circa paludem Maricę.] Aldus adnotat Maricam esse fortasse nomen syluæ prope Minturnas. quod dum lego, risum tenere vix possum. Nam Marica Nympha est vxor Fauni apud Virgil. lib. 7. eademq; Dea litoris Minturnensium iuxta Lirim fluuium, quemadmodum ad illum Maronis locum Seruius scribit. vnde Horatius eam oram Maricæ litora appellat lib. 3. Carmin. Ode 17. cum ait, Qui Formiarum mœnia dicitur Princeps, & innãtem Maricæ litoribus tenuisse Lirim. similiter Lucanus lib. 2:

— & vmbrosæ Liris per regna Maricæ.

Plutar. quoque in Mario auctor est ad Minturnas locum fuisse Maricæ sacrum. Ita quam Velleius Maricæ paludem; Cicero, Liuius, & alij Minturnensium paludes appellant. Plutarch. enim ibidem scribit Lirim fluuium prope Minturnas in modum paludis sese effundere.

Eod. Natione Germanus.] Gallum fuisse Liuius & Appianus scribunt: Plutarchus autem equitem natione Gallum siue Cimbrum, nam vtrumque tradi. Cimbri vero Germaniæ populi erant.

Eod. Cum magno eiulatu.] Abest à V. C. sed in quibusdam libris editis totus hic locus ita legitur, vt agn. Mar. magno cum eiulatu se prodentem, indignatione casus. rectissime.

Eod. Circa Tænariam.] Cod. quidam Ænariam recte. vide Plutarchum. Sisenna lib. 6. Histor. apud Nonium V. continuare. Marius ostio Liris euehitur, atq. Ænariam suos continuare iubet.

Eod. Filium.] Falsum hoc est, si Plut. & Appia. credimus, qui scribunt Marium nonnisi in Africa filium recepisse qui ad Hiempsalem confugerat. Liuius quoque refert Marium filium in Africam traiecisse. Plutarch. autem scribit Marium in Ænaria insula Granium priuignum suum recepisse. Itaque forsitan hic legendum est, vxoris filium.

Cap. 20. Cinna in omnibus tribubus.] Quod antea tentauerat Sulpitius teste Liuio lib. 77. & Appian. 1.

Eod. Suffectus in eius locum L. Cornelius Merula Flamen dialis.] Gellius lib. 10. c. 15. scribit Flaminem dialem rarenter Consulem factum, cùm bella Consulib. mandabantur, quia nefas erat ipsum classem procinctam extra pomœrium, id est, exercitum armatum videre.

Eod. Triginta legionum.] Vna quæque enim legio decem cohortes habet. V. Vegetium lib. 2. cap. 6.

Cap. 21. Affuisset.] Aldus legit adfulsisset. Ego retineo, affuisset.

Eod. Seu tres Pompeiorum fuere familiæ.] At auctor libelli de gentib. & fam. Rom. duas tantum fuisse putat, Ruforum vnam, alteram Strabonis, e Rufis autem quidam Bithynici sunt appellati.

Eod. Annos fere CLXVIII.] V. cod. CLXVII. alij CLXVIII. Q. Pompeius. recte, vt opinor, quod ad prænomen illud attinet: Nam quod ad numerũ, Pompeius ille ante annos minimũ CLXX. consul fuit. de hoc Pompeio aliquid scripsit Velleius in principio libri huius.

Cap. 22. Licentia gladiatorum immediocreis sæuitũ.] V. Cod. immediocri neque habet gladiorum.

Eod. Excellentissimi quoque eminentissimæ ciuitatis viri.] Vetus editio Basil. quæ apud nos codicis scripti loco esse debet, sic habet. Excelsissimæ quoque atque eminentissimæ ciuitatis viri. vbi fortasse pro, ciuitatis non male reponetur dignitatis, possum similes Velleij locos proferre.

Eod. Cinnæ cos.] V. cod. consulatu. recte.

Eod. Flamen dialis.] Post eum duobus & septuaginta annis neminem Flaminem fuisse suffectum scribunt Tacit. li. 3. & Dio lib. 54.

Eod. Simul exitiali hausto spiritu.] Geminat quoque

hanc particulam simul Liuius & Quintilianus, quæ eandem vim fere habet, quam cum & tum siue, partim sic quoque Græci ἅμα μὲν, ἅμα δὲ. Plutarchus περὶ παιδ. ἀγωγῆς. ἅμα μὲν τῆς τῶν σωμάτων εὐρυθμίας ἕνεκεν, ἅμα δὲ καὶ πρὸς ῥώμην.

Cap. 23. Morbo oppressus decessit.] Laterum, vt ex Posidonio Plutarch. scribit.

Eod. Quadrantem solui iusserat.] In scholiolo Aldi Manutij in hunc locum duo sunt fœda errata. neque enim lex isthæc Valeria erat tantum de vsuris, verum etiam de capite ipso & sorte, vt scilicet quartã ratum æris alieni partem debitores soluerẽt. Alter error est, quod quadrantem centesimas tres exponit. Erit ergo quadrans vsura triginta & sex numorum annuorum pro centum, quia centesima ea dicitur, quæ pro centenis numis duodenos quotannis pendit: quo quid ineptius dici aut existimari potest? Quadrãs autem vsura est, cùm in centenos tres numi præstantur, quæ etiam quarta centesimæ appellari potest ea ratione, qua Paullus I. C. per tertiam centesimæ intellexit trientes vsuras in l. cum quidam in fi. de vsuris. D.

Eod. Cuius facti merita eum pœna, &c.] Nam a C. Fimbria legato suo interfectus est: vide infra & Appian. in Mithrid.

Eod. Multiplices Piræi portus.] Septemplici muro ab Archelao communitum fuisse Piræum scribit Orosius lib. 6. cap. 2. Florus quoque, Mox subruto Piræi portu, inquit, sed quoque & amplius muris, &c. vide quoque Appianum.

Eod. Amplius cc. hostium.] V. cod. CCM. At Appianus CLX. millia tantum cæsa scribit, quod verius videtur.

Eod. Oppressi Mithridatis armis.] Per Aristonem Atheniensem tyrannum vrbe Mithridati tradita.

Cap. 24. Fimbria, qui præfectus equitum.] Liuius lib. 82. & Orosius lib. 6. legatum Flacci vocant, Strabo lib. 13. Quæstorem.

Eod. Forte Mithridatem.] Legendum est, forti.

Eod. Sub aduentu Syllæ se ipse interemit.] Apud Thyatira vt Plutar. & Oros. volunt, vt vero Appian. & auctor. de vir. illust. Pergami.

Eod. Sex. Lucilium.] De hoc alij nihil scribunt quod sciam. Meminit quidem Liuius lib. 80. Sex. Licinij senatoris iussũ Marij de saxo præcipitati, primo septimi consulatus die: Quem Plutar. in Mario Sex. quendam Lucium vocat. Sed id biennio ante gestum est, quam quæ paullo ante retulit Velleius.

Eod. Cum ad eum primum omnium, &c.] Id factum est decem ante annis, cum Sulla ex Prætura Ciliciam obtineret, & Ariobarzanem in Cappadociæ regnum restituisset. Tum enim id ipsum ad Euphratem morantem Orobazus Arsacis Parthorum regis legatus societatem petitum primum venit, vide Plutarch. in Sulla. Liuium lib. 70.

Eod. Ab exercitu interemptus est.] Quẽ in Liburniam vt inde Sullæ occurreret, traiicere inuitum volebat. Auctor de vir. Illustr. scribit lapidibus ab exercitu Ancone occisum. Plutar. in Pompeio a quodam Centurione obtruncatum: Appian. autem lib. 1. refert orta seditione ad saxorum iactum ventum esse. sed qui propiores erant, strictis gladiis hominem confodisse.

Cap. 25. Scipionem Norbanumque Consules.] Lege Cæpionem, ait Manut. mihi potior est Taciti, Appiani, Flori, Eutropij, Obsequentis & Caßiodori auctoritates, qui omnes in hunc annum, qui est vrbis conditæ DCLXX. L. Scipionem C. Norbanum consules edunt. Et Scipionis nomen in fragmentis Capitolinis integrum superest.

Eod. Nam vt Cos. vt prædiximus, &c.] V. cod. sic habet, Nam & Cos. (vt prædiximus) exarmatum Q. Sertorium. &c. Puto sic legendum. Nam & consulem (vt prædiximus) exarmatum, & Q. Sertorium. Consulem autem intelligit Scipionem. Quod autem Sertorium in Sylla potestatem venisse hic scribit, neque Plutarchus in vita, neq; alius, quod sciam, auctor tradidit.

Eod. Propinquanti mox bello facem.] Aldus Manutius dicit veterem lectionem ferri posse. Sed vnde ista vetus lectio, aut cuiusmodi est? certe Codicem manuscriptum non habuit. hausit igitur ex Editione quapiam. Atqui Frobeniana anni CIϽ IϽXX omnium antiquissima, & ex qua reliquæ omnes expressæ sunt, ita habet, pro quanti mox belli facem: prorsus eleganter, quod deprauauit Gelenius, siue quisquis alius posterioribus Editionibus manum admouit. Nam si quid in his diuersum ab illa reperitur, id ex coniectura profectum est, neque enim aliud post vnicum illud, quo Rhenanus vsus est, huius Auctoris exemplar inuentum est, neque spes est repertum iri.

Eodem. Posuit victoriam qua &c.] Locus sic peßime affectus est & prope desperatus, Nos tamen interim ipsum fascia quadam obligabimus, dum vel veteris codicis ope, vel eruditorum ingenio sanetur. Sed prius vt in alijs Exemplaribus se habeat, indicabimus. Marnesianum sic edit, post victoriam, qua descendens montẽ Tifata cum C. Norb. concur. Syl. gr. di. cui. num. reg. il sac. est, soluit aquas salub. med. q. corp. nob. ag. q. omn. addixit deæ. Huius gr. rel. mem. & inser. te. ad f. pos. hodieque & tab. test. ær. int. ædem. deinde Coss. Carbo III. &c. Mar. septies cos. &c. Antiqui cod. Frob. scriptura ad calcẽ huius libri indicatã est huiusmodi. Posuit vict. qua demendes montem tifata cum C. Norbano concurrerat Sylla gratis Dianæ cuius nomini regio illa sacrata est, soluit aquas salubritate medendisque corporibus nobiles agros omnes adduxit Deæ huius gratæ religionis memoria & inscriptio templi affixa posti hodieque crabula testatur ærea. Interea deinde CON. Carbo III. & C. Marius septiens &c. Sic est in vet. lib. ex cuius vestigiis hanc qualemcumque lectionem erui, Post vict. qua descendens monte Tifata cũ C. Norb. concurrerat, Sulla grates Di. cu. num. reg. illa sac. est soluit: aquas salub. in medendisq. corp. nob. agros omnes adduxit. De huius gr. rel. mem. & inser. tem. adf. posti hodieq. & tab. test. aer. intra ædem. Deinde Coss. Carbo & C. Mar. &c. Tifatẽ autem vt scribit Liuius lib. 7. & 26. mons est imminens Capuæ, ad quem Sullam cum Norbano conflixisse paullo ante Velleius scripsit, oppidi eius nominis in antiquo latio meminit Plinius lib. 3. cap. 5. quod qui hic intelligi putant, non satis locorum rationem habere videntur, ex gratus, autem feci grates secutus vet. cod. in quo est gratis, veteres enim accusandi casum tertij ordinis, in numero multitudinis per is sæpe scribebant. Fuisse vero in Campania aquas complurib. locis salubreis cum ex aliis, tum ex Plinio constat lib. 31. cap. 2. Quæ autem hic Paterculus refert, de his nihil apud alios auctores exstat. Aldus vero illa verba vt potius inseruit quæ omisi, atque etiam omittere debui. neque enim verba sunt Paterculi; vel verborum ipsius vestigia; sed eius, qui veteris codicis varietates collegit.

Eod. Agrosque omneis adduxit.] Vetus inscriptio.

SI HVMANO. INGENIO. PERPETVO.
VIATORIBVS. PARARI. VINA.
POTVISSENT. NON. AMOENVM.
QVEM. CERNITIS. FONTEM.
AQVARVM. C. LEPIDIVS MAGNA
IMPENSA ADDVXISSET.

Cap. 26. C. Marius septies cos.] Mallem hic legere Marius Marij septies Consulis, &c. Omnes autem auctores eum C. Marij filium fuisse scribant præter Appianum qui fratris filium C. Marij vocat; fortasse Marius fratris filium adoptarat.

Eod. Annos natus XXVI.] Liuius lib. 86. scribit ante annos XX. consulem factum per vim: auctor de viris illustrib. anno XXV. Appianus anno XXVII.

Eod. Ne quid vnquam.] Lego vsquam.

Eod. Calpurnia Bestiæ filia.] Eius, opinor, qui anno V. C. DCXLII. cum P. Scipione Nasica consul fuit.

Cap. 27. Marius adulescens per cuniculos.] Strabo lib. 5. scribit Præneste occultis cuniculis vbique vsque ad plana perforatam esse, & aquationis gratia, & clandestinæ fugæ, atque in vno horum Marium mortem oppetiisse.

Eod. Occubuisse prodiderint.] Alij etiam scribunt à seruo iussu suo interfectum Diod. Sicul. in excerpt. ex lib. 37. & Valer. Maxim.

Eod. Asella Lucretius.] Leg. est Ofella ex Plutarch. Appiano & aliis. Huius Cic. in Bruto meminit. Eum anno sequenti Sulla contra voluntatem suam consulatum petere ausum occidi iußit, Liuius lib. 89. Ascon. in Orat. in toga cand. Plut. in Sulla. Caussam hanc addit Appian. li. 1. quod ante præturam consulatum peteret, quod paullo ante Sulla lege vetuerat. Itaque vereor, ne hoc loco in voce, Prætor, mendum aliquod subsit.

Cap. 28. Ciuis Reip.] Rom. publice: sic supra quod capitis non dicam Gracchi sed ciuis Rom. pretium se daturum, &c.

Cap. 30. Etoscæ.] Aldus emendat Oscæ, sic etiam ex coniectura reposueram, de quo mihi complures familiares mei testes esse possunt. Veruntamen Strabo lib. 3. scribit Sertorium πολεμῆσαι τὸ τελευταῖον ἐν Ιλέρδῃ καὶ Ιλεόσκῃ τῶν Ιλεργετῶν πόλεσι, καὶ ἐν Καλάγουρι Οὐασκώνων πόλει καὶ ἐν Ταρράκωνι, καὶ ἐν τῷ Ημεροσκοπείῳ, &c. subiicit, ἐτελεύτα δὲ νόσῳ. In quo dissentit a ceteris auctoribus, qui eum coniuratione facta a suis interfectum esse omnes tradunt; a Liuio, inquam, Velleio, Plutarcho, Appiano, Floro, Eutropio, Orosio, neque tamen verisimile est Strabonem bonum in primis & diligentem scriptorem, hac in re, præsertim ab sua memoria non ita remota lapsum esse: putoque eum scripsisse, ἐτελεύτα δ᾽ ἐν Ὄσκῃ. Vereor etiam ne mendum sit apud eundem auctorem in illis quæ proxime antecedunt, καὶ συνάπτει τοῖς περὶ Ιλέρδαν καὶ Ιλεόσκαν χωρίοις τοῖς τῶν Ιλεργετῶν, &c. & pro, Ιλεόσκαν legere oporteat, Ὄσκαν. procliuis enim lapsus fuit propter propinquas voces Ιλέρδαν & Ιλεργετῶν, quæ ambæ ab iisdem elementis incipiunt. Oscæ cum alij multi, tum Plutarchus & Florus in Sertoriani belli narratione meminere. quin & Ptolemæus lib. 2. inter Ilergitum vrbes Ilerdam & Oscam ponit; & Plinius lib. 3. c. 3. Oscenses & Ilerdenses coniunctim nominat. de Ileosca vero nemo alius, quod sciam, mentionem facit.

Cap. 31. Quo S. C. pæne totius terrarum orbis, &c.] V. C. Iac. Cuiacius 7. obseruat. c. 9. emendat, quo Plebiscito. nam bellum Piraticum Pompeio rogatione Gabinia demandatum fuisse omnes scribunt; & Paterculus ipse paullo ante dixit.

Eod. A. Gabinius tribunus legem tulit, vt cum belli more, &c.] Librarius fortasse minus diligenter attendit notam PS. qua Plebiscitum designatur, & Senatusconsultum substituit, quod notabam hoc modo, S. C.

Cap. 32. Horoscius lege sua equitibus in Theatro loca restituit.] Aldus Manutius in hunc locum pro Horoscius reponit, L. Roscius: quomodo etiam prior reposuit And. Patricius in Fragmentis Cicer. ad Orat. de L. Othone. Ego autem lego Otho Roscius: & certe propius, quam illi à vestigijs veteris lectionis absum, quæ est huiusmodi, vt Horoscius: illi enim particulam, vt, omisere. Quod præterea dicit verbum, restituit, adulterinum esse, haud facile ei concesserim, nam & Cicero in Murena. L. Otho, inquit, vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex hæc, quæ ad Ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus. & Asconius in Corn. 1. Lex Roscia est, qua L. Roscius Otho biennio ante confirmauit, vt in Theatro Equitibus Romanis 14. ordines spectandi gratia darentur. Vbi vocem, confirmauit, expendendam arbitror. Quibus adductus sum, vt suspicer non primum lege Roscia equites separata à plebe subsellia habuisse, verum antea quoque: Sed ex quo tempore, vel quo auctore, difficile est affirmare. Hoc tantum constat; nonnisi post Senatoria loca à populo secreta. de quo Liuius lib. 1. 34. & Asconius illo loco: nam antea in promiscuo spectabant, quod vel equitum ignauia vel plebis insolentia intermissum, Othonem longo interuallo reuocasse ex his tentari potest.

Cap. 33. Conuictibus.] Sic Tacitus lib. 2. Annal. atque interim Libonem ornat Prætura, conuictibus adhibet. &c.

Cap. 34. Vsura gloriæ.] Sic est Emendandum abs Rhenano, si modo ipse est auctor annotationum, quæ sunt in ora primæ editionis Basiliensis.

Cap. 36. Virgilius Rabiriusque.] Fortasse leg. est Varius cuius meminit sæpe Horatius & Virgilius, Rabirij poetæ meminit Carisius lib. 1. Citatur etiam a Placiade in libro de antiquo sermone & a Quintil lib. 10.

Eod. Et consecutus Sallustium Liuius.] Aldus putat hæc verba e suo loco in alienum detrusa esse: cur enim, inquit poetis admisceatur Historiarum scriptor Liuius? Ego contra existimo, Velleium in hac enumeratione non tam professionem & scriptionis genus, quam tempora ætatesque distinxisse: nam illi, quos paullo ante recensuit, stante Republ. fuerunt, quamquam eorum nonnulli ad Principatum Augusti pertinuerunt: hi vero sub Augusto floruerunt.

Eod. Perfectissime in forma operis suis.] Male Aldus emendat perfectissimæ metamorphosis: veleant argutiæ vbi minime opus sunt: nam posteriorum Editionum lectio sincera est, perfectissimi in forma operis sui: videlicet Virgilius & Rabirius in Heroicis, Liuius in Historia, Tibullus & Naso in Elegia, quamquam sunt qui huic plus tribuant in Heroicis.

Cap. 38. Quippe senatusconsulto, ministerio Catonis &c.] Cuiacius 7. obser. c. 9. Etiam hoc loco pro, Senatusconsulto reponit, plebiscito: quoniam lege Clodia, non S.C. hoc ministerium Catoni mandatum fuisse constat. Velleius ipse infra P Clodius, inquit, legem tulit, vt M. Cato Quæstor cum iure prætorio &c.

Cap. 39. Ab eodem facta Numidicus.] Aldus hoc in loco restituendo neque vestigiorum veteris lectionis, neque Historiæ temporumve rationem habet. Sigonij emendatio tam est certa, quam quæ certissima: ab eodem facta Numidia. Ciliciam perdomuit Isauricus: & post bellum Antiochinum VulsoManlius Gallo græciam. Loquebatur Velleius de Cæsare à quo Gallia prouincia facta erat. inde pergit: Ab eodem facta Numidia, prouincia scilicet, vel stipendiaria.

Cap. 40. Et quot partes terrarum orbis sunt, &c.] Cicero pro Cornel. Pompeius tot habet Triumphos, quot sunt oræ partesque terrarum: Item: Pompeij tres triũphi testes sunt totum orbem terrarum nostro imperio teneri.

Qui scribenti manum Inijcit.] Sic Valerius Max. cap. 1. li. 4. Ad externa iam mihi exempla transire conanti. M. Bibulus manus inijcit.

Multos mortales.] De hoc genere loquendi vide Gellium cap. 27. lib. 13.

Cap. 44. Ius ab his restitutum.] mihi pro, ab his, reponendum videtur, ciuitatis, vt in loco Cic. 6. de Repub. apud Nonnium, vbi pro, ab his, viri eruditi emendarunt, ciues, Restitutum autem dicit, quoniam libro priore meminit ciuitatis Campanis datæ sine suffragio.

Cap. 45. Damnatum.] Indemnatum.

Eod. verum & cupito interitu.] Valde placet id quod in quibusdam libris est; verum, vt cœpit, interrita: neque aptius quidquam excogitari potest.

Eod. Idem P. Clodius in senatu sub honorificentissimo. &c. Iac. Cuiacius 7. obser. 9. delet hæc verba, in Senatu; putatque ex superiore proxima clausula a librario repetita esse.

Eod. Quæstor.] Libentius legerem, Quæsitor, ait Aldus quid Ita? Cato enim, inquit, multo antea Quæstor fuerat. Hoc quidem verissimum est. Sed Aldus tamen scrupulum istũ dum eximere tentat; alium inijcit. Nam hic Quæsitor idem esset, quod Prætor: quoniam iam inde ab quæstionibus perpetuis constitutis, quod factum est anno vrbis DCIV. Iudicia publica a Prætoribus exercebantur; quæ Quæsitores etiam dicebantur. Constare autem quilibet potest ex Historia & annorum ratione, M. Catonem, pro Pr. in Cyprum missum esse vt septimo anno postquam Quæstor fuerat, Ita quadriennio ante Præturã. Hoc prætereo. nullum vnquam auctorem quæsitoris nomen hoc modo vsurpasse, nulla prius quæstionis vel iudicij facta mentione. Ego vero hoc loco non, vt quid rectum non sit video, ita quod rectum sit, afferre possim: nam neque vulgatam lectionem tueri queo, neque habeo, quod pro ea substituam. Scitum est illud Iurisconsultorum, in pari caussa eum potiorem esse, qui possidet. Interdum tamen mihi venit in mentem Velleij diligentiam requirere: verùm amplius pronuntio.

Cap. 51. Quibus non Hispaniæ suæ natus.] Aldus melius fecisset, si a loco adeo deplorato manus continuisset. Ego malui intactum relinquere, quam absurda & inepta effutiendo, vt ille, deridiculo esse. Facere tamen non possum, quin Velleij incuriam notem, qui duos Balbos confundit Gaditanum vtrumq. quorum vnus Consul fuit cum P. Canidio Crasso anno V. C. DCCXIII. alter fratris filius Procos. Affricæ primus omnium externorum triumphauit de Garamantibus anno DCCXXXIV. illum ad differentiam Plinius Cornelium Balbũ maiorem appellat lib. 5. cap. 5. & 7. cap. 44.

Cap. 52. Effusumque alterum Rom. Imperij lumẽ.] Editio Basil. prior, Effossum, habet: quod perspicue rectum est.

Cap. 52. Vtile Imperatoris damnum.] Leg. vile sic Tacitus 2. Annal. In fine si ob grauitatem cœli interijsset, vile damnum.

Cap. 53. Quos victores darent comites &c.] Aldus præ nimia properatione incogitantiaque omnia turbat ac miscet: non probat homo religiosus eorum audaciam, qui illud, victores darent, delent. Quanto ipse audacior, ne quid grauius dicam, qui aliena verba in contextum inuehit! Id autem in errorem Aldum induxit, quod in Edit Basil. Varia ista lectio, Victores darent, quæ pertinet, ad illa, victoriam dare, e regione τοῦ comites, secundo infra versu perperam posita est: de quo errore admonuit is, qui varietates veteris libri ad calcem operis collegit.

Cap. 54. Vbique Iubæ nomine.] Aldus hic multa verba frustra fundit: atque pro, Iubæ, substituit, viuens, vel, vigens, abest hæc vox a posterioribus. Edit. quod probo procul enim dubio sic à versu sequente irrepsit. Defessus sum tot erratis Aldi notandis. Idcirco insigniora tantum persequar.

Cap. 60. Septies millies depositum a C. Cæsare.] Hadri. Iunius putat delendum, septies: quem vide lib. 14. Animad. cap. 10.

Eod. Omnia precio temperata.] Forte temptata Senatus Cæsarem pro P. R. vna cum Coss. designatis &c. Sigonius emendat, pro Præt. vna cum Coss. & rectissime, consimilemq. maculam ex Liuiana Epito. CXIX. sustulit. profert ille locum Ciceronis Philipp. 5. cui addi potest & sic Suetonij Aug. cap. 10. Iussusque comparato exercitui pro Pr. præesse & cum Hirtio & Pansa, qui consulatum susceperat, D. Bruto opem ferre, & Cornel. Tacit. lib. 1. scribit Cæsarem Aug. fasces & ius prætoris patrum decreto inuasisse: vt Plutarchi, Appiani, Dionis de hac ipsa re locos omittam.

Cap. 63. Per auersa castrorum proruto vallo.] Quid hac lectione sincerius est? aut quis feret Aldum mutantem aliquid, addentemve, proruere vallum Liuio, Tacito, alijsque vet. auctoribus, genus est loquendi vsitatissimum.

Cap. 64. Vtrique vindicta libertatis, &c.] Sic hunc locum legendum puto: Vtrique vindicta libertatis morte stetit: sed Tribuni sanguine commissa proscriptio, Ciceronis, velut satiato Antonio, pœna finita. Commissa, hoc est, cœpta, vt apud Nonium Committere, cui opponitur mox, finita. Pœna autem auferendi casus est.

Cap. 69. Nulli nomini.] Forte minimo.

Cap. 70. Male multatum.] Forte mulcatum.

Cap. 71. Drusus Liuius Iuliæ Augustæ pater.] Aldus pro, Iuliæ Augustæ, reponit, Liuiæ Aug. Sed & illud tamen rectum est. Nam Liuia ab Augusto heres ex triente instituta est, nomenque ferre iussa, auctore Tranquillo in Augusto extr. quod etiam Tacitus confirmat lib. 1. Annal. his verbis; Tiberium & Liuiam heredes habuit Liuia in familiam Iuliam, nomenque Augustæ adsumebatur. & Dio li. 56. extr. τότε δὲ ἀθανατίσαντες Αὔγουστον, καὶ θιασώτας οἱ, καὶ ἱερά, ἱέρειαν τὴν Λιουίαν τε τὴν καὶ Αὐγοῦσταν ἤδη καλουμένην ἀπέδειξαν. Itaque Plinius lib. 19. cap. 5. Iuliam Augustam nominat, & Tacitus multis locis, quos describere longum est. Eamque significat Valer. Max. cap. 1. lib. 6. in princ. Tu Palatij columen augustos penates, sanctissimumque Iuliæ genialem torum assidua statione celebras. neque enim Pighio assentior, qui vocem, gentis, ex libris manu exaratis nescio quibus inserit, quam mei omnium optimi & antiquissimi non agnoscunt. reperiuntur & veteres numi ita inscripti, S. P. Q. R. IVLIÆ. AVGVSTÆ.

Cap. 75. Quam transgressi ad deos sacerdotem, ac filiam.] Aldus hoc loco, si quo alio, incuriam suam, rerumq. Romanorum inscitiam prodit. locus est integerrimus, atque planissimus. Sensus enim hic est; Liuia Augusti, cum quo postea nupta, & cuius consecrati sacerdos, ac filia fuit; Liuia, inquam, Augusti arma fugiens, & Tiberium vix bimum, futurum & ipsum eiusdem Augusti filium in sinu gestans, &c. Sacerdotem Augusti fuisse Dio quoque eo, quem proxime adduxi loco tradit. filia etiam Augusti fuit, quippe cuius testamento adoptata est, siue in bona & nomen vocata; id quod loci ex Tranquillo, Tacito, & Dione paullo ante descripti ostendunt, quibus & alterum eiusdem Taciti addo in principio li. 5. Iulia Augusta mortem obiit, ætate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam, & adoptione Liuiorum Iuliorumque clarissimæ. quæ iisdem ferme verbis repetit sub finem eiusdem libri. Imperite id præterea Aldus, quod Liuiæ flaminem adtribuit. Augustarum enim consecratarum non flamines, sed sacerdotes dicebantur; id quod ab hominibus Romanæ antiquitatis peritis obseruatum & proditum memini.

Cap. 76. Per quæ tempora Rufi Saluidieni scelesta consilia, &c.] Sueton. in Iulio cap. 66. Seneca de Clemen. c. 9. lib. 1. Liuij Epit. 127. Eusebius Chron. Dio lib. 48. scribit Saluidienum in id dignitatis euectum a Cæsare fuisse, vt Consul, cum Senator numquam fuisset, designaretur.

Eod. Nisi adscendisset e quo infra se, &c.] Sic puto legendum nisi in id ascendisset e quo.

Cap. 81. Hoc M. Antonio acto, illis legionib. saluti fuit.] Aldus legit, Hoc M. Antonij octo illis legionibus saluti fuit: At paullo ante Paterculus dixit Antonium cum 13. legionibus Armeniam ingressum esse, &c. atque ex his haud minus quartam partem amisisse. quod postremum & hic repetens: de quibus tamen, inquit, totoque exercitu haud minus quarta pars, vt prædiximus, militum, &c. quæ verba arguunt, si qui numerus hoc in loco reponendus est, eundem esse oportere; quem & supra expressit. Præterea vt ad regulas Grammaticorum hominem reuocem, in his verbis, octo illis legionibus, τὸ illis, quod est prænomen, quemadmodum illi loquuntur, relatiuum, quo quæso referetur? nec enim octo, verum 13. legiones supra edidit. Quod si Aldus e 13. Legionibus quartam partem, quam amissam fuisse Pater-

culus tradit, deducendam esse contendit, tamen sic quoque pluresquam octo supererunt. Verum ipse viderit, qui istæc inter se congruerere queant. Mihi quidem neque cælum, vt aiunt, neque terram attingere videntur. non displicet, quod in posterioribus editionibus emendatum est, Hoc M. Antonio atque illis legionibus, &c.

Eod. Ex quo in quem statum, &c.] *Hæc recta sunt*, Ex quo *scil. statu. Itaque nihil mutandum est.*

Cap. 86. Ad solium alarunt in prisca grauitate celeberrimi fides.] *Vt coniecturas multorum in hunc locum non dãno propterea quod in locis adeo desperatis liberrimum vnius cuiusque iudicium esse oportet: Ita mihi, credo, licebit meam suspicionem proponere, quæ est huiusmodi*: At Sosium L. Aruntij prisca grauitate celeberrimi fides, mox diu clementia. &c. *Sosium reposui ex Dione lib.* 51. *in princip. qui narrans quomodo se Cæsar post victoriam Actiacam gesserit aduersum eos, qui partes Antonianas defenderant, hæc subiicit:* καὶ τινων καὶ ἐφείσατο. καὶ ἐν μὲν τούτοις ὁ, τε Σόσσιος, ἐπιφανὴς ἐγένετο (πολλάκις τε γὰρ ἀντιπολεμήσας αὐτῷ, καὶ τότε φυγών, καὶ κατακρυφθείς, χρόνῳ τε ὕστερον εὑρεθείς, ὅμως ἐσώθη) καὶ Μάρκος τις, *&c. Nec dubito affirmare hunc ipsum esse, quem in pugna ad Actium cum Poblicola classis Antonij præfectum fuisse Velleius paullo ante retulit: existimo etiam eundem esse, qui Antonij in Syria legatus rem valde bene gessit, Iudæosque subegit, de quibus postea triumphum egit, qui notatus est in tabulis Capitolinis ad A. V. C.* DCCXIX. *& biennio post, Consul fuit cum Cn. Domitio, qui vtrique palam Cæsari aduersati sunt, seque ad Antonium contulerũt, auctore Dione lib. 50. qui eodem libro meminit Sosij alterius, qui ad Actium interiit in pugna nauali ante vltimam illam, qua debellatum est. Præterea reposui*, L. Aruntij, *insistens vestigiis deprauatæ lectionis* Larunt in. *nobile fuit per ea tempora, Aruntij siue Arruntij nomen. Proxime Paterculus Arruntium in pugna Actiaca læuo Iulianarum nauium cornui præfuisse, Plutarchus autem mediam aciem tenuisse tradiderunt. L. Arruntij eiusdem cum illo, vt opinor, aliquot post annis Consulis cum M. Marcello Dio lib. 54. & lapides Romani meminere. Idem Dio 55. in annum V. C.* DCCLIIX. *M. Lepidum L. Arruntium Consules edit. L. quoque Arruntium Tacitus lib.* 1. *nominat, quem, inquit ille, Tiberius diuitem, promptum artibus egregiis, & pari fama publice suspectabat. Hunc nouissimo principatus Tiberij anno mortem sibi ipsum consciuisse idem Tacit. lib. 5. auctor est, & Dio 58. extr. qui eum appellat virum* καὶ ἡλικίᾳ καὶ παιδείᾳ προήκοντα. *quem tamen, dum tempora vtriusq; satis disiuncta considero, ab hoc nostro diuersum esse mihi persuadeo. sed siue vnus, siue plures fuerunt, certe coniectura nostra probabilitate non caret. Dicit autem Paterculus, Sosium L. Arruntij fides, mox, &c. Cæsar seruauit incolumem, vel quod Arruntius Sosium occultauerit, vel quod ei veniam & incolumitatem a Cæsare exorauerit: quod mirifice cum loco Dionis supra adducto congruit.*

Cap. 87. C. Mæcenas equestris, sed splendido.] *Multum placet id, quod in posterioribus edit. est.* Equestri, sed splendido genere natus. *Splendidum autem dicit, quia Mæcenas ab Etruscis Regibus genus suum repetebat.*

Cap. 91. L. Murena & Fannius cepio &c.] *Legendus Seneca de clementia* 1. *cap. 9. & de breuit. vitæ.*

Cap. 93. Per M. Agrippam secure ei &c.] *Legendum est*, securo, *vt in quibusdam Cod.*

Cap. 95. Neque ipsi honori.] *forte* ipsis.

Cap. 98. Mores eius vigore ac lenitate.] *Forte legendum* rigore.

Cap. 99. Maturus esset viris.] 5. viri.

Cap. 100. Iulius Antonius singulare exemplum clementiæ Cæsaris.] *Sic apud Tacit. lib.* 12. *Annal. Caractacus loquitur*, At si me incolumem seruaueris æternum exemplar clementiæ ero.

Cap. 103. Ælio Cato sentio Coss.] *nihil mutandum est: tantum post*, Cato, *distinctio ponenda. Catus est cognomẽ Ælij, quem Dio lib. 55. Sex. Aelium Catum nominat.*

Cap. 105. Caninefates, Attuari.] *Caninefates cum Velleio Tacitus lib. 4. & 20. nominat statim pro*, Attuari, *B. Rhenanus*, Chattuari, *reposuit, optime, Strabo libro septimo.* Χαττουάριοι. *id quod Aldum currentem fugit.*

Cap. 106. Senonum.] *pro* senonum, *puto emendandum* Semnonum. *Semnones Sueuorum gentem nominat Strabo lib. 7. Tacitus 2. & lib. de Morib. Germ. & Ptolemæus lib. 2. Perperam etiam apud Florum lib. 4. cap. vlt.* Senones *editum est: id quod vel libri veteres ostendunt, in quibus*, Scenos, *vel* Scennos, *scriptum est, Senones autem Galliæ populi sunt, qui hodieque nomen retinent.*

Cap. 107. Nostra quidem furit iuuentus.] *P. Delbenius pro* furit, *legit*, fugit *sed illud rectissimum est sententia hæc est insanire iuuentutem nostram, quæ cum vos absentes colat præsentium tamen metu fugit.*

Cap. 109. Boiohœmum.] *Tacitus de morib. Germanorũ.* Boiemum *vocat. Strabo lib. 7.* Βουίαιμον, τὸ τοῦ Μαροβόδου βασίλειον.

Cap. 110. Batonibus.] *Rectum est. Nam Batones duo fuere vnus Desitiates Dalmatarum, alter Breucorum Dux: hi cõiunctis copiis bellum gesserunt. vide Dionem lib. 55.*

Eod. Quia tantus etiam.] *Puto legendum*, quin tantus *&c.*

Cap. 112. Plus eo tempore vindicatum gloriæ.] *Pro* vindicatum, *emendo, vindicauit.*

Cap. 115. Quippe Perusia æde siciales Delmatæ.] *Hæc est vetus lectio corruptissima quidem, sed ex qua tamen vera fortassis elici possit: In poster. Editionibus emendatum est hoc modo:* quippe Daorisi, & Desitiates Delmatæ, &c. *quomodo etiam Aldus excudendum curauit, cuius emendationis posteriorẽ partem de Desitiatibus probo. Verũtamen cum cuncta Dalmatia in armis tunc fuerit, cur Desitiates tantum commemorat? an quia hi defectionis initiũ fecerunt: id quod ex Dione suspicari quis possit, qui lib. 55. Batone quodam auctore, quem modo Desitiatem, modo Dalmatam appellat, paucos primum. Dein reliquos Dalmatas arma cepisse scribit? ex quibus apparet Dionem Desitiates in Dalmatia collocare, quos tamen Strabo li. 7. inter Pannoniæ populos recenset, eorumque ducem Batonem fuisse etiam refert an potius quod cum locorum, quos incolebant, asperitatibus, saltuumque angustiis freti, adhæc ingeniis præferoces, atque mira pugnandi scientia, reliquis Dalmatis vel superatis iam vel deditis, soli in armis persistentes Romanos diu exercuissent, hac tandem æstate debellati sunt. Quod vero*, Daorisi, *hic repositum est, non æque probo. Sane*, Breuci, *quomodo legendum existimo, propius ad antiqui libri vestigia & ad Historiæ veritatem accedit. Nam Dio ibidem tradidit Breucos Pannoniæ populos Dalmatis se coniunxisse, armisque subactos fuisse. & Suetonius Tiberio.* Ex hinc, *inquit*, Ræticũ Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. Rætico atque Vindelico gentes Alpinas: Pannonico Breucos & Dalmatas subegit: &c.

Cap. 118. Nunc procaces.] *Vet. Fr.* procataes. *puto leg.* procantes *de qua voce Festus & Nonius.*

Cap. 119. Iustis voluminibus, vt alij, ita nos conabimur exponere.] *Amplior volumen de rebus Romanis Velleius scripturus erat. supra.* Quis fuerit eo tempore ciuitatis habitus iusto seruemus operi *& post*, lætitiam illius diei concursumque ciuitatis vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus.

Eod. At Valnumonius legatus Vari.] *Sic est in vet. Edit. Ful. Vrsinus vnius litteræ adiectione, veram, vt mihi videtur, lectionem restituit hanc*, Vala Numonius. *Horatius Epistulam scripsit ad C. Numonium Valam, quæ est 15. lib. 1. sunt & Numi argentei hac inscriptione*, C. NVMONIVS VAALA.

Cap. 126. Restitutæ vrbes Asiæ.] *Vide Tacitum lib. 2. Annal.*

Cap. vltimo. Iupiter Capitoline: & stator: & auctor Romani nominis gradiue Mars.] *Ita omnino legendum est. Nam Mars Stator numquam dictus est; Iouis id cognomen fuit.*

* Socijsque vrbis Romanæ.] *reponit Lipsius* oclisq. *vel* oculisq. Locisque, *mauult. Fl. Christianus.*

FRAGMENTVM VELLEII IN VET. MEMBRANA

REPERTVM.

DVM hæc circa Rhœnum geruntur, in Noricorum finibus graue vulnus Romanus populus accepit. Quippe Germanorum gentes, quod Rhetias occupauerant, non longe ab Alpibus tractu pari, patentibus campis, vbi duo rapidissimi amnes inter se confluunt, in ipsis Noricis finibus ciuitatem, non quidem muro, sed vallo fossaque cinxerunt, quam appellabant Cisara, ex nomine Deæ Cizæ, quam religiosissime colebant. cuius templum quoque ex lignis barbarico ritu constructum, postquam eo colonia Romanorum deducta est, inuiolatum permansit, ac vetustate conlapsum, nomen colli seruauit. Hanc vrbem Titus Annius Prætor, ad arcendas Barbarorum excursiones, cal. sextil. exercitu circumuenit. Ad meridianam oppidi partem, quæ sola a continenti erat, Prætor ipse cum legione Martia, operosissime communiuit. Ad Occidentem vero, qua Barbarorum aduentus erat, Auar Bogudis regis filius, cum equitatu omni, & auxiliaribus Macedonum copiis inter flumen & vallum loco castris parum amplo, infelici temeritate extra flumen consedit. Pulchra indoles, non minus Romanis quàm Græcis disciplinis instructa. Igitur quinquagesimo nono die quàm eo ventum est, quum is dies Deæ Cizæ celeberrimus, ludum & lasciuiam magis quàm formidinem ostentaret, immanis barbarorum multitudo, ex proximis Syluis repente erumpens ex improuiso, castra irrupit. Equitatum omnem, & quod miserius erat, auxilia sociorum deleuit. Auar cum in hostium potestatem regio habitu viuus venisset, pecudis more mactatur. Oppidani verò, non minori fortuna, sed maiori virtute, Prætorem in auxilium sociis properantem, adoriuntur. Romani haud segniter resistunt. Duo principes oppidanorum, Habbino & Caccus, in primis pugnantes cadunt. & inclinata iam res oppidanorum erat, ni maturassent auxilium ferre socij, in altera ripa iam victoria potiti. Denique coadunatis viribus castra irrumpunt: Prætorem, qui paullò altiorem tumulum frustra cæperat, Romana vi resistentem obtruncant. legionem diuinam, vt ne nuncius superesset, funditus delerunt. Verres solus tribunus militum, amne transmisso, in proximis paludibus se occultans, honestam mortem subterfugit. Nec multo post Siciliæ proconsul immani auaritia turpem mortem promeruit.

Hoc fragmentum ex Historia Gallica Velleij in veteri membrana repertum exstat apud VVolfgangum Lazium cap. 8. lib. 1. Comment. Reip. Romanæ. Quamquam nostri Velleij non esse, stilus ipse satis ostendat.

Erata sic corrigito pag. 148. linea 27. Ημιεργοποιῷ. linea 49. iungenda cum sequenti, tollendumque verbum *Eodem.* li. 51. dele.] lin. 53. notabant. Columna 2. eiusdem pag. 148. lin. 7. dele 1. lin. 14. emendatum. Pag. 149. Col. 1. lin. 4. ita. lin. 9. qui. lin. 27. Africæ. Col. 2. lin. 18. post Ἀσίαν adde Ἰταλίαν. Pag. 147. Col. 2. li. 9. Heleanus, pro, Gelenius.

FINIS.